ANGELI GALLVCCII
E SOCIETATE IESV

DE

BELLO BELGICO

AB ANNO CHRISTI MDXCIII.

AD INDVCIAS ANNORVM XII.

AN. MDCIX. PACTAS.

PARS ALTERA.

DE
BELLO BELGICO
LIBRI DECIMI TERTII.
SVMMA.

GEnuenſium Virorum præſtantia. Ambroſij Marchionis Spinulæ, & Friderici Fratris educatio. Huius indoles ad arma propenſa. Eiuſdem ad bellum Belgicum profectio. Quanti æſtimatus ab Alexandro Farneſio. Hiſpani Regis triremibus præficitur. Mauritius cum Claſſe Flandriam inuadit. Eius partem Fridericus oppugnat, & vincit. In eâ pugnâ caſus notabilis. Neoportus deſcribitur: qui à Mauritio obſidetur. Contra eum Archiducum copiæ, ſeditioſis reſipiſcentibus auctæ. Archiduces adeunt Caſtra: & Iſabella concionem habet ad Milites. Hac animati, varijs locis potiuntur. Archiducis conſultatio de præliando contra Mauritium. Diſſeritur in utramque partem. Prælium decernitur. Exercitus utriuſque diſpoſitio. Inſignes Viri apud Mauritium. Eius concio ad Milites. Locus pugnæ deſcribitur. Catholicorum Equitum fuga. Peditum vehemens dimicatio: Catholici tandem ſuperantur. Archidux vulneratur: captus creditur: ſtrenuè defenditur, Mendozza periclitatur, & capitur. Alij magni Viri capti. Mauritij benignitas erga Victos. Hieronymi Rhò Elogium. Alphonſus Aualus à fideli Famulo ſeruatus. Inſi-

gnes Viri cæſi. Vndenam tanta clades Catholicorum. Archiducis magnanimitas. Fridericus Spinula vexat Fœderatos. Barlota, Diuæ Catharinæ munimentum defendens, occiditur. Eius laus. Erneſtus Naſſouius periclitatur. Fœderati de Mauritio queruntur. Agitur de pace cum Catholicis, datis utrinque literis. Nihil conficitur. Ambroſij Landriani mors, & laus. Nouum ſæculum nobilitant ortu ſuo duo magni Principes. Tractatur Captiuorum redemptio. Mauritius inopinatò Rhenobergam obſidet. Subſidium Archidux immittit. Oſtendam obſidere ſtatuit. Mauritius Rhenobergâ, & Meursâ potitur.



DE
BELLO BELGICO
LIBER DECIMVS TERTIVS.

1600.



ENVENSIS Natio, quæ Diuinæ prouidentiæ consilio inter Alpium quasi propugnacula, & Ligustici maris fossam, velut ad custodiam Italiæ constituta; *Romanæ Sedis, Ecclesiaque propugnatrix* ab Oraculo Vaticano meruit appellari; multis quidem nominibus famam sui ad venientium Sæculorum memoriam per literarum monumenta transmisit. Sed nullo digniore, quàm quòd æquè virtutum, ac Virorum illustrium fœcunda Parens, Liberos suos, quà sagacitate ingenij, quà prudentiâ ciuili pariter, ac militari ubertim instructos, pares eduxit, non Prouincijs tantùm, ac Regnis vel subigendis, vel administrandis: sed integris Mundis auctoritate ab Deo secundâ regendis (ut in Summis Pontificibus sex palàm fuit) & nouis quòque memorabili solertiâ inuestigandis, infractâque constantiâ Christianæ Religioni, Hispanæque potentiæ subiugandis: quod in uno Christophoro Columbo posteritas omnis demirabitur.

In liter. Alesãdri Tertij P. Max.

Genuensium laus ab Ecclesiæ defensione.

Ab insignibus Viris.

Hieronymus de Marinis in Genuæ descript. c. 4. sect. 10.

Hos inter egregios Viros numero plurimos, gloriâ maximos, vel una Spinularum Gens, ab altâ originis antiquitate in plures diducta Familias, sex protulit Romæ Purpuratos, ac tot inuictos bello Heroes, ut vel enumerare longum sit. Verùm in militari præstantiâ nescias, an ullo iactare se possit Alumno gloriosiùs, quàm Ambrosio Marchione: qui suarum victoriarum plausibus nascentis huius Sæculi aures impleuit. Ei tamen in belli exercitatione Fridericus Frater prærogatiuâ temporis præiuit. Vtrumque bono publico genuere Philippus Spinula Venafri Marchio, & Polyxena Grimalda Nicolai Salernitani Principis Filia: Ambrosium anno Christiano millesimo quingentesimo sexagesimo nono; Fridericum verò septuagesimo primo.

Spinulæ Gentis præcipui Ambrosius, & Fridericus.

Eorum Parentes.

Auber. Miræus in Elog. Gentis Spinulæ.

AMBROSIVS, ut natu maior, artibus eis omnibus imbutus fuit, quæ Virum primarium decent: ac præter communem ingenuis Adolescentibus armorum, equorumque tractationem; Mathematicæ quòque scientiæ operam dedit: eique potissimùm parti, quæ versatur in machinis. Vt non immeritò dictus fuerit in Belgico bello militaria machinamenta complura docuisse

Ambrosij prima institutio.

posteritatem. Rerum quòque gestarum narrationibus euoluendis implebat Ambrosius animum; atque eius præsertim belli, cuius futurus tanta pars erat. Frequenti eorum utebatur consuetudine, qui arma in Belgio tractassent: multa ex ijs quærere de regionibus, multa de rebus præclarè, aut perperam actis; quasi iam tùm in eam partem propendente naturâ. 1600. *Ex literis Ang. Grilli ad Alphonsum Beccariam.*

At Fridericus utpote natu minor, pacatis potiùs Ecclesiæ curis, ac togæ artibus à Parentibus destinabatur: more satis usitato, ut in educatione Liberorum primæ tribuantur armorum tractationi, literarum secundæ: tanquam illa præ his habeantur Ciuitatibus, ac Regnis tutandis aptiora. Igitur, ut exteras lustrando regiones compendium sapientiæ faceret, missus in Hispaniam fuit; & Salmanticæ menses aliquot commoratus, ut in eo doctrinarum emporio abundè instructus, sese maior in patriam reuerteretur. Verùm, ut ægrè propellimur alieno imperio, quò naturæ sponte non ferimur: ingenium Friderici nihil à fraterno degenerans, magis ad arma factum, quàm ad literas, eo patuit experimento. Indoluit eius Patruus Augustinus, cum quo degebat, egregiæ proli geminatam lauream negari, tum quæ pace, tum quæ bello viretet. Sed quandò aduersùs naturam ire, idem censebat, atque in Cælum pugnare: ex eâ sapientiæ sede subtractum, secum reduxit Genuam Fridericum. Is ibi cum Fratre bellicis informatus institutionibus, ac naualis prætereà militiæ scientiam assecutus; in Belgium, exercendis, quas didicerat, artibus patentem campum profectus est. Apud Alexandrum Parmensem Ducem postremis eius administrationis annis, tùm sub Ernesto Archiduce, ac postmodum Andrea Cardinali Belgium regente Voluntarium Militem egit: uti ferè Viri Nobiles solent, quibus gloria pro stipendio est. Quanti verò eum faceret Alexander, magnus æstimator alienæ virtutis, quia magnus exercitator suæ; tùm apertissimè declarauit, cùm eumdem Raynutio Filio, alijsque duobus comitem adiunxit ad priuatum certamen, quod cum Alphonso Aualo Magistro Equitum supremo, eiusque Asseclis tribus ineundum credebatur: ut suborta inter utrumque controuersia, quæ componi prudentum arbitratu nequiret, ferro iudice dirimeretur. Postremæ quòque Alexandri expeditioni Gallicæ, quâ Rhotomagum Henrici Quarti obsidione, cum ingenti gloriâ, Hostisque ipsius admiratione, liberauit; Fridericus interfuit: atque inde vulnus in fronte ab ictu lanceæ, argumentum magni in aggrediendo animi, reportauit.

Fridericus Salmanticam mittitur.

Propensior ad arma, quàm ad literas.

In Belgio militat.

Venturiero.

A Farnesio magni æstimatus.

At anno eiusdem sæculi supra nonagesimum quinto, maius aliquod

1600. aliquod opus mente peruoluens, è Belgio in Hispanicam Regiam contendit. Ibi cum Philippo Secundo acriter egit de triremibus aliquot instruendis, armandisque aduersùs Hollandica nauigia; quæ multum Hispanæ rei apud Belgas officiebant. Rex, pro suo more, de eo referri ad concilium Prudentum voluit. Plerique in contrariâ erant sententiâ, cum in primis assererent; ad ea maria triremes haud esse accommodatas. Peruicit tamen apud Regem Friderici constantia & spes, quam prudentissimo Principi faciebat, operis felicem ad exitum perducendi. Verùm, ut ea quasi tentamenta quædam essent, ac prima experimenta noui consilij à Friderico contra multorum opinionem propositi: noluit Rex multum aut Militis, aut sumptuum in discrimen obijcere. Quare quatuor tantùm deducendarum triremium fecit potestatem. Alterum quòque non minoris emolumenti consilium, qua erat sagacitate mentis, excogitauit, atque obtulit Philippo Fridericus: ut nempe ductis in Belgium, atque inde per breue fretum traductis in Angliam triremibus, commodus aliquis ex improuiso eius Insulæ portus occuparetur. Placuit Regi sapiens cogitatum: at maturioris opportunitatem temporis expectandam ratus, Genuam reuerti iussit Fridericum: ibique sua mandata opperiri. Paruit is regijs imperijs: annique nonagesimi octaui principio reuocatus ab Rege fuit in Hispanicam Aulam. Hìc dum rursus de Classe agit in Belgium, Angliamque mittenda; Philippi Secundi mors omnibus luctuosa intercessit, quàm alibi fusè memorauimus. Philippo verò Tertio magnum Parentis Imperium capessenti eadem, quæ Patri, consilia Fridericus proposuit. Igitur & suo Rex, & paterno iudicio rem salutarem probans, decem ex Hispanicâ Classe triremes ei concessit; in quas supremum obtineret imperium. Sed, uti frequens est, in itinere conflictatus aduersâ tempestate, unius ex eis, alteriusque iacturam fecit: reliquas octo feliciter ad portum Slusensem applicuit. Illinc, & propinquis ex locis confinem Hollandiam, eiusque naues ultro, citroque commeantes, haud leui cum detrimento, vexare cœpit. Ad hanc præsertim submouendam vexationem, uti Duodecimo diximus Libro, ingentem in Flandriam Classem Mauritius deduxit.

A Philippo Secundo, ac Tertio triremibus præficitur.

Lib. 10.

Mauritius Classem ducit in Flandriã.

Cvm verò rumor interea percrebuisset, Archiducem Albertum, atque Isabellam cum frequentibus Copijs Gandauum versùs magnis itineribus properare: mouit Mauritius Exercitum Ostendam, exinde Neoportum aggressurus. Echeloum Oppidulum ad amnis Liuiæ dexteram ripam situm, Pagosque ferè omnes mœnibus nudos, inter Gandauum, & Brugas interiectos, quos

Campana p. 1. l. 8. Gaspar Ens lib. 21. Grotius l. 9. Boter. l. 7. Thuanus l. 124.

1600. *Reidanus l. 17. Camerus lib. 14. c. 7. 8. & 9. Bentiuolus par. 3. l. 6. Beyerlinch, Lauarius, Baudart, Hareus anno 1600. Continuator Aitsingeri.*

Munimenta quatuor capit.

quos prætergrediebatur, ferro, flammisque vastauit. Ostendam ingressus, aperuit mentem suam Neoportum inuadendi. Quod antequam exequeretur, quatuor hostilibus munimentis potiundum censuit, quæ aduersùs Ostendanas excursiones Hispani erexerant: eorumque nomina erant: Sancti Alberti, Snascherchа, Bredena, & Audenburgum. Hæc neque Milite, neque apparatu bellico satis instructa, principio Mauritius oppugnauit, nulloque negotio cepit. Ac primo quidem custodiendo trecentos imposuit Pedites, secundo ducentos: Bredenæ Brugesium præfecit cum quinque Peditum signis, atque unâ Equitum turmâ: Audenburgo Ioannem Pironum cum quingentis Peditibus, Equitibus verò centum quinquaginta. Tùm exiguo flumine traiecto, inter aliquot arenæ tumulos (quos vulgò Dunas vocant) ad mare bis mille Pedites veteranos, Scotorum nempe, Zelandorumque Legiones, quibus plurimùm fidebat, collocauit. His ille Copijs, & Præsidijs munimentorum aduentanti Hosti moram aliquam sese obiecturum sperabat. Sibi quippe persuaserat, non priùs eum Neoporti subsidio venturum, quàm sua propugnacula recuperaret. Interim verò commodum sibi spatium fore Oppidum expugnandi, haud satis validum, vel ad obsistendum munitum.

Fridericus Spinula nauibus Hostiû potitur.

DVM Classis ad hanc expeditionem duceretur, onerariæ viginti naues Fœderatorum vehentes commeatum, & bellicum instrumentum, prope Blancobergam vento destitutæ, hæserunt, unâ tantum præsidiariâ præeunte. Quo animaduerso, in omnem occasionem intentæ Friderici Spinulæ triremes quatuor, è Slusensi portu digressæ, impressionem in eas fecerunt: captasque partim cremarunt, partim onustas prædâ Slusam abduxerunt. Cum præsidiariâ certatum aliquantò diutius. Quamuis enim vento deficiente staret immota, crebrisque tormentorum ictibus lacera, ac plurimis perfossa locis aquam acciperet; duoque supra viginti è Classiarijs cæsi iacerent, complures vulnerati, atque ipse Nauarchus grauiter saucius: ea tamen fuit in Præsidiarijs vel constantia, vel pertinacia (quandoquidem facilè altera vultum alterius præfert) ut deditione postulatâ, responderint: *Malle se, igne pyrio pulueri iniecto, incendium excitare, quod unà secum Hostes inuolueret, absumeretque; quàm ipsorum prædam factos, in seruitutem quouis letho tristiorem addici.* Cum Hoste desperato pugnare, plusquam temerarium ducentes Hispani, ac plura ab eodem pati damna veriti, quàm passi essent, multis Nautarum, ac Militum suorum eo congressu interfectis; præsidiariam tandem dimiserunt.

Si-

1600.

SEQVVTVS hanc victoriam dies aliam longè maiorem spondere videbatur. Namque centum quinquaginta Fœderatorum naues tormentis bellicis, alioque apparatu onustæ, duodecim præsidiarijs nauigijs custoditæ, dum prope Slusensem portum præteruehuntur, vento pariter destitutæ steterunt. Id ubi Fridericus cognouit, quatuor item triremes ad eas oppugnandas emittit. Ac primò quidem fauente malaciâ rei optimè gerendæ spes affulgebat: at ubi ventus increbuit, Hollandorum præsidiariæ, longè triremibus agiliores, eas in portum repulerunt. In eo breui conflictu mirum quid accidisse fertur. Turcicum in Hispanis triremibus mancipium erat, atque ad remum sedebat: cum ex Hostium tormento emissus globus catenam, qua Turca transtris alligabatur, infregit, abrupitque. Ille libertate partâ, unde minus rebatur; atque hostili ferro à ferro herili solutus, in mare se deiecit: ac primùm ad Hollandorum naues; mox inde dimissus, Constantinopolim in patriam transfugit. Tunc enimuero patuit, quantum subitis casibus ingenium sit: & iniuriam quandoque pro beneficio habendam. Mauritius interea Exercitu Neoportum adducto, & Classe cum omni apparatu bellico subsequente, Oppidum terrâ, marique obsidere aggreditur.

Gaspar Ens lib. 21. Grotius l. 9.

In nauali pugna mirum euentum.

Martial. Epigr. 14. in Amphit.

OCEANI prope litus Neoportus est: cuius ad latus flumen præterfluit, haud mole magnum; quod tamen in mare se euoluens, portum efficit minimè contemnendum, formâ oblongum, ac nauibus tutum. Pharum habet exiguam, seu turrem lapideam, cuius in fastigio noctu ignes prælucent, ad illuminandos nauium cursus, & vada frequentia præcauenda. Portum principiò Mauritius occupat, dirutis antè, quæ illum tutabantur, munimentis. Et quoniam Ostendam, ac Dunchercham Neoportus interiacet; ab utrâque litoris parte Castra posuit. Quà itur Ostendam, ubi minor ab Hoste metus; Ernestum Nassauium, & cum eo tertiam ferè Militum partem collocauit: quà verò Dunchercha spectatur, cum reliquo Exercitu ipse consedit. At Archiduces, ubi prima expeditionis in Flandriam Mauritianæ ad eos fama peruenit; periclitanti prouinciæ subsidium ferre maturauere. Imò commodam sibi visi nancisci opportunitatem Fœderatorum Copias atterendi, partim suis Vrbibus, partim Oceano interclusas. Igitur quidquid Militum in Geldriæ finibus erat, à Ludouico Velasco statim contrahi iussere, ac maximâ celeritate in Flandriam duci.

Neoporti descriptio.

Obsidetur à Mauritio.

Cõtra hũc Archiduces arma mouent.

QVONIAM verò Catholicorum Exercitus fuerat anteacto tempore non leuiter imminutus; ad eiusdem supplementum,

ij quòque Milites euocati, qui ſeceſſionem ab alijs Dieſtæ fece- 1600.
rant. Miſſi ad eos reconciliandos Solræus Comes, Auguſtinus Herrera Gandauenſis Arcis Præfectus, atque Alphonſus Aualus. Hi, quâ erant apud omnes gratiâ, illud promiſſis, ſuaſionibus, precibus effecerunt, ut ad nouam expeditionem, Exercitui reliquo ſeſe redderent, debitamque Archiducibus præſtantes operam, quicquid peccatum antea fuerat, nouis obſequijs compenſarent. Vallonibus nouem menſium ſpopondere ſtipendia: Hiſpanis, Italis, & Germanis, quantumcumque deberetur, intra menſes totidem ſolutum iri. Maximo fuiſſe ferunt incitamento, ut prodirent ad bellum: quòd ipſemet Archidux proceſſurus eſſet in aciem, ac vel ſui capitis periculo cum Hoſte congreſſurus. Adeò vehementer exemplum Principis trahit ſequaces animos etiam contumacium. Ergo Dieſtâ digreſſi ad cæteras ſeſe Copias adiunxere ſexcenti Equites, Pedites octingenti. Omnes tamen ei tantùm parere voluerunt, quem ipſi ſibi impoſuerant, Electo, alijſque creatis in ſeditione Præfectis. Qui verò Hamontium ſeceſſerant Itali, quamuis magnopere ſuaderent Montenigrius, & Achicurtius, nullis conditionibus adduci potuerunt, ut ſeſe ad Commilitones referrent. Quare Militum numerus millia Peditum duodecim, Equites mille, ac ducentos haud ſuperabat. Progrediebantur hi magnis itineribus, & antequam Gandauum Archiduces peruenirent, Præfectus tormentorum Velaſcus Brugas versùs præceſſerat cum tribus Peditum millibus, Equitibusque trecentis. Copiæ reliquæ ſequebantur, duobus primis Ductoribus ſubiectæ Franciſco Mendozzæ Aragoniæ Archithalaſſo, & Friderico Comiti Thſerembergio ſupremo Caſtrorum Præfecto, pro Petro Erneſto Mansfeldio extremâ ſenectute retardato. In Exercitu præterea erant magni nominis, atque experientiæ Bellatores præcipui: Carolus Longouallius Buquoij Comes, Gaſpar Zapena, Hieronymus Monroius, Ludouicus Villarius, Alphonſus Aualus, Claudius Barlota, alijque veterani Milites Itali, Germani, Vallones, Burgundiones, Hiberni.

Seditioſi Dieſtenſes ad Exercitum redeunt.

Archiducum Copiæ.

Convenere agmina omnia Langebruggam, Pagum haud longè diſſitum Gandauo. Eòdem conceſſere Archiduces ipſi quarto Calendas Iulias: ut ſui copiam Militibus facerent, urgeretque præſentia Principum animos ſua ſponte præferoces. Ibi uniuerſo exercitu coram eis cum incredibili Militum alacritate luſtrato; viſum eſt Iſabellæ aliquid ſupra ſexum, at non ſupra ſuæ gradum dignitatis, audere. Etenim equo ſublimis, adequitante aulico ſuo comitatu, ante frontem Copiarum ſubſtitit; quâ

Archiduces ad Caſtra veniunt.

Far la moſtra.

1600. quâ parte præsertim stabant, qui tumultuati fuerant, Hispani. Prænitebat illi regius planè aspectus, ac fœmineam formam virilis vigor illustrabat. Grauissimis Orbis terræ negotijs in Aulâ Hispanicâ, magnique Parentis magisterio tot annos innutrita, artem regnandi omnem capaci curarum nobilium animo penitùs hauserat. Quare non dubitauit eius æui Heroina in conspectum se dare Militibus animandis, eosdemque paucis, sed efficacibus verbis ad bellum inflammando, agere Imperatorem: concedente facilè id muneris Alberto, quòd eius dotalis esset, qui propugnabatur, Belgicus Principatus: an ut nouitas rei descendens in animos altiùs, vehementiùs persuaderet? Ergo vultu in parem maiestatem, comitatemque composito, ad hunc ferè modum est elocuta.

Isabellæ côcio ad Milites.

Aitsingeri Côtinuator. Campana. Gaspar Ens. Grotius. Botereius. Thuanus. Carnerus. Bentiuolus.

In dubiam belli aleam, Milites, itis; sed propè certâ cum spe victoria. Id sanè vestra pollicetur virtus tot annos spectata in Belgio, celebrata in Europâ; tot exercita conflictibus, tot triumphis nobilitata. Quales ad hanc diem fuistis, tales non dubiè mox etiam vos exhibebitis. Eadem causa bellandi: Catholica Religionis defensio: vestri Regis læsa maiestas: nostra quòque recuperanda ditio, tuenda existimatio. Iidem Hostes, qui simul Hostes Fidei, Principi suo rebelles, & in utroque crimine contumaces. Idem vobis in pectore vigor, in manu robur. Quidni ergo eamdem speretis, quam toties & meriti, & consequuti estis, exitûs felicitatem? Agnosco vestris in vultibus futuri læta præsagia. Alacritas ista præter solitum emicans sequacem trahit victoriam, ut nunquam antea, gloriosam. Verùm & alia præter gloriam, præter opima Hostium spolia, persoluentur à nobis præmia virtuti vestræ. Neque ea modò, quæ Solraus, & Herrera polliciti vobis sunt, abunde suppetent; sed ampliora multò ab Archiduce Sponso, atque à me pariter in huius beneficij gratiam rependentur. Et si, quidquid est apud me gemmarum, mundique muliebris, ad vos remunerandos impendi sit opus; non equidem eis parcam. Inaures hasce ipsas(simulque cum dicto digitum ad eas intendit) *auribus detraham: nè de præmijs vestræ fortitudini debitis quidquam detrahatur. Ite igitur, Deo duce, suamque causam iuuante: ipsius, & nostros Hostes animosè inuadite, strenuè cadite, feliciter debellate. Pro tam iustâ causâ pugnare, quid est nisi vincere?*

Eius efficacitas.

HAEC Isabellæ verba augusto quidem oris habitu, sed obsecrantis instar, pronunciata, tantos in audientium Militum animis motus excitarunt: ut continere se non potuerint, quin sublatis altè clamoribus Infanti vitam, & gloriam iterum, iterumque precarentur. Tùm displosis undique sclopetis iam se paratos ad prælium profitentes, aut ex eo se Victores reuersuros, aut

b in

in eo se fortiter occubituros spondebant. Sic inflammato, & inhiante pugnam Exercitu, Gandauum Isabella reuertitur. Albertus ut animet exemplo, quos agit imperio, cum ijs in Hostem progreditur; haud indignum Principe ratus, obiectare bellicis periculis caput, eamdemque cum suis subire fortunam. Cùm ergo exeunte Iunio Brugis uniuersus Exercitus conuenisset; prima deliberatio fuit, ut intercepta ab Hoste munimenta reciperentur. 1600.

Munimenta recuperantur.

AVDENBVRGVM principio itum est; cui tuendo Pironius præerat cum haud leui Præsidio: quod paulò antè memorauimus. Verùm uti sæpe viciniora pericula sunt, quando minùs timentur; alia tunc ille cogitabat omnia, quàm Hostis aduentum. Quare centurias Peditum aliquot, omnemque propemodum Equitatum ad agendam ex agro circumiacente prædam immiserat. Vbi verò se ex improuiso circumsideri ab inimico Exercitu vidit, non parum animo consternatus; quæ à viribus tam subitò non poterat, ab astu comparare subsidia decreuit. Vt igitur trahendo moram, spatium sese ad defensionem instruendi captaret, cum Augustino Herrera primùm, deinde cum Ludouico Velasco, postmodo cum alijs agere studuit de munimenti reddendi conditionibus. At quod moliebatur in speciem, re ipsâ præstare, hoc est deditionem facere, omni destitutus auxilio coactus est. Calendis itaque Iulijs cum Hoste conuènit; ut Præsidiarij inde migrarent cum sarcinis, & armis, non tamen succensis fomitibus; atque Ostendam incolumes deducerentur. Præstitit id Velascus egregiè: alioquin futura in summo discrimine Pironij, ac sociorum vita. Tantus aduersùs Hostem ardor in pectore Militum gliscebat.

Audenburgum ultro deditur.

POSTRIDIE superuenere Castris tria Peditum millia, & Equitum turmæ aliquot è Præsidijs Artesiæ, locisque finitimis collectæ. Atque Exercitu procedente, recentes ab secessione Milites, quò præteritam contumaciam præsenti virtute corrigerent; enixè petierunt ab Archiduce, atque impetrarunt, ut primam aciem tenerent, ac soli Snascherckam munimentum oppugnarent. Id verò peregere tam acriter, ut nullâ Præsidiarijs permissâ sese tuendi facultate, ad unum omnes trucidauerint. Et quamquam Archidux tam prouidè, quàm clementer ad eorum vitam seruandam Fridericum Thserembergium cum imperio legasset; seriùs tamen, quàm opus erat, Sospitator aduenit. Occidionis eius terrore perculsus Præfectus Bredenensis Præsidij Brugesius, alieno doctus malo, munimentum in potestate Hostium relinquens, Ostendam confugit.

Snascherckam soli seditiosi expugnant.

INI-

1600. INIMICI agminis eò usque progressi, ac superatis obicibus iam imminentis, Nuncius à Pironio transmissus Vagemannus Centurio, intempestâ ferè nocte ad Mauritium peruenit: qui prope Neoportum Castris metandis operam per id temporis dabat. Vix ille principio credere, Hostem tam rapido, feliciqueꝫ progressu sua munimenta recuperasse. Sed neque sibi persuaderi passus esset, Albertum ipsum ad prælium cum Exercitu prodijsse; nisi pacta deditionis à Pironio transactæ illius manu firmata fidem fecissent. Igitur nil immorandum ratus, quòd Hostem itinera Ostendana interclusurum prospiciebat: ei priùs obstruendam censuit viam ad ea loca penetrandi. Quare statim Ernestum Comitem Nassauium Leffingam transmisit: duas ei Legiones adiunxit, Scotorum alteram sub Edmundo Tribuno, alteram Zelandorum, cui præerat Carolus Vandernotius: easdemque turmis Equitum quatuor roborauit. In mandatis dedit Ernesto, ut pontem Audenburgo, Albertinoque munimento interiectum occuparet: ac traiecturas illac Archiducis Copias morari omni ope, ac vi conaretur. Verùm ubi eò, quamuis celeritate maximâ, peruênit Ernestus; iam pontem, atque aditus omnes animaduertit ab Hostibus teneri. Quamobrem in eorumꝫ conspectu positus, cùm subterfugere conflictum se non posseꝫ videret; suas Copias conglobatas in cuneum contraxit, ut eâ ratione imminentem Hostem aliquandiu sustineret: donec maior Militum numerus subsidio accurreret.

Historici, qui suprà. MANE erat Nonarum Iuliarum, cùm Catholicus Exercitus in Ernesti Milites irrupit: utque hi longè pauciores; obruti, oppressi, ac penè omnes cæsi sunt. Duo tormenta cum signis omnibus abducta. Victores Hispanos ferunt à prospero successu ferociores, concepto iure iurando spopondisse, neminem ex Hostibus viuum se dimissuros, præter Mauritium Comitem, ac Fratrem eius Henricum Fridericum: illius vitam bellicis virtutibus; huius florenti ætati condonando. Sed hæc iactantia nimirum fuit, satis Militibus familiaris. At Mauritius ob aduersæ rei nuncios, incumbentemque iniquo suo tempore Hostem, magno curarum æstu iactabatur. E Militibus multos in postremo Leffingensi conflictu amiserat: plures per varia Præsidia distribuerat: atque ad Ostendanum præsertim, aduersùs vicinum periculum confirmandum, reliquerat ingentem numerum. *Ernesti Nassaui Copiæ à Catholicis profligantur.*

IGITVR euocato militari concilio, de præsenti necessitateꝫ ab eo relatum: decretumque tandem, ut acie instructâ contra Hostem iretur. Iussit propterea, Copias in eam fluminis ripam, quæ Boream spectat, reduci: naues omnes è portu soluentes in *Mauritius præliari statuit.*

altum auehi; tum ut suis spem omnem fugæ præcideret, animosque faceret necessitate ultimâ vel vincendi, vel moriendi: tum nè ab æstu destitutæ, Præsidij Neoportuensis in potestatem venirent. Fratrem etiam Henricum annum ætatis agentem sextumdecimum enixè hortatus dicitur, ut *Ostendam sese reciperet: si quid sibi in eo prælio humanitus accideret, Fœderatorum Exercitûs in imperium successurum.* At Iuuenis generosus, non virtute minùs, quàm amore se Fratrem probans, constanter asseruit: *In tam pulcro discrimine nolle se à magno Germano minorem, ac Militem ab suo Imperatore disiungi: sed cum eodem & viuere se paratum, & mori.* Quâ magnanimitate Mauritius oblectatus, ad instruendum Militem se totum impendit. Illud quòque solerter egit, ut qui de illatâ Ernesto clade aderant Nuncij, procul asportarentur ad naues; vetueratque pœnâ capitis intentatâ, nè cui Militum eum infelicem exitum patefacerent: probè sciens, quantas excire soleant in Castris trepidationes rei ab suis improsperè gestæ sparsi rumores. 1600.

Henrici eius Fratris generositas.

ALBERTVS interea Leffingensi victoriâ, quamuis haud ingenti, spem tamen faciente maioris, & quasi felici auspicio totius belli, lætatus adeò fuit; ut celerem de eâ Nuncium ad Isabellam transmiserit, eidem scribens, *Suâ se manu primam Hostium aciem cecidisse.* Quamobrem statim Gandaui, Brugis, alijsque finitimis locis publicæ, & solemnes lætitiæ significationes passim datæ. Verùm, quia non initia, sed exitus belli victorem declarant; de faciendo contra Hostem progressu censuit Archidux bellicum Senatum è vestigio consulendum. Dictæ in eo sententiæ variabant.

Archiducum lætitia de prosperis initiis.

Albertus de Hoste inuadendo cõsultat.

FRANCISCVS Mendozza, & Gaspar Zapena, à frequentibus bellorum experimentis cauere docti magis, quàm audere; hoc est tuta potiùs sequi, quàm speciosa: nequaquam eo temporis articulo inuadendum Hostem existimabant. *Ad eius namque Castra horæ unius, ac dimidiæ superesse iter. Eò peruenturas Copias ab eiusdem diei profectione, & certamine tam recentes, ut nonnisi fessis admodum, atque adhuc anhelantibus, esset prælium ineundum. Partem aliquam Exercitûs desiderari, quæ retrò substitisset: eam postmodum adfuturam, & cum reliquis, ubi quiete refecti fuissent, rem alacriùs aggressuram. Quam verò belli peritiam suadere; ut non exploratis antea viribus Hostium, in eos impetu, non consilio irrumpatur? Hollandos autem ex inopinato pugnare coactos, animos ex ipsâ desperatione sumpturos; & quod sæpiùs euenire solet, acerrimè dimicantes, successum prosperum habituros. Neque abesse periculum, nè Catholici Milites ultrà progressi, hinc à Mauritij Copijs, illinc ab* Osten-

Dissuadetur ab aliis.

1600. *Ostendanis Præsidiarijs, quibus iam iam adiungi cum alijs Hoënloium fama erat, intereluderentur. Quantò consultius fore, Diui Alberti propugnaculum recuperare; mox viam Ostendam versùs ita paulatim occupare, ut Hostis vel turpi fugâ se in naues recipere, vel in pugnam sibi parum æquam descendere cogeretur. Eum verò receptum quàm ignominiosum illi futurum: imò etiam quàm periculosum, inimico Exercitu premente, neque parcente ferro; dum Milites, dum impedimenta, dum bellicus omnis apparatus, qui iam expositus in terram fuerat, & contra Neoportum instructus, transportarentur in naues? Incredibilem profectò fore vel Hollandorum felicitatem, vel Catholicorum inertiam; si ab his illi incolumes dimitterentur.*

CONTRARIAM omnino sententiam alij tuebantur; & Claudius Barlota præ cæteris, ardentis vir ingenij, periculique omnis contemptor: cui plerique Hispanorum consentiebant, iique præsertim, qui tumultuati fuerant, non unâ materie contenti, abstergendi claris operibus pristini facinoris labem. Iactabant hi vetus illud, ac peruulgatum: *Occasionem in bello, ut ubi maximè, à fronte capillatam statim atque se offerat, arripiendam. Ardori Militum ab recenti victoriâ alacriorum, pugnamque cupidissimè poscentium, in tempore obsecundandum: neque sinendum, ut vel interiectu temporis relanguescat, vel non expleta cupiditatis dolore penitùs extinguatur. Hostem tunc potissimùm inuadendum, cùm subito terrore perculsus vix habet spatium instruendi sese, arma rapiendi, animum colligendi. Eumdem ab recenti clade turbatum facillimum fore opprimere, ac debellare. Indignum videri virtute toties exploratâ, tam paratam prædam, spolia tam opima pati, si minùs per socordiam, per nimiam certè cautelam è manibus elabi. Ipsis verò Militibus quàm iniuriosum futurum, si hostilis Exercitus propè in conspectu, pugnæ aleâ minimè tentatâ, diuertantur aliò, quasi eorum viribus, ac fortitudini sapientissimi Duces haud quaquam fidant. At enim innumerabiles esse Hostium Copias, percrebuisse rumorem. Vanus, an verus ille sit; Hispano ibi prouerbio locum esse: Quantò plures Mauri, tantò maior victoria. Neque verò expectandum, ut qui abessent ab Exercitu Milites conuenirent: namque hostilia pariter Castra processu temporis auctum iri. Quippe & ex Angliâ illis fœderatâ, & ex confinis Galliâ Copias in dies submitti. Neque tantum spei reponendum in Hostium ad naues receptu, recessuque à continenti. Cessuros interim eos impendenti discrimini: sed mox amplificato numero animosiores, atque ab omni parte instructiores, reuersuros. Denique in tantâ Militum alacritate, ac desiderio dimicandi, in tam apertâ Hostium consternatione; sub oculis Principis sui, quem haberent non solùm Spectatorem magnorum operum, ac Remuneratorem; sed & Ducem; &*

Ab aliis suadetur.

Ma-

Magistrum bellicæ virtutis; non tam ad ancipitem pugnam, quàm ad certam victoriam properari. His, ac talibus incitamentis, summus per uniuersum Exercitum emicabat impetus præliandi. At qui seditionem nuper induerant, præ cæteris fremebant, moræque impatientes stare loco recusabant. Inter utramque sententiam ambiguus adhuc animi pendebat Albertus: cùm subitæ rei euentus (qui maximum habere solet in bello momentum) labantem eius mentem in Hostem impulit. 1600.

Archidux à falsa opinione adducitur ad pugnandū.

LITVS maris tenebant Castra Catholicorum: dumque de capiendo consilio deliberarent; obiecit sese oculis ingens numerus hostilium nauigiorum; quæ ob varias opportunitates Neoporto ferebantur Ostendam. Atque uti facilè inducuntur in animum, quæ ex animi sententiâ sunt: credidit Archidux, alijque, naues illas in promptu esse ad Fœderatorum Exercitum, è Flandriæ finibus recedentem, in Hollandiam reportandum. Igitur ad Hostis, ceu fugientis terga premenda, longè impotentior in animis militaribus excitus est ardor. Eum non ultra cohibendum Albertus censuit. Quare Petro Gallego supremo, ut appellant, Commissario (id muneris pro Landriano sustinebat, Bruxellis ægrotante) iussit, ut Copijs præiret cum Equitibus ferè sexcentis: Hostiumque statum, & consilia diligenter exploraret. *Iidem Historici.*

Exercitus Catholici dispositio.

In primâ verò acie nuper seditiosi procurrebant, haud passi ab alijs se præuerti, cum eo, quem sibi elegerant, Ductore. Sequebantur Monroij, & Bastoci cohortes: quas Equitum alæ circumfusæ muniebant. Medium locum tenebant Villarij, Auali, Barlotæ Legiones, ac reliquus ferè totus Exercitus. Agmen denique claudebant Zapenæ, Buquoij, aliorumque signa. Equitatûs pars maxima ad læuum cornu vergebat. Hoc ordine Catholicus Miles irrupit in Hollandos. *Vanguardia.* *Battaglia.* *Retroguardia.*

Mauritiani forma.

MAVRITIVS contrà, Hostem aduentantem opperiens, acies suas in hunc modum instruxit. In Exercitûs fronte Franciscum Verum, Tribunum Anglorum Militum, & frequenter exploratæ virtutis Virum, cum ipsius, & Frisio Peditatu collocauit. Mediam aciem regebat Georgius Berardus Solmensis Comes. In eâ dextrum latus Heluetij, sinistrum Vallones obtinebant: Galli utrisque interiecti. Postremum agmen è varijs pariter Nationibus conflatum Oliuerius Tempelius Corbequij Dominus moderabatur. Equitatum, cui præerat uniuerso Ludouicus Guntherus Comes Nassauius, per totum ferme distribuerat Exercitum: ut à fronte, à lateribus, ab tergo Pedites obuallaret. Ipse Mauritius, quamquam paratus in omnem partem, quòcumque res vocaret, excurrere: in medio tamen Exercitu, tanquam in *Văguardia.* *Colonnello.* *Battaglia.* *Suizzeri.* *Retroguardia.*

1600. corde anima, conſiſtebat unà cum Henrico Fratre, ſpectabilique principum Virorum corona. Aderat namque Ioannes Adolphus Holſatiæ Dux, Ioannes Erneſtus Analthinus Princeps, Colignius Comes, magni quondam Archithalaſſi Gallici Nepos, Graius Anglicus Princeps, alijque ingentis ſpei Iuuenes, qui militarem ſcientiam in eâ belli paleſtrâ ſub tanto Magiſtro condiſcebant. Omnes hæ copiæ Fœderatorum quatuordecim Peditum millia, Equites bis mille, & quadringentos conflabant: cùm planè dimidio minor numerus eſſet Equitum Catholicorum. Et iam in conſpectum venerant Exercitus ambo, quatuor ſuperantibus ad noctem horis: quùm Mauritius, ut nullam Imperatoris optimi partem omitteret; ſuas acies obequitando, ſic illis animos facere. *Noſtra eſt, inquit, victoria, Milites, quam ipſemet Hoſtis nobis unà ſecum in manus tradit. Quantò is numero minor, tantò robore inferior. Quin etiam ab recenti prælio feſſus, à præcipitato itinere anhelus, non cautus venit, ſed cæcus ruit in pugnam; an veriùs in cædem? Tumultibus aſſuetus, nunc quòque tumultuariò rem aggreditur. Si quid conſilij, ſi quid ſanæ mentis haberet; non ultro in noſtros gladios incurreret, induceretque ſeſe in noſtras acies, velut in retia, unde difficulter expedire ſe poſſit: ſed potiùs noſtra inter Caſtra, & Oſtendam ſe interponens, atque undique communiens, ſedendo vinceret, ac ſine bello nos debellaret: quippe quibus, aut hîc obſeſſis fame pereundum, aut turpi fugâ recedendum foret. In ipſo verò receſſu quantum incommodi, ac detrimenti afferre potuiſſet! Hoc Hoſtibus ſalutare conſilium nimius pugnandi ardor interuertit. Sed pugnent licebit quantum velint, imò & pluſquam velint. Non ignaras arma tractandi, neque ad prælia rudes inuenient noſtras manus. Aliàs, & frequenter Hiſpani malo ſuo didicere, quid noſtræ valeant dexteræ. Nunc verò, ut plus aliquid audeant, non ſolùm, quam mente præſagio, victoriæ ſpes hortatur; ſed ipſa, quæ nos cogit fortiter facere, etiam deſperatio. Niſi vincamus, ad unum omnes perijmus. Procul amandatis nauibus, nulla ſalus in fugâ. Hinc Oceano, illinc hoſtili Exercitu circumſidemur. Sola nos victoria internecioni poteſt eripere. Sic planè nobis una ſalus in deſperatione ſalutis.*

Ammiraglio.

Inſignes in eo Viri.

Mauritii ad Milites concio.

IN litorali arenâ Exercitus uterque conſtiterat, non longè ab eâ parte, quàm æſtus maris reciprocans alluere ſolet. Hîc verò per uniuerſam Flandriæ oram cumuli quidam arenarum aſſurgunt, quos tanquam aggeres à naturâ crederes excitatos, nè aquarum æſtuantium vis adiacentem terræ planitiem inundet. Eos cumulos Indigenæ patriâ voce Dunas, ut alibi diximus, appellant. Flantibus ventis arenæ ſublatæ diſperguntur, ingens prætereuntibus incommodum. Prudens locorum Mauritius ita

Loci ſitus, ubi pugnatum.

Fœderati Milites melius collocati, quàm Catholici.

ſuas acies diſpoſuerat, ut ad tergum haberent mare, Hoſtem à fronte. Quo factum, ut cum à pelago ventus excitus arenarum quaſi procellam commoueret: eæque tum ab æſtiuo tempore (Iulius quippe menſis agebatur) tum à meridiano Sole incaluiſſent; Exercitûs Catholici aduerſam faciem torridus puluis acriter infeſtaret. Ad Occidentem præterea Solem inſtiterant Fœderati: Hoſtes ad Orientem. Quare trans meridianum, vergentis ad occaſum Solis radij Catholicorum oculos feriebant. His eorumdem incommodis accedebat, quòd celſiores arenæ tumulos Mauritiani occupauerant. Atque in quibuſdam etiam tormenta diſpoſuerant, ad eam partem directa, quâ irrupturus Hoſtis erat; itàque diſtributa, ut partim frontem, partim latera quaterent. Ea verò nè cedente ſabulo ſubſiderent, impoſita fuerant cratibus, aſſeribusque. Sic ab omni parte munitum Hoſtem Copiæ Archiducis aggreſſæ ſunt.

Ammutinati. Dame. Scaramuccia.

PRIMI omnium irruerunt auidiſſimi pugnæ Equites nouiſſimè tumultuati, quos Archithalaſſus Mendozza per eum campum deduxit, qui cumulos arenarum, & mare interiacebat. His obuiàm Ludouicus Naſſauius proceſſit, ac leui velitatione proludens, dum paulatim retrocedit, uſitato militiæ aſtu, Hoſtes in locum trahit, ubi bombardarum ictibus obnoxij forent. Ipſi quòque ſua diſploſere tormenta: ſed quòd nihil eis ſubſterni curauerant, ac ſuper arenâ ſtatuerant; illâ ex impetu, & grauitate molium fatiſcente, deſederunt in ſabulo immota, ac prorſus inutilia. Tanti eſt ad belli ſucceſſus locorum notitia. Fulminantium rectà, atque ab latere bombardarum terrore, periculoque perculſi Equites Archiducis, qui prætergreſſi fuerant, ſtatim inflectere curſum, inde refugere, atque ad reliquum Exercitum ſe recipere: idque non ſine perturbatione Ordinum factum. Magnopere ſanè Mendozza laborabat, ut eos à fugâ cohiberet, & contra Hoſtem ſtare compelleret. Sed generoſis hortatibus aures obſtruxerat præſentis vitæ diſcriminis iniectus timor. At qui eum Equitatum ſubſequebantur Pedites, ipſi quòque malum inſtans vitantes, conati ſunt, ſed fruſtra, unum è tumulis ſabuloſis aſcendere, atque ex eo inſidentem Hoſtem deturbare. Felicior aliorum Peditum exitus fuit: qui collem alium eiuſmodi tenuerunt, Fœderatis inde non ſine ingenti cæde reiectis. Quo ſucceſſu alacriores, contenderunt & alium ſuperare tumulum, cui quinque tormenta impoſita magno erant Catholicis Copijs detrimento: verùm, quòd is erectior erat, atque inæqualis, & quòd arenæ ſub pedibus fatiſcenti laborioſum erat admodum inſiſtere, præſertim in aſcenſu; nunquam ad ſummum euadere po-

Equites Archiducis principio fugantur.

File. Fermare. Far fronte.

1600. potuerunt, neque ex æquo cum Hoste dimicare. Sed pro loci conditione, ancipiti certamine diutius vir virum oppugnauit. In primâ Hostium acie Verius Tribunus obuium habuit cum suâ Legione Monroium. Vterque Peditatus diu, multumque deprœliatus est, neutram in partem magis inclinante victoriâ. Displosis utrinque sclopetis, ad manus, gladiosque ventum est. Varijs ex utrâque parte stimulis ad mutuam cædem agebantur. Animorum ardor, honoris cupido, odium, ira, spes, desperatio militarem vim inflammabant. Nunc hi, nunc illi repulsi referre pedem cogebantur: at mox ijdem, qui retrocesserant, superfusis sociorum auxilijs roborati, animosque cum viribus resumentes, eos, qui propulerant, propulsabant: fluctuare videbantur acies, in hanc atque illam partem mutuâ reciprocatione iactatæ; alternàque vice victrices, & victæ. Hispanorum præsertim Peditum, qui secessionem Diestæ fecerant, alacritas, fortitudo, constantia palmaris fuisse fertur. Equitum impar virtus; vel quòd essent primâ illâ tormentorum impressione consternati, vel quòd promptiorem haberent opportunitatem effugiendi.

Inter Pedites ingens conflictus.

IAM verò tempus erat, quo maris æstus undas ad litora longiùs, latiùsque profundebat: inde factum, ut amborum Exercituum Copiæ ex occupatâ planitie in proximos quosque cumulos arenarum se recipere properarent. Hîc etiam seu sors, seu ratio melior Fœderatorum fuit: ut ventum, ac Solem à tergo haberent, quos Catholici patiebantur aduersos. Naues quòque præsidiariæ quædam Mauritij iussu, quàm proximè poterant ad litus inuectæ, tormentis Hostem ex obliquo petebant. Adeò cuncta Mauritianis secunda, Archiducis Copijs infesta videbantur: ut iam tùm sapientiora probaret exitus, quæ proposita fuerant, cautiora consilia. Adhuc tamen utrinque pugna gliscebat; ex ijs, in quos se reduxerant, arenæ tumulis agminibus magno animo dimicantibus. Iamque Verius Tribunus duplici, nec leui vulnere saucius, omnibus ferè Commilitonibus, qui stabant in principijs, internecioni datis, vix coërcere poterat subsequentes, ut suos Ordines seruarent. Tandem excedere prœlio coactus est, aduenientibus præsertim cum ingenti Subsidio Horatio Fratre, ac Ludouico Nassauio: qui labantem restituère aciem, atque in Hostem audaciùs ferri compulerunt. Media quòque agmina, quibus præerat Solmensis Comes, ab Archiducis Copijs ita premebantur, ut iam declinare inciperent; nisi tempori submissum à Mauritio auxilium periclitantibus subuenisset.

Verius vulneratus discedit.

Vãguardia.

C Nec

NEC minùs acriter in eis collibus pugnabatur, ubi collocata Fœderatorum tormenta: parumque abfuit, quin eis Hispani à Zapenâ ducti potirentur. Id periculi conspicatus Mauritius, extemplo turmas aliquot subsidio mittit: quæ Hispanorum in latus è transuersò irruentes, penè certam ex eorum manibus victoriam extorsisse dicuntur. Incredibilem fuisse utrinque cædendi rabiem, memoriæ proditum est: omnibus passim locis sanguine, & cadaueribus, horrendoque spectaculo fœdatis; ut vel ijs, quos tum animi magnitudo, tum præliorum experientia ad omnem firmarat constantiam, inusitata rei facies, si minùs terrorem, stuporem certè insolitum crearet. 1600.

TRES iam horas, aut quatuor atrox pugna tenuerat: & quamuis omnia, uti diximus, Hollandis contra Catholicos coniurata viderentur: hi tamen extremam lassitudinem corporis inuictâ virtute animi sustinentes, victoriam adhuc ancipitem ad suas partes pertrahere conabantur. Pro denis ipsorum extinctis viceni, tricenique cadebant ex Hostibus. Bina quòque tormenta, illis erepta, in eosdem assiduè displodebant. Iamque in occasum Sole præcipiti, utraque acies, ut vincendo diem, ac prælium coronaret, supremas omninò vires contendebat: cùm ex improuiso Galli Equites Loricati ferè sexcenti, qui post unnm è collibus arenarum latebant in insidijs, repentè proruperunt in Hispanos: & ipsi quidem integri virium in hos iam dimicando fessos, ac deficientes. Quamobrem sustinere Archidncis Milites tam subitum, inopinatum, ac furialem impetum nequierunt. Accessit quòd primis horum Ordinibus, eâ impressione factâ, terga vertentibus, Mauritiana Castra uniuersa victoriam proclamarunt: & quæ stabant ad litus naues, lætissimis vocibus resonuere victoriam. Quo clamore uniuersus Catholicorum Exercitus planè consternatus, animos prorsus abiecit, ac sese in fugam effudit.

Galli ex insidiis prodeûtes Archiducis Copias debellant.

ARCHIDVX verò, qui toto conflictûs tempore non modò partibus absolutum omnibus Imperatorem se gessit, sed etiam strenuum, & multis expertum prælijs Bellatorem; in hoc postremo casu nulli pepercit vel subsidio, vel industriæ, vel etiam periculo suo; ut fugientes sisteret, perterritos animaret, dilabentemque aciem restitueret. Ipsemet nudatum gladium præferens manu, in omnem partem accurrebat, increpando, monendo, hortando, pollicendo, animos non minùs exemplo, qnàm verbis faciendo. Sed omnis ars, & labor incassum. Nullum supererat desperato malò remedium. Nec fuit generositas tanta Ducis (ut contingere solet) vacua discrimine. Cùm enim galeam

Alberti magnanimitas, & constantia.

1600. leam depoſuiſſet, quò vultus Principis ab omnibus ſpectatus vel ardorem pugnæ Militibus affunderet, vel ſocordiæ pudorem: *Alabarda.* fortè accidit, ut haſtatæ ſecuris ictu in capite ſauciaretur prope dexteram autem. Quippe dum totus eſt in fugitiuo Milite retrahendo, colligendoque diſſipato, tanquam incurioſus ſui, qui curam omnem in ſuos verterat; Hoſtium globum medius incurrit: quorum unus vel euentu fortuito, vel immanitate barbarâ præfixam haſtæ ſecurim in eius caput adegit. Id ubi videre Didacus Mexia, qui ei erat à cubiculis, ac tùm velut ad cuſtodiam corporis proximus adſtabat, unàque Gaſto Spinula Bruuaij Comes, ſtatim elatis, atque interiectis enſibus non quidem ictum omnem defenderunt, ſed impetum tamen ruentis ferri repreſſerunt, nè grauiùs Archiducem læderet. Et quamquam leue admodum vulnus fuit: quia tamen in Principe nullum leue periculum eſt; precibus ſuorum, qui pauci circumſtabant, impulſus, ex dimicatione tandem ſe recepit in tutum: nè tanti Viri, vel cædes, vel captura Hoſtium victoriæ iam manifeſtæ ſupremum adderet cumulum, & Neoportuenſem cladem nobilitaret. Quare cùm oculis Militum ſe ſubduxiſſet, per uniuerſum Exercitum increbuit rumor, non vulneratum modò, ſed & ca- *Gaſpar Ens lib.11.* ptum ab Hoſtibus Archiducem eſſe. Nec defuit è Scriptoribus huius belli, qui traderet: unum quemdam ex Hoſtibus in Albertum impetu facto, audacter eius equi frænos arripuiſſe, eumque captiuum abducere conatum: Germanum tamen Iuuenem, indignitate rei commotum, conuerſâ in illum haſtæ cuſpide extemplo transfodiſſe. Alios exinde, aliosque facinus idem auſos; eosque ſex numero, aut ſeptem, ab vno Centurione, Cabeliauio nomine, trucidatos. Ita ſpatium Alberto datum è medijs Hoſtibus, iamque victoribus, euadendi. Quæſitum poſtea Centurionem, ut debita fidei, ac virtutis tantæ præmia referret à Principe ſeruato: nuſquam tamen repertum. Vnde intellectum, eum pro Imperatore ſuo vitam in manibus Hoſtium reliquiſſe. Infelicior Archithalaſſi Mendozzæ exitus fuiſſe fertur. Namque uno tantùm ex omnibus famulo comitante, ab hoſtili turmâ ex equo deturbatus, agnitus fuit ab Hiſpano, qui tùm in Caſtris Mauritij militabat. Hic præ metu adſtantium, qui Captiuum incolumem reſeruari nolebant, eum aliquandiu cælauit. Mox alter Hiſpanus Miles, ad Fœderatos pariter tranſgreſſus, Mendozzam ſtatim dignouit, quòd eius olim vel Miles, vel, ut alij ſcribunt, ſub Didaco Acuniâ Commilito fuerat. Illum ergo, ad ſe propiùs accedentem, Mendozza pro veteri conſuetudine rogat, ut vitam adimi ſibi nè patiatur. Morem Hiſpanus gerit, & cum

Idem in capite vulneratur.

Secedit è prælio.

Captus creditur.

Aegrè defenditur à ſtrenuo Centurione.

Mendozzæ vitæ periculum, & captura.

c 2 altero,

altero, duobusque prætereà Belgis, illum è circumfusorum Militum manibus ereptum ad Mauritium perducit. Lætus is tali accessione victoriæ, prædâque tam opimâ, duobus è suis Aulicis fidissimis custodiendum tradidit. 1600.

Alij insignes viri capti.

CAPTIVI quòque ex eo prælio ducti memorantur Tribuni duo Ludouicus Villarius, & Gaspar Zapena: Equitumque Præfectus Salmensis Comes. Qui duo postremi lethaliter saucij, paucos intra dies excesserunt è viuis. Captus etiam Feriæ Comes, Didacus Idiaquius, Ludouicus Monroius, Simon Antunius, Franciscus Ruizius, Ludouicus Dauila, alijque clari nominis, & militiæ Proceres. Ex Italis verò præcipui, Flaminius Villauerdius, Vespasianus, ac Decius Magij, Cornelius de Marinis, Ioannes Baptista Gambaloyta. Præfecti demum Militum, ac Signiferi plures quàm octoginta (octingentos nonnemo tradit, in quo humana laborat fides) cæteri Milites supra quingentos, quos omnes Rex Hispanus haud multò pòst redimi mandauit. Erant & ex Archiducis Aulâ nonnulli à Secretis, à Cubiculis, atque honorarij Ephebi. Eos Mauritius, ad se adductos, sine ullo pretiò remisit ad Albertum: ut palàm omnibus faceret, natum se Principem agere cum Principibus nosse: nec magis vincere, quàm uti victoriâ scire.

Campana. Carner. c. 9. Thuanus. Gaspar Ens. Haræus. Reidanus.

Reidanus l. 17.

Mauritius Archiducis Aulicos sine lytro remittit.

Hieronymi Rho Elogium.

INTER hos maiorum Gentium Captiuos illaudatus præteriri non debet Hieronymus Rho, qui non Belgium modò, sed Italiam quòque, Hispaniam, Sardiniam militaris virtutis suæ theatrum fecit. Hic ex veteri, ac generosâ Mediolanensi familiâ, ætatis anno decimoseptimo Belgico bello nomen dedit in centuriâ Ioannis Baptistæ Fratris natu maioris, sub Alphonso Aualo Legionis Italicæ Tribuno. Slusæ, atque alibi re bene gestâ, annuo stipendio super consuetum ab Archiduce Alberto cumulatus. Fratri Mediolanum reuerso in Centuriatu successit: atque in Arce Diuæ Catharinæ prope Syluam-Ducis tuendâ vulnus accepit in humero; fortiter agens, & patiens, ut egregium Bellatorem decet. In hac etiam Neoportuensi pugnâ ter saucius, plus collegit gloriæ, quàm spargeret sanguinis. Meritorum gradibus ad Legionis Tribunatum ascendit. Isendycam Flandriæ Arcem propugnauit. In Ostendæ obsidione Diui Philippi munimentum recepit. Rhenobergæ propugnaculum primus inuasit, & victoriæ viam aperuit. A Spinulâ Marchione, Virorum, ac virtutum æstimatore optimo, declaratus è tribus unus Exercitûs sui Præfectis magnanimitate præstantibus. In Italiam redux, à Comite Fontano Insubriam regente, supremus Legionis Instructor, & mox Tribunus creatus; dum Asta obsideretur

Campana l. 8. Gaspar Ens l. 21. Haræus anno 1600. Thuanus l. 124.

ab

1600. ab Hispanis, horum Exercitui adiunctus, unà cum eo Copias Hostium fudit. Postmodum in Vercellensi obsidione subsidiarios Milites, qui submittebantur ad Vrbem; & distinere studuit exstructis munimentis, obseptis viarum ingressibus, longoque aggere excitato; & perrumpere ausos profligauit. Ab Raynutio Parmensi Duce supremus Castrorum Præfectus declaratus, annisque undecim eo munere cum laude perfunctus; ab Odoardo eius Filio Felini Comes in Parmæ ditione cum Posteris renunciatur. In Hispaniam accitus ab Rege Philippo Quarto cum eâdem Præfecturâ, Fontis Rabiæ Vrbem in Cantabriâ obsidione liberauit: Diui Sebastiani Arcem muniuit: in alijs Hispaniæ partibus tam sapienter, ac fortiter se gessit; ut ab eodem Rege, præter actas literis gratias, Marchionis titulo fuerit insignitus, & Regius in re bellicâ Consiliarius electus. At omnibus hisce honoribus, ac muneribus præhabuit ipse solitariam vitam, Caroli Quinti Cæsaris inflammatus exemplo. Septem quippe annos extremos in Oliuetano Mediolanensi Cœnobio, à Diuo Victore denominato, cum Religiosis Viris traduxit; ut qui sæpe vicerat alios, de se denique triumpharet.

Petr. Io. Capriata lib. 3. Id. lib. 6.

MVLTI etiam vulnerati ex eo conflictu digressi, magnitudinis illius, & constantiæ suæ argumento illustri, quamuis misero, fuerunt. In his Archidux ipse, ut memoraui, non indecora vel summo Principi, retulit vulnera gloriosa. Saucius quòque Dux Aumalius: pariterque Buquoius Comes, ac Barlota; Vallonum Castris ambo præfecti: grauiùsque multò Rodericus Lassus cum Equitatum regens, qui ad custodiam Principis excubabat. Aualus verò Alphonsus Italicæ Legionis Tribunus, dum ante illam fortiter facit, tria excepit ab hastarum cuspidibus vulnera, quorum vi ad terram afflictus, inter cadauera iacuit aliquandiu, eis indiscretus. Mox viuus agnitus ab uno è famulis obequitante, in equum ipsius ab eodem impositus, inde proripuit sese. Famulus verò iniquam ab Hostibus recepit fidei tantæ mercedem, vitam ibidem amittens, ubi Domino seruarat: eò tamen in morte felix, quòd pretio sui sanguinis tam egregium Virum redemit. Pulcris alij multi vulneribus eâ die insigniti: uti Carolus Vicecomes, Felix Auellanus, Franciscus Vraus; longèque plures, quibus quantò cariùs ea pugna stetit, tantò gratiores Archiduces ad celsiora in dies militiæ munera viam aperuere: ut documento cæteris id esset, non parcendum honoribus erga eos, qui vitæ suæ pro belli honore non parcerent.

Alphonsus Aualus vix seruatus.

Serui fides in Dominum.

EXTINCTORVM in hoc prælio numerus à varijs Scriptoribus varius refertur. Alij tria millia ex utrâque parte recensent.

Cæsorum ingens numerus, & præstantia.

Alij

Alij bis mille quingentos è Catholicis, è Fœderatis sexies mille. Cui opinioni penè ex aduerso respondet ea, quæ tradit, illorum quinque millia cecidisse; horum bis mille quingentos. Alij duo millia occisorum Archiducis Copijs tribuunt, quatuor millia Mauritianis. Quicunque tandem certior fuerit numerus; magnum fuisse nemo diffitetur. Minor tamen ex numero iactura censenda est, in Exercitu præsertim Catholicorum, quàm ex præstantiâ, ac dignitate extinctorum. In eorum quippe serie memorantur, quà Hispanicâ Nobilitate, quà muneris auctoritate, ac nominis existimatione spectabiles: Franciscus ab Arcu, de quo suprà meminimus, Ludouicus Faiardus, Ferdinandus Zappata, Didacus Vlloa, Petrus Auila, Aloysius de Spartâ, Andreas Orticius, alijque complures. Hos inter militiæ gradibus insignes numerantur ab alijs supra centum quinquaginta; ab alijs ultra ducentos quinquaginta. Ex Italico verò nobili sanguine desiderium sui reliquere Marchionis Pallauicini Comensis Filius: & Marchionis Bentiuoli Frater Alexander, Filius Cornelius; Iuuenes ambo magnæ spei: ille Frater, hic ex Fratre Nepos Vidonis Cardinalis Bentiuoli; qui de Historiâ Belgici huius belli uniuersâ, ingenij sui monumentis Italico sermone illustratâ, bene adeò meritus est, ut quamdiu Belgium stabit, eius futura sit memoria immortalis. Perijt & Bonioannes Melitensis Eques, & Comes Latinus Prata, & Septimius de Fabijs ex vetustâ apud Romanos Familiâ. Atque ex undeuiginti Signiferis Italicæ Legionis sexdecim occubuere, duo grauiter saucij, captiuique, postremus pariter saucius vix euasit. Nec minima tam luctuosæ cladis pars fuit Hibernus Tribunus, cognomento Bastocus, bellator animi magni, spectatæque virtutis, qui cum plerisque Centurionibus suis, ingentique Militum numero cæsus est. Vexilla Peditatûs centum quinquaginta; Equitum signa tria, impedimenta, tormenta aliquot, & bellicus ferè omnis apparatus venit in Hostium potestatem. Qui tamen plus multò fecere compendij incredibili pretio tot Captiuorum, ac præcipuè Nobilium redemptorum. Non tamen omnino læta eis contigit, aut incruenta victoria. Siquidem & ex eorum parte plures quàm triginta Centuriones, alijque Præfecti militares cecidere; præter ingentem, atque ut aliqui censuere, maiorem quàm è Catholicis gregariorum Militum multitudinem. 1600.

Cladis huius Catholicorum causæ.

QVONIAM verò rei bene, vel malè gestæ causæ in medium productæ, documento sunt posteris, quid sequi debeant, quid vitare: huius tam infelicis Catholicis exitûs campestris prælij (cuiusmodi rarissima sunt in hoc Belgico bello uniuerso) va-

riæ

1600. riæ causæ ab Auctoribus traduntur. In eo tamen ferè omnes conueniunt, ut præcipua culpa Equitibus tribuatur; qui pugnæ principio bombardarum hostilium impressionem vitantes, nudatum destituere suo præsidio Peditatum. Huic namque vallum his temporibus nullum tutius est, quàm circumfusus Equitatus. Equites verò suo muneri propterea defuisse dicuntur, quòd ipsorum Præfecti, Ductoresque periri, quorum imperio multos annos assueuerant: Ioannes Contrera, Ambrosius Landrianus, Nicolaus Basta, procul aberant. Vt minimè mirum fuerit, sub nouâ administratione in raro bellandi genere Milites quamuis veteranos errasse: manifestò comprobantes, pluris faciendam in bello præstantiam Ducum, quàm Militum. Vitio quòque Catholicis Copijs vertitur, quòd totæ simul in Hostem incubuerint, minimè reseruatâ Exercitûs parte ad subsidium fessis, ac periclitantibus inferendum: quòdque fatigatæ à matutino conflictu, atque itinere citato, nouum certaminis laborem subierint cum Hoste recenti viribus, parato, locique, ac temporis opportunitatibus meliùs instructo. Mendozzam verò etiam illud causatum ferunt, quòd primi ad pugnam irruissent seditiosi; qui scilicet præ ardenti studio nuperæ labis diluendæ, magis impetu, quàm consilio ferebantur in Hostem. Quamcumque res improsperè gesta originem nacta sit prælium hoc inter cætera Belgica memorabile traditur; Neoporti, vel Dunarum nomine celebratum: in quo plus, quàm aliàs in Belgio, Militum, certè primariorum interemptum: victique ad extremum, qui propiores victoriæ fuerant. Hispani præ reliquis tantâ fortitudinis, & constantiæ gloriâ occubuerunt: ut antiquæ Romanorum virtutis æmulatores, quem viui pugnando locum ceperant, eum extincti corpore occuparent. *Hispanorum constantia.* *Salust. de Coniur. Catilinæ.*

ARCHIDVX ob euentum tam infelicem nihil animo fractus, aut sese minor (quod magnanimorum est) ad suos se recepit, qui Leffingæ ponti, viæque custodiendæ relicti fuerant. Ab suâ cohorte, varijsque Principibus stipatus, Ostendam prætereuectus extra bombardæ ictum, dissipatas Exercitûs reliquias collegit: maiorem tormentorum partem, & quæ intacta Hosti fuerant, impedimenta in tutum locum auehi iussit: suoque curando vulneri operam dedit. Hinc Brugas profectus, inde Gandauum: ubi ab amantissimâ Coniuge eò exceptus maiore lætitiâ fuit, quòd ipsum præuia fama nunciauerat, vel extinctum in prælio, vel captiuum. *Archiducis magnanimitas.*

AT Mauritius, quamquam non deerant, qui dicerent, persequendas belli reliquias, Hostemque dispersum penitùs profligandum: *Grotius.*

gandum: quia tamen sera nox incumbebat, multumque Militum absumptum; satius habuit tam insigni, ac penè desperatâ victoriâ perfrui, quàm quod reliquum erat, rursus in discrimen obijcere: cùm præsertim haud ignoraret, adhuc integra superesse Hostium quatuor millia, Germanos nempe à Velasco ductos; à quibus Copijs suis admodum imminutis, & prælio fatigatis, timere posset. Illud tamen in eo minùs probatum aliquibus, quòd nequaquam aut cauerit, aut obstiterit, nè bina subsidia sexcentorum priùs Militum, mox aliorum mille Barlotæ ductu Neoportum inferrentur, Præsidio tunc admodum inualidum, & cuius ipse obsidionem meditabatur. Igitur in eodem loco, ubi pugnatum fuerat, cum Exercitu victore pernoctauit. 1600.

POSTERA luce, ut languentem à bellicis laboribus, ac periculis Militem recrearet, Ostendam duxit. Ibi militare concilium habitum, quæsitumque, quò potissimùm arma vertenda. In obsidionem Neoportuensem consensere omnes. Quamobrem ubi tres dies ibidem quieti, ac refectioni Militum dati sunt, quarto demum Neoportum castra promota. Dum tamen Obsessores munimenta circùm erigere aggrediuntur, tam assidui è cælo fluxerunt imbres nouem dierum spatio, ut operibus manum admouere non licuerit. Eâ temporum opportunitate Catholici prudenter usi, per noctis tenebras in Oppidum transmisere Subsidia, quæ modò diximus. Nec minùs generosè in Hostem identidem erumpebat Ioannes Iacobus Comes Belgioiosus cum ijs, quibus præerat, Equitibus; Peditum tamen munus obeuntibus, quòd ibi Peditatu laborarent. Quibus difficultatibus permotus Mauritius, & quia Equitibus tutus non erat pabulandi locus; hostilis verò Exercitus penè redintegratus imminebat: ab illâ obsidione recessit, nondum tormentis è nauibus in terram exportatis. Ostendam ergo propiùs reduxit Militem: atque inter colles arenarum castra munitionibus cinxit, vicinam habens Classem, quæ Copias rebus omnibus abunde instrueret.

Mauritius Neoportum obsidet, ac paulò pòst discedit.

MAGNVM interea incommodum, & frequentia damna patiebantur Hollandi à Friderici Spinulæ triremibus: qui primus dicitur eas in Mare Belgicum induxisse. Hæ licèt haud plures quaternis essent, quia tamen eas quouis tempore ille promptas habebat, agilesque ad excurrendum in omnem partem; Hostium Classem, atque ab eâ pendentem terrestrem Exercitum, vehementer infestabant. Naues quippe commeatu, bellicoque apparatu onustas inuadi à suis Fridericus iubebat: & nautas quidem ad remum damnati, nauigia verò vel abduci, vel tormentorum

Fridericus Spinola valdè infestat Fœderatos.

Cenerus l. 14. c. 7.

torum

1600. torum ictibus demergi. Quod si ad hunc finem viginti saltem triremes in promptu fuissent; facile admodum futurum videbatur & Classem illam disijcere uniuersam, & Copijs reliquis, alimenta subtrahendo, extremam perniciem creare. Quod ubi animaduertere Fœderati, suas & ipsi triremes parauere, quas tum Spinulæ conatibus obiectarent, tum in Hostium aliorum damna conuerterent.

ALBERTVS verò Gandauo Brugas regressus, ibi quicquid effusum erat per loca circumiecta Militum recollegit; eique iungi mandauit Exercitûs parti, quæ sub Velasco, rei tormentariæ Præfecto, dimicationis expers fuerat: & Copias hasce omnes ad Neoportum tuendum destinauit. Quare Velascus eas deducens Dixmudæ substitit, in Oppido, quod trium horarum itinere Neoporto distat. At ubi Mauritium inde mouisse castra cognouit; ipse cum Peditatu migrauit Audenburgum: Equitatum verò Ardenburgum petere iussit, relictis in medio Brugis. Eo namque constituti loco poterant in omnem partem statim accurrere, quamcumque Hostis inuasisset.

NON cessabat Archidux Militem undique Brugas euocare, ex Geldriâ præsertim, ac Brabantiâ. Quin & Ambrosium Landrianum ad se accersiuit, nondum satis a morbo validum. Mauritius quòque ad supplementa Copiarum cogenda reuersurus in Hollandiam, tempus nauigationi commodum opperiebatur. Nè tamen otio torpere Militem interim pateretur: vel ab suâ existimatione alienum ratus, tot dies nihil agere: unum è munimentis aggressus est, quæ aduersùs Ostendanas excursiones, ut antea diximus, erexerant Hispani. A Diuâ Catharinâ duxerat nomen, Brugas inter, atque Ostendam situm. Aliqui tamen Scriptorum Isabellæ potiùs propugnaculum tùm inuasisse Mauritium tradunt. Instruxerat Albertus & Militibus, & commeatu, & omni bellico instrumento Diuæ Catharinæ munimentum, quod pro suâ belli peritiâ facilè oppugnatum iri ab Hostibus prospiciebat. Quò tamen eius expugnatio magis ardua foret, eòdem Barlotam Tribunum cum duobus Peditum millibus transmisit. Is inter ipsum propugnaculum, & Brugas Castris collocatis, ingentem excitandum curauit aggerem, cuius beneficio posset ad Hostem tutus accedere, eique multum inferre detrimenti. Adfuit quòque subsidio Archiducis iussu Fridericus Comes Thserembergius. Vtriusque iamdiu in bellis exercitâ virtute repulsus cum Exercitu Mauritius fuit, & coactus susceptum opus deserere.

Campana. Bentiuolus. Camerus. Zanarius. Gaspar Ens. Grotius. Haraus.

Mauritius D. Catharinæ munimentum inuadit.

ID antequam fieret, res accidit, quæ uti damni multum, ac

luctûs Catholicis intulit: ita gaudij tantumdem, atque emolumenti peperit Fœderatis. Dum enim Barlota cum Thserembergio, aliisque Viris primarijs extructionem aggeris perlustrat, ac recognoscit; improuisò displosus è mosqueto globus, in eius caput irrumpit: quo vulnere saucius, atque afflictus ad terram, repentè animam exhalauit. Et magnus quidem fuit uniuersi Catholicorum Exercitûs, ac præsertim Archiducum ex eâ iacturâ doloris sensus. Erat quippe Claudius Barlota vir generosus in paucis, difficultatum, ac periculorum contemptor; quique in arduis rebus aggrediundis nullum sibi præire patienter ferret. Patriâ Lotharingus, virtutis suæ suffragijs ex gregario Milite per omnes militarium honorum gradus ad Tribunatum euectus. Vallones aliquot annos magnâ cum laude gubernauit. Animosus magis, quàm cautus, accersere sæpè, non expectare mortem visus est: quæ tamen plerunque promptior est, quando minùs expectatur. 1600.

In eius defensione Barlota cæditur.

Eius laus.

Sed neque Hostes in eâdem unius propugnaculi oppugnatione expertes periculorum fuere. Ernesto namque Nassauio unà cum Aulico suo quodam obequitanti, emissus ex eo munimento globus, equum, cui insidebat, percussit, ac strauit: ipsum equino sanguine respersum vix incolumem dimisit: comitem verò cum subiecto equo simul extinxit. At Mauritius ibidem dies aliquot moratus, inde tandem recedere constituit: cùm præsertim summâ & pabulorum, & aquæ dulcis penuriâ laboraret Equitatus: & solis æstiui nimius ardor ex arenarum tumulis repercussus, equorum, atque hominum plantas valde torreret. Neque minoris ad eum summouendum ponderis erat: quòd suum videret Exercitum admodum diminutum; Archiducis verò Copias quotidie magis augescere, ac nouis viribus roborari. Quamobrem relictis Ostendæ tribus Peditum millibus, duabusque cohortibus Equitum, conscensis nauibus Zelandiam versùs iter arripuit.

Ernesti Nassauii periculum.

Mauritius recedit.

Hanc opportunitatem Hostis in receptu infestandi non passus est sibi è manibus elabi Fridericus Spinula. Imò ex artis peritiâ conijciens, Mauritium ut expertum Ducem, Classis partem postremam validissimè muniturum, quippe quæ Hostis ab tergo insequuturi iniurijs futura esset obnoxia: frontem verò minùs instructam dimissurum: nocte, quæ conscensionem præibat, cum suis triremibus Flissingam versùs, maritimam Zelandiæ Urbem, progressus est, ut venturas Mauritij naues expectaret. Nec fefellit opinionem euentus. Sub primam lucem in conspectum Spinulæ se dedit Fœderatorum Classis. In eam illico

Iidem Scriptores.

1600. triremes inuectæ impetum faciunt: tormenta displodunt: alia moliuntur hostilia: multum denique nauibus, multum Nautis, ac Militibus inferunt detrimenti. Multoque plus intulissent, nisi repentè ortus ab Solis Occasu ventus Classi secundior, quàm Spinulæ triremibus fuisset. Antea quippe, leuiore vento spirante, non poterant postremæ naues armatæ in subsidium primarum accurrere: mox autem eodem inualescente velociores, inuadere Hostium triremes conatæ sunt. At hæ proris conuersis, uti Slusæ portum, unde soluerant, repeterent; euitare nequierunt, quin per medias illas naues ferrentur, non sine aliquo, quamuis leui, damno. Ad terram tamen incolumes appulere: quò eas insectari Hostes non ausi; cautè subueriti, nè sua nauigia, quibus carina profundior, in sicco hærerent.

Eius Classem Fridericus Spinula laedit.

De Mauritio querelæ.

Reidanus l. 17. Campana in sue Histor. Belg. Laurius.

MAVRITII tam properus sine ullo lucro receptus plerisque Fœderatorum obtrectationum materiem, & querelarum dedit: quòd ad tam frequentem Classem adornandam, instruendamque tantum in commune factum sumptuum à Prouincijs esset: & nullus inde fructus ad eas rediret; cùm tamen in suscipiendâ expeditione promissum tam gloriosè fuisset, uniuersam Flandriæ maritimam oram Fœderatorum imperio subactum iri, atque eorumdem nauigationibus opportunè patentem fore. Multas præterea eiusdem Prouinciæ Vrbes eorum ditioni accessuras: quâ ex accessione consequuturum, ut & grauissimis tam assiduè contribuendi oneribus, & alendorum in suis regionibus Exercituum necessitate leuarentur. Ita nuperrimè reportata victoria plus nominis, & famæ (ut persæpe contingit) quàm utilitatis, & commodi peperit Fœderatis. Mauritius primùm in Zelandiam cum Classe profectus: inde in Hollandiam reuersus, per varias Vrbes, ac præcipuè Bergæ ad Zomam, Gertrudis-bergæ, Bredæ, ac Nouiomagi, ad quietem, atque in hyberna distribuit Equitatum: Pedites verò in interioribus partibus collocauit.

AT Archidux Albertus post recessum Hostium quatriduo Brugis moratus, ut quid ex eo noui nasceretur, propiùs obseruaret; Fridericum Comitem Thserembergium ei regioni custodiendæ imposuit, ad quam pugnatum fuerat, cuique Velascum paulò antè præfecerat: iussitque ea propugnacula reficere, & communire, quæ Mauritius labefactauerat. Adiunxit ei, præter Germanicas Copias, quibus præerat, tum Burgundicas Varambonij, tum Barlotæ Vallonicas. Velascum verò cum reliquo Milite proficisci voluit, & castra ponere Mechliniam inter, ac Liram: ibique consistendo, in omnem Hostium motum excuba-

re diligenter. Hæc prouidè accurantem Archiducem rursus Flandri, alijque Belgici Ordines obtestati sunt, ut Ostendæ obsidionem aggrederetur, magna pecuniæ, magna Militum adiumenta pollicentes, quò eâ vexatione prouinciam liberaret. Verùm Albertus nondum maturum huic operi tempus affirmans, & maiores vires, consiliumque diuturnius ab re tanta requiri, quæ iam aliàs difficultates præ se tulisset propè insuperabiles; eam expeditionem differendam censuit. Quia tamen aut hanc, aut aliam in annum subsequentem versabat animo; quò paratior, instructiorque prodire posset in campum, bellicum apparatum adornare decreuit. Iam Ordines centum aureorum millia in menses singulos ad bellandum obtulerant: iamque Henricus Gusmanus ex Hispaniâ reuersus pecuniæ non leue subsidium deportarat. Copias quòque uniuersas tum ob crebras seditiones, tum ob recentem ad Neoportum cladem, defectas, ac mutilas lustrauit Archidux, recognouit, suppleuit. Qui verò Hamontium secesserant Itali, post obstinatam aliquot mensium contumaciam, in easdem conuenere conditiones, in quas antea Diestæ seditiosi, atque in Archiducum obsequium reuocati, Verthæ stationes habere iussi sunt, eò ducti à Friderico de Afflictis, cum iam numero essent Pedites mille quingenti, Equites mille. 1600.

Albertus ad bellum se instruit.

NEQVE verò per hos apparatus belli, prorsus omissæ tractationes pacis: ut viam nullam Catholici relinquerent, quâ publicæ saluti, quieti, felicitati consuleretur. Imò eodem ferè tempore, quo ad Neoportum acerrimè dimicabatur; Iulio nempe mense, Bergam ad Zomam profecti sunt Legati Ordinum Brabantiæ, Flandriæ, aliarumque Prouinciarum Archiducibus parentium. Eòdem paulò antè conuenerant Fœderatorum Ordinum Delegati: quos omnes pari humanitate Baxius loci Gubernator excepit. Postridie utrisque congressis, Catholicorum Ordinum literæ sunt recitatæ, quarum hæc summa. *Nil salutarius Belgio, nil optabilius, quàm post tam diuturnum, ac perniciosum bellum stabilem, ac synceram pacem. Ad eam toto pectore comparandam, mitti illos à se Legatos. Hortari se vehementer, ut omni suspicionis, aut simultatis umbrâ submotâ, de eâ tàm ingenuè, quàm efficaciter agant. Neque communia tot Populorum vota pacem enixè poscentium, ac tanquam cælitus expectantium, frustrarentur.* His perlectis, Fœderati seorsim aliquandiu consultarunt. Tùm ad Catholicos reuersi, respondere inter cætera. *Fœderatos nec velle, nec posse cum Hispanis, aut eorum socijs ullius rei suscipere tractationem; nisi prius externus omnis Miles exigatur è Belgio. Quod ubi factum fuerit, sperari posse pacem aliquando inter Belgas coituram: eamque*

Tractatio pacis inter Catholicos, & Fœderatos.

Gaspar Ens. Grotius. Beyerlinck. Haræus. Reidanus.

Catholicorum literæ.

Fœderatorum responsum.

Reipu-

1600. *Reipublica formam inductum iri, in quâ nemini Religionis causâ vis afferretur*. Ad hæc subiecere Catholici: *Fas non esse, ut Fœderatis adhuc arma retinentibus, cæteri Belgæ armatis auxilijs spolientur*. Illi decantatum sæpè carmen in Hispanos occinere: Sed & Archiducum Principatum eo nomine carpere: *quòd potestas eius suprema penès Hispanos foret; cuius rei argumento esse, quòd si qui nascerentur Principibus Liberi, nonnisi ex arbitrio Regis Hispani inire connubia possent*. Plura ex utrâque parte subiuncta, magis tamen ad altercandum accommodata, quàm ad ullam sanciendæ pacis viam reperiendam. Quare de more sine ullâ deliberatione dissoluta congressio. Adeò plerunque tractationes huiusmodi pacis inter Principes, aut Nationes inimicas magis obtentui sunt, atque in speciem compositæ, ut Populorum querimonijs aliqua spes obtrudatur; quàm ex animi sententiâ studiosè quæsitæ: ac propterea tam vanos habent exitus, quàm ingressus.

Svb huius anni finem Flandri, ut ad Ostendanam obsidionem faciliorem viam Archiduci aperirent, à Spinulâ triremes emere studuerunt, aliasque complures fabricari. Mansit ille tamen in sententiâ, nondum aduenisse tempus ei molitioni opportunum. At Hollandis, naualis rei cæteroqui Magistris, non indecorum visum, talis militiæ aliquid à Spinulâ condiscere. Namque ipsi quòque Dordraci triremem ædificarunt longitudine passuum octo supra quadraginta: eamque tormentis quindecim obarmatam, Nigram cognomento dixerunt. Huius beneficio nauem suam à Slusensibus captam receperunt. Tertio verò Calendas Decembris bellicis aliquot nauibus eidem adiunctis cum Militibus ferè septingentis, aduerso Scaldi, Lilloum vectùs, Arcem Antuerpiensium, inuecti. Tùm Ordamum, Pagum ad fluuium, prætergressi; eorumdem Prætoriam stantem in anchoris, & bombardis octodecim communitam, inuaserunt. Igitur velis, remisque ad eam propiùs accedere conati, ferreum triremis rostrum ligneo nauis innexuerunt. Quo factò ita inter se cohæsere nauigia, ut loco moueri non possent. Quare Custodes Prætoriæ statim eiusdem rostrum abscidetunt. Mox interuallo facto, displosis utrinque tormentis sese mutuò petiere. Ac principio quidem ex Hollandis aliquot extincti: cæteri bis propulsati. Tertiâ tamen impressione, qui nauim tuebantur, & quòd longè numero erant inferiores, & quòd præter omnem opinionem oppressi, & quòd Gubernatore destituti; pauci à cæde superstites, relictâ Hostibus Prætoriâ, Antuerpiensem ad ripam enatarunt. Eam Hollandi tanquam in triumphum abducentes, duasque simul vectorias, quæ Bruxellas Antuerpiâ deferro

Hollādi exemplo Spinulæ triremes adhibent.

Eis Antuerpię naues abducunt.

ferre solebant, aliáque nauigia trahentes, in quibus tormenta 1600.
fuisse tradunt supra quinquaginta; Lilloum, atque indè in Zelandiam reuersi sunt. Magnos ea iactura tumultus Antuerpiæ conciuit: magnam Archiducibus indignationem commouit, propterea quòd insignem Custodiarum incuriam, socordiamque declarauit. Quamobrem Arembergium Comitem, supremum rei maritimæ Præfectum, Antuerpiam misere: ut super eâ re diligenter inquireret: eos, quorum culpâ tantum acceptum detrimenti foret, rigidè puniret: nè quid tale contingeret in posterum, prouideret. Is Nauarchum negligentiæ in eo compertum coniecit in carcerem: ut verò caueret in futurum; in ipsâ Scaldis ripâ nouum extrui propugnaculum iussit.

Ambrosij Landriani mors, & laus.

EODEM ferè tempore magnum passa est res Catholica damnum, vitâ functo Bruxellis Ambrosio Landriano, supremi Equitatûs Præfecti Locum-tenente. Luxit Exercitus Virum ingentis animi, rerumque præclarè gestarum famâ percelebrem. Doluit Archidux, prudentis consilij, fideique spectatæ Administrum ab se desiderari. Hominem denique Christianis virtutibus in armorum libertate mirabilem, ereptum boni omnes deplorarunt. In eo, quod gerebat, munere suffectus est Nicolaus Basta Epirota, qui Belgico in bello non mediocri cum laude meruerat, iam tum Albano Duce Belgas regente.

Initium noui Sæculi clarum ortu duorũ Principum.

INGRESSVS noui Sæculi, quo scribimus; annus nempe millesimus sexcentesimus primus, à Christo nato, gemino partu lætus, ac memorabilis fuit: quo duo Christiana Regna primaria & sibi tùm plauserunt, & salutari postmodum nexu coniugata sunt inuicem. Si quidem nono Galendas Octobris Philippo Tertio Hispaniarum Regi ex Margaritâ Austriacâ nata est Anna Maria: & quatriduo pòst Henricus Quartus Galliarum Rex suscepit ex Mariâ Mediceâ Ludouicum Decimumtertium. Hæc utraque beatissima, atque in diuerso Regno penè simul nata proles, ubi ad nubilem peruenit ætatem, fausto copulata coniugio, magnam spem Orbi terrarum fecit, Hispaniam, Galliamque perpetuò ferè secum pugnantes, diuturno pacis fœdere colligandi. Sed spes ea in irritum cecidit: quandò longè facilius est coalescere sanguinem Principum, quàm ingenia, mores, voluntates inter se discrepantium Nationum. Et ditionis vel tuendæ, vel amplificandæ studium omni affinitate vehementiùs humanos animos mouet. Hæc temporum felicitas à pace per Galliæ, Hispaniæque regales nuptias creata, reseruabatur anno eiusdem sæculi quinquagesimo nono, quùm Ludouico Decimoquarto in matrimonium ducente Mariam Teresiam Philippi Anno 1601.

Quarti

1601. Quarti Filiam; tot annos optata, & suspirata concordia inter duo potentissima Regna, cum Europæ plausibus uniuersæ, sancita est.

Mendozza agit de sua liberatione.

Anni principio Mendozza, qui Neoportuensem Catholicorum cladem insigniorem fecerat captiuitate suâ; ab Arce munitissimâ Vuordâ, inter Vltraiectum, & Lugdunum Batauorum sitâ, traductus fuit Hagam Comitis, tanquam in Regiam Fœderatorum. Ibi cum Ordinum Capitibus de suâ redemptione, ac libertate agere cœpit tantò vehementiùs, quantò propiùs. Antea quippe per Internuncios agitata res, lentum (ut euenire solet) negotium fuerat. Multi præter eum è Catholicâ Nobilitate Captiui (quos suprà memorauimus) detinebantur apud Fœderatos. Multi contrà ex horum ditione, quamuis ferè omnes conditione longè inferiores, in Hispaniâ, Lusitaniâ, alijsque Regnis Hispano subiectis, aut carceribus erant, aut triremibus mancipati. Quare de Captiuis utrinque permutandis eam inire conuentionem Ordines Fœderati: ut ipsi quidem Mendozzam, cæterosque ab se captos, constituto redemptionis pretio impenso, dimitterent liberos: vicissim verò quicumque sub Hispani Regis, aut Archiducis imperio belli causâ Captiui tenerentur ex Belgio fœderato, pristinæ libertati restituerentur. At Mendozza quinquaginta aureorum millia, quæ pro ipso redimendo Fœderati poscebant, persoluere recusabat: Captiuos verò Hispano, vel Archiduci subiectos liberare, non in suâ, sed in eorumdem Principum esse aiebat potestate: adeòque ab ipsis expectandum eâ super commutatione responsum. In eo quòque idem dissentiebat à Fœderatis; quòd hi Ludouicum Villarium, nobilem Hispanum, unà cum alijs statim dimitti nolebant, eum sibi vindicante Francisco Verio, à quo captus fuerat, ut ipsum postea cum Anglo quodam nobili, iamdiu in Indijs Hispanorum Captiuo permutaret. Mendozza verò quamprimùm eum liberari contendebat. Ianuario ferè medio tùm perlata fuissent Hispani Regis, Archiducisque responsa; de Captiuis utrinque restituendis firmata inter utramque Partem conuentio. Mendozza tamen se in libertatem asserere nondum potuit, Ordinibus postulantibus sexcentorum millium aureorum cautionem; ut omnibus, cum quibus conuenerant, conditionibus staretur. Tandem anno consequente tertio Calendas Iunias, tribus & viginti aureorum millibus persolutis, post captiuitatem mensium amplius viginti, liber dimissus est, ac Mauritij nauigio Antuerpiam perductus. Tantò pretiosior est, adeòque vindicatu difficilior, Principum, quàm priuatorum hominum libertas.

Vtrecht, Leiden.

PRI-

PRIMIS huius anni mensibus otium ab armis fuit: quasi spatium sibi sumeret utraque Partium ad pecuniam, Militem, atque omne instrumentum belli comparandum; ut paulò pòst optimè instructa posset maiora moliri. Ac Mauritius quidem, tempestate ad bellandum opportunâ iam appulsâ, Copias eduxit, easque prope Schenchianam Arcem recensuit. Tùm ad Hostis vires aliò, quàm quò ipse oppugnationem animo destinauerat, auertendas, Syluam-Ducis inuadere se velle simulauit. Mox verò celeritate maximâ omnem Hostis suspicionem, nedum subsidium anteuertens; Rhenobergam contendit, eamque ineunte Iunio cinxit obsidione. Ex eo, quod Catholici reliquerant Rhenobergæ Præsidio, postquam eam deditione cepere (ut alibi dictum) ingens, perpetuumque detrimentum acceperant Fœderati: quippe quibus ab eo Rheni erat interclusa nauigatio. Quare, ut sibi tam perniciosum obicem amouerent, eius loci potiri magnopere affectabant. 1601.

Mauritius improuisò Rhenobergã aggreditur.

Lib. 11.

IGITVR ubi eò Mauritius cum viginti Militum millibus peruenit; primò quidem ex aduersâ Oppido fluminis ripâ munimentum tormentis quatere aggressus est, in Insulâ situm, alioque à nobis loco indicatum. Nec longus in eo expugnando fuit, aut difficilis labor. Illo potitus, Castra circa Oppidum posuit; eaque aduersùs Hostium subsidia tam validè muniuit, ut maximi cuiusque Exercitûs sustinere impetum possent. Tùm aggeribus Oppidum versùs excitandis, alijsque bellicis operibus moliendis applicuit animum. Præerat Rhenobergæ Ludouicus Bernardus Auila, natione, ac magnanimitate Hispanus; quique diuturnâ bellandi experientiâ magnam assecutus erat apud Milites existimationem. Præsidiarij aderant ad ter mille quà Hispani, quà Itali, quà Germani: ex quibus Equites tantùm quinquaginta, Botbergio subiecti. Neque deerant in Oppido commeatus, & quidquid est ad sustinendam obsidionem idoneum. Armenta quòque ex agro circumiacente intra mœnia reducta: naues perfossæ, demersæque, nè in Hostium potestatem venirent. Vt verò non minùs in aggrediendo fortes, quàm in se tuendo prouidos Obsessi probarent sese; frequenter in Hostium Castra eruperunt, multumque illis intulere damni, haud minus ipsi cædium perpessi.

Capto Insulæ munimento, eam obsidet.

Ibidem. Gaspar Ens lib. 22. Grotius lib. 10. Lanarius, Baudart, Haræus anno 1601. Carnerus l. 15. c. 1. 2. Reidanus l. 18. Bentiuolus l. 6.

CVRAVERAT principio Auila literis, aut Internuncijs de suo periculo certiorem Archiducem facere, atque opportunum ab eo subsidium petere: sed arctissimè vijs omnibus obstructis, quâ ratione id consequeretur, reperire non poterat. Duo tandem illi se obtulere promptissimi animis, ac natandi peritissimi:

qui

1601. qui acceptis ab eo literis in viam se dant, Geldriam, aut Stralam versùs, ubi omnium proxima erant Hispanorum Præsidia. Dum verò transmisso Rheno iter haberent, in quatuor Hostium Equites inciderunt. Quos ut vidit eorum alter, à viâ declinauit, eoque suspicionem occurrentibus iniecit. Quamobrem eum insequuti, aggressique captiuum perduxerunt in Castra. Alter animosiùs progressus, & ipsâ, quam præferebat, securitate se tutum ratus, in alium Equitem exploratorem incurrit. Ab eo rogatus: unde, aut quò proficisceretur (ut perplexa esse primâ fronte simulatio solet) non satis apertè responsum expediebat. Ex quo coniectans Eques id quod erat, eum raptim inuadit. Ille præualidus viribus egregiè se tutari. Parumque abfuit, quin ipsum equo deijceret. Verùm alio superueniente, par esse unus duobus non potuit. Quare ab utroque captus, & pertractus ipse etiam in Castra. Ambo, quod res erat, confessi; ad alios omnes ab eiusmodi officio deterrendos, ante oculos obsessæ Ciuitatis suspendio puniuntur. Interceptæ quòque literæ arcanis notis per numeros conscriptæ. Ambagibus earum euolutis, docebatur: *Mauritium validiùs multò se munire contra ventura subsidia, quàm aduersùs urbanas eruptiones. Abundare quidem illum bellicis machinis, quibus Obsessos continenter infestaret: sed rem eidem futuram cum veteranis Militibus, qui non tum primùm audirent strepitum tonantium bombardarum. Quòd si subsidio immisso aliquo iuuarentur; audere se polliceri, priùs Obsessores fatigatum iri, quàm Obsessos.* Nuncii ab Obsessis missi intercipiuntur.

QVAMQVAM ad Archiducem hæc epistola, vel ulla alia minimè peruenisset: is tamen auditâ famâ obsidionis, quâ Rhenoberga premebatur; iussit Senatum bellicum aduocari. In eo quæsitum, utrum opportunius foret: an ad Oppidum illud propugnandum statim subsidium ingens immittere: an hostilem alium locum inuadendo, vel ad eum tutandum ab obsidione illâ Hostem auocare, vel unius iacturam alterius adeptione pensare. Pluribus dictis in utramque partem sententijs, varijsque rationibus in medium allatis, in id demum ab omnibus consensum est: ut utrumque præsenti malo remedium adhiberetur. Nam si minùs alterum prosperè succederet; in altero spem repositam haud facilè decepturam. Igitur quoad subsidium, imperatum fuit Hermanno Comiti Tserembergio, qui Geldriæ partis Archiducibus subiectæ Præfecturam gerebat; ut ex eius Præsidijs quantumcunque sine detrimento locorum poterat, Militum educeret; eosque coniunctos alijs, quos accepturus erat è Brabantiâ, ad Hostium Castra circa Rhenobergam Subsidium ab Archiduce mittitur Rhenobergam.

adduceret: atque illa communiri validiùs prohiberet, donec maiores Copiæ Hispanicæ, Italicæque, quæ iam aderant, submitterentur. 1601.

QVANTVM verò spectabat ad Vrbem Hostium obsidendam, illico sententijs omnibus in Ostendam itum est: tum quòd (uti non semel diximus) maximè id erat in votis Prouincijs Alberto, atque Isabellæ parentibus; pro quo toties preces, pecuniam, Milites, & quidquid opus esset, obtulerant: tum etiam, quia maximi momenti locus erat Hostibus ad uniuersam Flandriam infestandam: quibus si receptus ille subtraheretur, pedem in eâ Prouinciâ ponere nusquam liceret. Quamuis verò magnum esset, quod mouebatur opus, ob Vrbis validam situ, manuque munitionem, & subsidium nullâ penè ratione impediendum: visum tamen Alberto est par magnanimitati suæ, dignumque cui notam bellandi scientiam, vires noui principatûs, congestam recèns ex Belgio, Hispaniâque pecuniam, ac iam tùm conductas Hispanorum Copias destinaret. Bruxellas quippe eâ tempestate peruenerat eorum Legio sub Ioanne Bracamontio Tribuno: altera verò Italorum ex Insubriâ Theodoro Comiti Triuultio subiecta: tertia ex Neapolitano Regno, quam Domitius Caracciolus Bellæ Marchio, & Ioannes Thomas Spina moderabantur. Ex his Archidux Hispanos quidem Ostendanæ obsidioni sepeliuit: Italos verò Hermanno Comiti adiunxit, mandans, ut quanta posset maximâ celeritate subsidium Rhenobergam inferret. Sed neque hoc tempestiuum fuit, quandò iam ita Castra Oppido circumfusa munierat, concluseratque Mauritius, ut nullus omnino ad ea perrumpenda pateret aditus: neque Ostendæ obsidio vetuit, nè quamprimùm illud caperetur. Quippe id periculi non auocauit ab oppugnatione tam benè præparatâ Obsessores: sed ijsdem potiùs stimulos addidit ad extremum virium exerendum, ac finem operis festinandum, quò Rhenobergâ captâ, ad Ostendam suppetijs roborandam animosiores accurrerent.

Ab eodem O[illegible] [illegible] deces[illegible]

IAMQVE validus agger Oppidum proximè deductus erat, & quâcumque flectebatur in angulos, Militum stationibus instructus. Iam crebris tormentorum ictibus lorica mœnium, atque interiecta propugnacula fatiscebant. Ad tectam viam, quæ pro fossâ erat circumducta, cuniculos agi Mauritius iusserat, ijsque magnam partem disiecta est. Externis hisce malis accedebat interior penuria, non quidem commeatuum, aut bellici apparatûs, sed medicamentorum: quæ tamen admodum erant necessaria tot ægris, ac saucijs, qui quotidie ab Obsessoribus vulneraban-

1601. bantur. In has rerum angustias deductis mittit Mauritius, qui deditionem postularet. Respondet Auila: *Probè nosse Mauritium pro suâ belli scientiâ, nondum adesse tempus dedendi sese: quando Militum, alimentorum, ac totius instrumenti bellici abunde est. Pro eo tamen humanitatis officio, se illi agere grates.* Perrexit Mauritius alias viæ tectæ circa Oppidum partes cuniculis suffodere. Ac rursus post quinque dies Præfectum eumdem, ut Rhenobergam dedat, per certum hominem transmissum hortatur. Tùm Auila rogat, ut scriptis ea committat Mauritius; quandoquidem non semper Internuncij fideliter, accuratèque mandata perferunt. Assentitur ille petitioni. Neque tamen interea cessari iubet ab operibus promouendis. Etiam perductus erat agger ad muros: ac Militum aliquot audacter conscenso vallo introspicientes, propugnaculum [illegible] uum à paucis custoditum obseruarunt. Alterum quòque munimentum ad Meridiem situm tribus cuniculis Obsessores suffoderant: quorum duo ab Obsessis deprehensi. Hæc inter à Mauritio petiuit Auila, ut breues sibi concederet inducias, veniamque daret Milites duos ad Hermannum Comitem transmittendi, qui ex eo certò cognoscerent, an ulla præstò essent inferenda subsidia. Denegauit utrumque Mauritius: imò seuerè monuit, ut quamprimùm vel Obsides ad transigendam deditionem mitteret, vel extremam vim expectaret. Ille in summâ rerum desperatione se positum ratus, postero die se missurum respondit. At interiectâ nocte è vicinâ Vrbe Geldria elatis ignibus significatur, in propinquo esse suppetias. Iam enim Mosam traijciebant sexdecim Insubres, triginta Neapolitanæ Militum centuriæ. Hispani præterea mille sexcenti aduentabant, & Vallonica Legio Ductore Buquoio, & Germanica Barlæmontio subiecta; ipsique Vertæ seditiosi: ut omnino octo millia Peditum essent, Equites bis mille quingenti. Cum contrà in Castris Mauritianis quina tantùm millia Peditum, bina Equitum superessent, Anglis ad Ostendam propugnandam profectis. Tantum tamen auxilium cum proximâ spe Obsessores inferiores numero propulsandi frustra fuit: ut plerunque prosperitas vitrea est, quæ cum splendet, frangitur. Namque postridie ab Auilâ, quemadmodum promissum fuerat, Obsides ad Castra mittuntur, Præfectus Equitum Botbergius, atque Italus quidam Centurio: duo pariter à Mauritio leguntur in Oppidum Obsidum nomine Ductores, alter Equitum, Peditum alter. Postquam multùm ab utrâque parte de conditionibus disceptatum; in has demum conuenere. *Vt liberum esset Militibus, Nautis, cæterisque ex Oppido migrare cum ar-*

Mauritius Rhenobergæ deditionem postulat, quæ primò negatur.

[illegible]

Tandem deditio fit.

Eius conditiones.

mis, atque omnibus impedimentis. Ut nulli fraudi foret anteacto tempore Ordinibus militasse, atque inde ad Hostes transfugisse. Oppidi Praefecto daretur honoris causâ, posse secum auehere bina tormenta campestria, cum totidem pyrij pulueris vasis, & globis quinquaginta. Ad egros, & saucios transportandos ducenta vehicula à Foederatis commodarentur, adhibitâ cautione recuperandi. Captiui utrinque liberi dimitterentur, ubi, quae pro alimentis debebant, persoluissent. 1601.
His conditionibus sancitis, pridie Calendas Augusti Auila cum mille, ac trecentis Militibus Rhenobergâ discessit; ac Traiectum ad Mosam, magnâ quòque comitante sauciorum multitudine, profectus est. In eâ oppugnatione desiderati sunt ex Obsessis supra mille, ac ferè totidem ex Obsessoribus.

Potitus Oppido Mauritius, nouis illud operibus, validoque praesidio firmat. Interea Copiarum partem ad Meursam sibi vindicandam immittit. *Murs.* Haereditario iure ad se deuolutum id Oppidum asserebat, ex obitu Valpurgis Comitis, Amitae suae. Cliuiae tamen Dux maius in illud sibi ius praesumens, iam occuparat. *Cleues.* Praesidiarijs Mauritius internecionem minatur, nisi statim Oppidum dedant. Illi spatium petunt, quo certiorem faciant Ducem. Eo negato, cum tantae vi sustinendae sese impares viderent, deditione factâ, cum rebus suis incolumes dimissi. Mauritius, ut loci possessionem sibi firmiùs stabiliret; Arcem in eo designari iussit, quae vix Antuerpiensi concederet. *Mauritius Meursa quoque potitur.* Tùm Exercitu in aestiua distributo, ut ab anteactis laboribus reficeretur; Hagam Comitis reuersus est, ad solemnem Foederatorum Ordinum conuentum.



DE

DE BELLO BELGICO LIBRI DECIMI QVARTI

SVMMA.

OStendæ obſidio multis nominibus memoranda. Oppidi ſitus, & magnę munitiones deſcribuntur. Hiſpanica circa illud munimenta. Obſidionis principium. Oſtendani Gubernatoris induſtriæ. Prima eius eruptio propulſata. A Verio ſubſidium in Oppidum introducitur. Eiuſdem vana eruptio. Munitiones exſtruuntur utrinque. Agger artificioſus deſcribitur. Obſeſſoribus Copiæ adduntur. Inopinati euentus ab uno aggere. Buquoius alia excitat munimenta. Nicolaus Catricius, dum oppugnat, occiditur: & ex Hoſtibus Henricus Colinius miro modo. Viri Principes ad ſpectandam obſidionem veniunt. Maris æſtus Obſeſſis, & Obſeſſoribus nocet. Archidux Senatum bellicum cogit: ubi varia proponuntur. Mauritius, ut Hoſtem auertat Oſtendâ, Syluam-Ducis obſidet. Status Vrbis. Mittitur ab Archiduce Subſidium. Acriter oppugnatur, ac defenditur. Stratagema, quo nouum Subſidium inducitur. A Mauritio ſoluitur obſidio. Oſtendani deditionem agitantes, impetrant inducias. Pulcrum in eis ſpectaculum. Accepto Subſidio, ſe dedere abnuunt. Friderici Spinulæ in Hiſpaniam profectio. Eius de Angliâ conſilium; & ſuper eo conſultatio. Regiæ triremes ei committuntur.

Regis

Regis literæ ad Ambrosium Marchionem. Ostendæ valida oppugnatio, & strenua defensio. Obsessores multi occisi: inter quos etiam Bellatrix. Nouæ machinæ paratæ describuntur. Ambrosius in Italiâ Copias contrahit. Fridericus ex Hispania discedit in Belgium. Eòdem cum Exercitu venit Marchio Frater. Mirus Ordo in itinere. Has Copias, aliasque mittit Archidux in Mauritium Brabantiam inuadentem. Ab hoc Grauia obsidetur. Loci descriptio. Cur tardum Subsidium. Obsidentium dispositio. Gubernatoris sedulitas. Mendozzæ consultatio. Idem nequit immittere Subsidium. Acriter utrinque in hac obsidione confligitur. Grauiæ deditio. Mendozza seditiosos Pedites armis domat. In Equites auctos numero mouet ipse Archidux. Auertitur ad Venlonam defendendam. Lucemburgensis ditio infestatur à Fœderatis. Archiducis Edictum contra Seditiosos. Eos neque Pontificis Nuncius placat. Friderici Spinulæ Classi occurrit Anglica. In conflictu hæc superior. Coniuratio in Spinulæ Prætoriâ oppressa. Idem incidit in Hollandos, & Anglos: eosque declinat. Vehemens tempestas. Calesienses valde lædunt Hispanos. Marchio Fratrem consolatur, priùs per literas, deinde conspectu. Arcem Vachtendonchæ Catholici stratagemate capiunt: mox amittunt. Rex Hispanus Friderico titulos, ac ditionem addit. Hortensij Spinulæ ad eum literæ. Mors Elisabethæ Angliæ Reginæ. Dotes eius animi, & corporis. Cur nubere recusarit. Anglicanę caput Ecclesię se constituit. Quàm crudelis in Catholicos.

DE BELLO BELGICO LIBER DECIMVS QVARTVS.

1601.

Iulius Cæsar Bulẽger. Histor. l. 11. Petr. Mõtanus in Flandria descriptione. Georg. Brau in Theat. Ciuit. l. 6. Flam. Crucius Theatr. Milit. tract. 16. 27. Auber. Miræus de vita Alb. Arch. Henric. Spõdanus in Cõtinuat. Baronij. Aug. Grillus Ep. ſt. ad Alphonſum Beccariam. Nic. Vernuleus in Trophæis Spinulæ. Petr. Mattheius Hiſt. Gall. lib. 4. Narr. 2. lib. 7. Narr. 9. Et alij plures.

Oſtendæ obſidio memorabilis; & quare.



STENDANA Obſidio, quam exponere iam ingredior, omnium, quæ narrantur in hoc toto Belgico tot annorum bello, maximè memorabilis fuit: ſiue diuturnitatem temporis metiare, quà producta eſt ultra tertium annum: ſiue ſumptuum utrinque factorum magnitudinem expendas; qui quadragies centena aureorum millia ſuperaſſe feruntur ex parte Fœderatorum; longè verò maiores cenſendi ex parte Archiducum: ſiue pertinaciam ſpectes Obſidentium, quorum vel primis viginti menſibus duo de viginti millia perijſſe memoriæ proditum eſt: ſiue Obſeſſorum audaciam, qui vix ullum abire toto triennio diem ſiuerint ſine intrepidâ eruptione. Vtriuſque autem partis tantæ fuerunt, ac tam ex æquo libratæ vires; ut ad extremum uſque obſidionis diem, anceps ab utrâ ſtaret victoria pependerit. Neque mari ceſſarunt unquam Obſeſſis aduentare Subſidia: neque terrâ ſuppeditari robur Obſeſſoribus. Oppugnationes ſine intermiſſione: tormentorum diſploſiones ſine numero. Plus penè ſub terrâ, quàm ſupra eam, pugnari viſum; tot ubique cuniculis effoſſis, ut ubi minùs timebantur, repentè naſcerentur incendia. Neque magis manu certatum, quàm ingenijs, bellicas ſubinde machinas hinc ad Hoſtem petendum, hinc ad ſeſe tutandum comminiſcendo. Caſtella impoſita nauibus: Currus aquis ſupernatantes: pontes immenſi ductiles, atque uerſatiles. Hinc deprædicatum Hiſtorijs: Oſtendanam obſidionem, ampliſſimum fuiſſe Theatrum Martis, & bellicæ Scientiæ Academiam: ad quam fortiſſimæ confluxerint Europæ Nationes: ubi nemo ſtuduerit, quin doctiſſimus euaſerit: ubi Duces ſapienter imperare, Milites ſtrenuè rem gerere didicerint: neque ullam fuiſſe Vrbem, Oppidum, Arcem vehementiùs oppugnatam, generoſiùs defenſam. In hac obſidione quilibet terræ palmus multis hominum capitibus ſtetit: plus quodammodo abſumptum nitrati pulueris fuit, quàm ipſius ſoli puluis eſſet: aggeres non terrei, ſed ferrei è globis ab Hoſte tranſmiſſis erecti: & ſuorum cadaueribus munimenta fabricata. Quin cum ipſo mari pugnatum;

tum; quod velut auxiliares aquarum copias ſubmittens popularibus ſuis, quicquid operum diuturno labore moliti Obſeſſores eſſent, uno ſui æſtûs impetu diſijciebat. Hîc inædificatum vaſtis molibus pelagus: ac terra eodem exundante nauigata. Hîc ſyluæ in medias aquas è montibus translatæ, ut è mari terram facerent, vallumque militare. Hîc in inuio elemento ſtratæ ligneæ viæ, quæ ſimul ducerent, ac ducerentur. Hîc verioribus, quàm olim à Xerxe, compedibus innexum mare: neque pontibus frænati amnes, ſed quod eos complectitur, in ipſo ore fræno coërcitum. Denique multum utrinque ſanguinis fuſum: nec tantum fuit ſui conſeruandi ſtudium, quanta alieni prodigendi ſitis. Atque Obſeſſi tùm demum defenſione deſtiterunt; cùm propè nihil terræ ſibi relictum viderent, quod defenderent. Hanc Obſidionem iamdiu Catholicorum Belgarum votis (ut ſæpè diximus) expetitam, atque iteratis identidem precibus poſtulatam; nunc tandem aggredi decreuit Albertus, cùm ſe à congeſtâ ex Hiſpaniâ, Belgioque pecuniâ, & magnis ſupplementis aucto Milite, ſatis ad tantum operis inſtructum animaduertit. 1601.

Oſtendæ ſitus.

In eo Belgici maris litore, quod Flandriam curuato dorſo determinat; ſurgit Oſtenda, tribus leucis Neoporto, Brugis verò quinque propemodum diſtans. Pagus olim nullius nominis; Piſcatorum tugurijs magis, quàm Ciuium domibus conflatus. Hâc tamen tam pertinaci obſidione tantum ei celebritatis acceſſit, ut per omnes Europæ plagas eius fama peruaſerit. Adeò plerunque calamitates ipſæ nobilitant. Belgici huiuſce belli primordijs, opportunitate loci ab Hollandis animaduersâ, palis primò, ac longurijs, mox etiam aggeſtâ humo muniri cœpit. Temporis deinde proceſſu tam validis operibus circumſeptum Oppidum eſt: ut inter munitisſima Flandriæ loca meritò numeretur. Circumiectum ſolum varijs à mari ductis aquarum alueis interſecatur: ac propterea ſemper udum eſt, ac paludoſum. Duo tamen eorum præcipui, cæteriſque ampliores Oſtendam circumeunt, & mare quodammodo in terram inuehunt, quando æſtu intumeſcente, altiores voluunt aquas, eiſque impoſita nauigia maiora deferunt, atque ad Oppidum appellunt. Senas horas æſtus attollitur, totidemque decreſcit: quod niſi fieret, iamiam hauriri Oſtendam crederes à pelago circumfuſo. Ambitus eius breuis eſt, & in longitudinem aliquantò porrectior. Ipperlæâ flumine alluitur, quod ubi in mare prorumpit, ſinuoſum efficit portum, multarum nauium capacem. Quamquam non unus Oſtendæ obtigiſſe dicendus eſt; cum æſtu au-

Vrbis deſcriptio, & munitio.

Canali.

1601. *Baloardi.* gescente, tot eam videantur portus aperire, quot aluei. Propugnaculis octo munitur, neque paribus mole, neque interuallo eodem inter se dispositis; sed ad tutandas domos ita structis, ut opportunitas loci postulabat. Fossâ circumcluditur satis amplâ, *Strada coperta.* in quam profundus alueus exoneratur. Habet & tectam viam, quâ terram spectat, cuneatis munimentis ingentibus instru- *Riuellini.* ctam; quibus minores aluei pro fossâ sunt. Quâ verò in mare ver- *Fiãcheggiare.* git, aliâ munitione vallatur, quinque propugnaculis custoditâ. Bipartitum Oppidum est, aut potiùs geminatum: alterum quippe vetus, alterum nouum appellant. Vtrumque interiectus alueus separat: eidem verò impositi pontes coniungunt. Vetus Ostenda, quæ minor est, pelago propiùs accedit: at noua, quæ amplior, in terram se magis insinuat. Neque minùs contra impetum frequenter æstuantis Oceani, quàm aduersùs impressio- *Argine.* nem Hostium munitur. Nam & aggerem opponit in viâ tectâ ductum, & quàm longè litus Oppido prætenditur, protractum; nè per æstum exuberantes undæ subiectos latè obruant campos: *Steccato.* & propter ipsum mare crebræ, crassæque defixæ sunt trabes, ceu vallum quoddam contexentes, ad quod aquarum furor vel statis horis æstuantium, vel procellis turgentium, infringatur. Hoc Oppidum, utpote situ valde infestandis Hostibus opportunum, *Artiglierie. Munitione.* egregiè munierant, ac Milite, tormentis, omnique apparatu bellico instruxerant Fœderati: atque ex eo frequentes faciebant *Scorrerie.* per uniuersam Flandriam excursiones, agendo prædas, agros *Saccheggiare.* vastando, Villas depopulando, aliaque secum damna, terroremque plurimum circumferendo. Tantæ ruinæ obices aliquot op- *Ripari. Forti.* ponere Hispani contenderant, multis circum Ostendam erectis *Munimẽta Hispanorũ circa Ostendã.* *Postura.* munimentis, uti suprà memoratum. Eorumdem positum, quan- *Quartieri.* dò ad obsidentium stationes, totiusque seriem obsidij probè intelligendam plurimùm facit; præstat hìc diligenter ob oculos ponere.

AD læuam Ostendæ mare spectantis, & quâ Solem habet Occidentem, propugnaculum erat omnium validissimum, ac Diui Alberti nomine insignitum. Imminebat hoc fluuio Auden- *Sboccare.* burgo defluenti, quâ sese euoluit in mare. Haud procul ab eo Isabellæ munimentum surgebat, eidem amni proximum. Vt in his imponendis nominibus, honorem impendisse structores *Distretto.* viderentur Principibus suis. Huic per ambitum Ostendani Agri succedebat aliud Diuæ Claræ appellatum. Nec longè distabat, quod à Diuo Michaële nomen accepit. Postremum è recentioribus propugnaculis, ad dexteram Oppidi, atque ad Solis Or- *Bredenè.* tum situm erat, à vicino Pago Bredenâ denominatum. Alia

tria munimenta vetustiora erant, atque Ostendæ remotiora, trans flumen Ipperlæam, qui Ostendanum Agrum ferme in circuitu fecat: Blancobergense scilicet, Audenburgense, Snaschercanum.

1601. *Passar per mezo.*

Obsidionis causa, & initium.

Gaspar Ens hist. lib. 22. & l. de hac obsidione. Grotius lib. 10. Boter, l. 8. Beyerlinch, Lanarius, Baudart, Harens, Mirans anno 1601. & seq. Aitsingeri Cōtinuator. Pōpeius Iustinianus de bello Belg. l. 1. 2. 3. Thuanus l. 126. & seq. Carner. l. 15. Reidanus l. 18. Bentiuolus lib. 6. & 7.

IGITVR ut crebris Catholicorum Belgarum petitionibus aliquando tandem satisfaceret Albertus: hoc est, quemadmodum ipsi argutè de more loquebantur, ut Leonis Belgici plantæ (huius enim in speciem sæpè Belgium effingunt, & illius Prouinciæ ferè omnes pro insigni Leonem habent) spinam illam auelleret: tertio Nonas Iulias circum Ostendam Castra posuit. Et ipse quidem stationem suam, ac totius obsidionis maximam, in cognomine sibi propugnaculo collocauit. Cœperat id paulò antè Mauritius; sed in digressu destituerat. Ex aduersâ verò parte Bredenæ munimentum à Friderico Comite Vandembergio teneri iusserat. Ab hoc ad illud propugnaculum duci aggeres cœpere, atque Oppidum à terræ latere circumcludere. In Albertino pars maxima Militum erat Hispanorum, Italorum, Vallonum. His omnibus impositus fuit Augustinus Mexia Antuerpiensis Arcis Præfectus: cuius erat Archiducis nomine Exercitum moderari: loca recognoscere: progressus accelerare. Qui verò Castris præerat Hispanicis Hieronymus Monroyus, quique Vallonicis Nicolaus Catricius intra trium noctium spatium arenarum collem tenuerunt Oppido imminentem: eique tormentis aliquot impositis multum damni Ostendanis inferebant. Vtque occupatum locum tutiùs retinerent, ingentem extruebant aggerem, quo se tegerent Ostendanum Agrum versùs, opportunumque receptum adijciebant. Nec minore diligentiâ Fridericus, è Bredenensi munimento progressus, celsiorem arenosi tumuli, seu Dunæ partem insederat: dispositisque bombardis inde Oppidum infestabat.

Trincierone. Ridotto. Pezzi.

Vandernoti, Ostendæ Præfecti diligentia.

PRÆFECTVS erat id temporis Ostendæ Carolus Vandernotius, qui statim de re totâ certiores fecit Ordines Fœderatos. Hi periculum cautè prospicientes, magnos instruere iam cœperant apparatus, ad Oppidum illud propugnandum, quod unicum in uniuersâ Flandriâ possidebant: adeòque momenti ducebant maximi eius iacturam. Neque suo deerat muneri Gubernator. Partes omnes circumspicere diligenter: quas infirmiores notabat, munitionibus roborare: tormenta ijs locis ponere, unde plus inferre molestiæ Hostibus possent; eorumque surgentia opera disturbare. Et quoniam ex aduerso propugnaculo Diuæ Claræ minùs munitum Oppidum animaduertit; nouam ab eâ parte loricam extra vetera mœnia exorsus est. Pari magnitudi-

Far prouigioni. Luoghi deboli. Fortificare. Piantare i pezzi. Lauori. Più debole. Trinciera.

ne

1601. ne animi sese ad constantem defensionem parabant Ostendani, uno & viginti Peditum signis ad præsidium instructi; utque inutili turbâ Oppidum alleuarent, Vxores, paruos Liberos, atque omne vulgus imbelle in Zelandiæ proximas Insulas amandarunt.

INTEREA Monroyus, & Catricius alacriter instituta opera promouebant. Quibus interpellandis, armorumque progressibus inhibendis, sexto Idus eiusdem mensis ex Oppido cum Gubernatore mille & quingenti Milites eruperunt. Illis obuiàm Monroyus cum Hispanis, Italisque sibi subiectis occurrit: ac supra exstantem viam (diccum appellant) aduersùs eos tam acriter dimicauit, ut in Oppidum se recipere non sinè graui damno compulerit; inuecto pariter in eosdem cum Equitibus vigintiquinque Locum-tenente Patino, qui viam illam custodiebat. Nil ergo eruptione remoratâ, processum in operibus est. Et iam perfecto primo receptaculo, alterum moliebantur: cùm inopinatò globus tormenti ex Oppido displosi caput Monroyo abstulit. Sufficit in eius locum Archidux Simonem Antunium Lusitanum, Militem æquè veteranum, ac strenuum: qui designatam molem ad exitum cum Catricio perduxit. Hos verò duos receptus interiecto aggere ingenti coniunxerunt; ut mutuò se tueri ambo possent.

Disturbare i lauori. Sortire. Dicco: Ritirarsi. Ridotto. Talla d' artiglieria. Darsi mano.

Ostendanorum eruptio repulsa.

DVM hæc ab Obsessoribus adornantur; ingressus Ostendam est Idibus, subsidio missus ab Ordinibus Fœderatis, Franciscus Verius Anglorum Tribunus, exploratæ sæpiùs virtutis bellator, ac præsertim in recentissimo Neoportuensi conflictu: ut rei tanti ponderis, consilio, atque auctoritate præesset. Adduxit hic secum Pedites quater mille, magnumque rerum ad defensionem facientium apparatum. Neque quicquam ardorem animi moratus, postridie quàm aduenerat, subitam, ac vehementem fecit in Albertinum propugnaculum eruptionem cum supra ter mille Militibus. Opposuit se statim illi Simon Antunius, alijque, quorum custodiæ commissus agger, tam animosè: ut retrocedere non sine magnâ Ostendanorum iacturâ coëgerit. Cùmque probè intelligeret Verius, quanti suorum referret loca extra Oppidum occupata retinere, ut partem eius infirmiorem tutarentur; promouere cœptam à Vandernotio munitionem statuit, ac ternos receptus adiunxit, quos postea vulgus militari vocabulo Poldros appellauit. Quadratam quòque loricam erigi iussit, quam quinque Cohortibus custodiendam dedit. Eam verò tamdiu tenuere, donec memorati receptus validè munirentur. In his idoneum militem, ac tormenta locauit: aggeremque, & oc-

Soccorso. Colonnello. Battaglia. Sortita. Guardia. Dar' à dietro. Perdita. Guadagnar luoghi. Fortificatione. Poldri. Trincierone. Compagnie.

Franciscus Verius Subsidium quatuor millium introducit Ostendam.

Ingens eius eruptio propulsatur.

Variæ munitiones utrinq; fabricatæ.

cultam viam ab omni parte tutiorem reddidit: pro suâ in rebus bellicis experientiâ coniectans; aduersùs id latus, quod imbecillius erat, præcipuam obsidionis molem Archiducem admoturum. Neque eum fefellit opinio. Albertus quippe animaduersis Hostis operibus, ex eâ maxime parte illum iussit inuadi: tum ut maiores in campo progressus facere prohiberet: tum ut illac viam sibi faciliorem ad oppugnandum Oppidum aperiret. Quare Vandembergio Comiti mandauit, uti suum in locum Alphonso Aualo substituto; cum Germanorum Legione sibi subiectâ, & Vallonum manu, ex Bredenensi in Diuæ Claræ munimentum migraret: atque ex hoc, procedere latiùs Hostem, aut nouos receptus fabricari vetaret. Profectus eò Fridericus Comes, duo statim propugnacula excitauit ex aduerso trium hostilium: eorumque alteri Diuæ Mariæ, alteri Diui Martini nomen indidit. 1601. *Attaccare.* *Dar l'assalto.* *Reggimēto.* *Piantar forti.*

NEQVE segnior Verius aliâ quâdam parte nouum receptum struere. Quo cognito Archidux, haud ignarus, quantum sibi facessere negotij posset, si perduceretur ad exitum; illico ad opus disturbandum bis centenos Milites misit Hispanos, atque Italos, Ductore Augustino Mexiâ; ut duobus ex lateribus locum aggrederentur. Hi summo ardore irrumpentes, per vim maximam receptaculum penetrarunt: quinquaginta ex Hostibus, eorumque Præfectum interfecerunt; locique potiti, appellationem illi ab Diuâ Annâ imposuere: quòd huic sacra dies anniuersaria recurrebat, quando gesta res fuit. Nec multum temporis interfluxit, cùm Ostendani rursus erumpentes ad duo millia, bipartitò Catholicos inuaserunt. Ab his tamen strenuè propulsati, cum iacturâ multorum è suis, ad tectam viam confugerunt. *Impadronirsi.*

FRIDERICVS Comes interea, quique sub eo Milites erant ad Claræ munimentum, institutis insistere laboribus non cessabant. Iamque absoluto receptu, cui Diuæ Mariæ nomen fecere; & locatis in eo bombardis, magno impetu, nec minore Hostium detrimento fulminabant. Pari sedulitate ab his, qui Diui Alberti propugnaculum tenebant, in bellica opera incumbebatur. Præ cæteris verò aggerem iuxta mare construere aggressi sunt; quo aditum intercluderent Fœderatorum nauigijs, quæ ab eo latere per alueum Ostendam petebant; ac Militem, commeatus, aliaque ad defensionem necessaria importabant, ægrosque, ac saucios exportabant. Id operis in hunc modum fabricabantur. Quoniam arenosum solum solidæ structuræ patiens non erat; ramalium fasces, viginti pedes longi, coctis lateribus farcieban- *Argine.* *Aggeris artificiosi descriptio.* *Fascine.*

1601. Salsiccie. bantur (à formâ vulgò dicti farcimina, seu lucanicæ) ut eo pondere irruentibus aquis obsisteretur. Hi validè undique obligati, alius super alium coaceruabantur; atque ita in aggerem consurgebant, qui, quantùm erat opportunum, producebatur. Eiusmodi labori continens luctamen incumbebat à mari: quod horis præcipuè, quibus æstus accedebat, tanto impetu in oppositam molem inuehebatur, ut eam affligeret, ac solo æquaret: eiusque materiam omnem adeò disijceret, ac dissiparet, ut nulli postmodum usui esse posset. Multum quòque detrimenti structores huius operis ab Oppido patiebantur: unde perpetuò plumbeus, ac ferreus imber è mosquetis, atque bombardis effusus ingruebat: eoque magna facta Operarum iactura. Nihilò tamen minùs ad destinatum finem perductus est agger: ad cuius caput munimentum erectum; eique tormenta imposita. Quibus omnibus machinamentis tandem effectum, ut ingressus Hostium nauibus ex eâ parte precluderetur.

Forte.

Militum supplementum Obsessoribus.

Haec inter ad Ostendanam obsidionem accessere qui venerant ex Italiâ Milites: Hispani nempe sub Ioanne Bracamontio: Itali Ductore Theodoro Comite Triuultio. Aduenit etiam Carolus Longouallius Buquoij Comes cum Legione, cui præerat, Vallonum: & Florentius Barlæmontius Comes cum septem Germanorum signis. Buquoio, magnæ nobilitatis, bellicæque prudentiæ Viro, demandatum imperium Bredenensis stationis: quæ à Vandembergio, Aualoque, Archiducis iussu ad Albertinum propugnaculum euocatis, relicta fuerat curæ Eustachij Oignij Rhetorum Domini, & Vallonum Tribuni. In eâ statione multum desudabatur erigendis aggeribus, ac subterraneis vijs effodiendis. Quo in opere multi Catholicorum intercidebant, Hoste sine intermissione ignitis eos globis infestante. Hostilis quòque agger erat extra Oppidi munimenta, qui ab arenarum collibus, siue Dunis, ad Albertinum protentus, veteris Oppidi propugnaculo, quod marinum appellabant, terminabatur. Ædificatus hic fuerat ad impetum crescentis æstûs coërcendum, nè munitionibus in eam partem spectantibus detrimentum inferret. At Catholici eodem Hostium opere uti constituerunt in rem suam: eiusque beneficio ad vicinum Oppidi propugnaculum perrepere: ut (quod sæpè in humanis contingit) suis ipsi machinis Obsessi perderentur. Hi tamen ubi rem animaduerterunt, decimo octauo Calendas Septembris, nocturno tempore pluribus locis aggerem perruperunt. Cumque per easdem ferme horas æstu maris intumescente, factos hiatus aquæ perlabentes dilatarent, spem omnem Obsessoribus præciderunt, ex eo late-

Terzo. Quartiero. Baloardo. Fortificationi.

Aggeris unius effectus inexpectatus.

re

1601.

re Oppidum oppugnandi. Inopinatum illis accidit hoc Hostium consilium, eum scilicet aggerem interscandi: animum tamen induxere, per eas ruinas unà cum pelago supremum Ostendæ exitium intraturum. Quod ut discrimen defenderent Oppidani; celeritate, ac diligentiâ maximâ lignorum fasces, vallos, trabesque transuersas ab eâ parte congesserunt; & copiosâ materie coaceruatâ, obicem exundantibus aquis præstruxerunt.

BVQVOIVS interea unà cum Oignio totus erat in Bredenensi statione munienda cum aduersùs eruptiones ab Oppido, cum contra Hostium in eam litoris partem descensiones. Ergo aliquantùm prouectus, ad extremum collium arenosorum, paruum excitauit receptum, quem Boteramum appellarunt: ut ex eo displosæ bombardæ hostiles naues ingressu prohiberent. Verùm hæ leue periculum aspernantes; & quòd ob longinquitatem vix ad ipsas pertingebant tormentorum globi; appellere horis omnibus non cessabant. Quare Buquoius longè maius, marique vicinius receptaculum aliquot dierum spatio fabricauit, quod de nomine dixit Diui Caroli, & suo. Alueus autem, qui ex eo latere ferebatur in pelagus, duo aquarum diuortia Oppidum versùs agebat: quorum alterum in ampliorem Ostendæ fossam insinuabat sese; alterum in angustiorem, quæ viam occultam exteriùs muniebat. Per hoc inuecta nauigia tanto impetu, & furore petebantur à bombardis memorati receptûs: ut non sine certo exitio tentare in posterum hunc aditum possent. Quare ad ampliorem ingressum conuertère se naues: qui commodior appellentibus erat, remotiorque ab ictibus tormentorum. Quod ubi compertum habuit Archidux, magnam loricam inde duci mandauit ad maiorem alueum, quæ illius ripæ quamproximè immineret: ibidemque munimentum erigi, atque idoneè tormentis obarmari: ut ex Bredenensi latere aditus Hostium nauibus clauderetur, quemadmodum clausus fuerat ex Albertino. At Fœderati, in eiusmodi molitionibus maritimis, ut ubi maximè, ingeniosi, & periti; nouum sibi statim ostium aperuere, viam tectam intersecando, ac per eam à mari nauigia deducendo. Quoniam verò Diui Caroli receptus in solo extructus erat marinis æstibus obnoxio; nè ab eorum impulsu labefactaretur, nouis operibus corroborandus fuit. Itaque ex prædictis ramorum, laterumque farciminibus plurima fuere contexta, eaque in longè maiorem fascem compacta, atque instar dolij ligneis circulis colligata; quæ per subiectum sabulum ad locum, ubi aggeranda erant inter eum receptum, & mare, deuoluebantur. Ibi alij super alios fasces impositi, minoribusque

Buquoius alia munimenta extruit.

Duae.

fu-

1601. superiectis fascibus opportunum aggerem coagmentabant.

Assulto. Et iam rebus in obsidione rite dispositis, ut aliquod oppugnationis fieret initium, militaris ardor urgebat. Igitur sexto Idus Septembris, ubi diu multùmque tormentis continenter displosis concussum Oppidum fuit; iussit Archidux Nicolaum Catricium cum lectâ Militum manu ad oppugnandum irrumpere. Magno is animo rem aggressus, sed improspero successu: Multis quippe priùs extinctis e Commilitonibus, ipse tandem ictu globi percussus in capite, sui desiderium haud modicum Exercitui reliquit. Verùm eius cædes post biduum præclari alterius Viri ex parte Hostium interitu simili compensata. Henricus Colinius Castellionæus is fuit, Gasparis Colinij maris Præfecti, per ciuilia Galliæ bella celebrati, Nepos; qui non ita pridem subsidio cum octingentis Gallis Ostendam aduenerat. Huic, dum medius inter Scotorum Tribunum, atque Vchtembroquium Consulem Vltraiectinum, iter faceret, disclusa tormento ferrea pila ita caput perrupit, ac dissecuit: ut eius syncipu in Vchtembroquij faciem impactum, illum eo impetu ad terram prostrauerit. Quod quasi præsagium fuit necis eidem ab eâdem causâ sub exitum mensis inferendæ: ita rerum seriem æternâ prouidentiâ ordinante, ut unius obitus sit admonitus aliorum. Sed neque Verius à bellicis hisce periculis abijt impunè. Namque dum crebris eruptionibus Hostem fatigat, ab eo non leuiter sauciatus, Middelburgum, proximam, & præcipuam Zelandiæ Vrbem, ad curandum vulnus migrauit. Neque multò pòst sanitati redditus Ostendam se retulit.

Nicolai Catricii mors in oppugnatione.

Henrici Colinii mira cædes.

Verius vulneratur.

Eodem paulò antè peruenerant, Ostendanæ obsidionis famâ, quæ iam Europam impleuerat, euocati principes diuersarum Gentium Viri: ut oculis suis magis crederent, quàm alienis vel calamis, vel linguis: utque artem bellandi condiscerent, ubi tam strenuè bellabatur. Hos inter recensetur in primis Vlricus Holsatiæ Dux, & Christiani Quarti Daniæ Regis Frater: qui unà cum Hoënloio Comite in Oppido honorificè, uti decebat, exceptus, munitiones eius omnes non sine admiratione lustrauit. Ex Angliâ quòque Cassellius Northumbriæ Comes cum alijs nobilibus Viris Ostendam ingressus, oculorum testimonio comprobauit, vel in angustijs loci, vel in temporum difficultate magnam vim esse militaris ingenij.

Principes Viri Ostendæ obsidionẽ visunt.

Octobri iam ineunte, annoque in hyemem vergente, cùm multum è Cœlo imbrium ingruisset, ac vehemens quòque ventus incumberet; agger, quem perruptum ab Obsessis antea diximus, penè totus ad terram stratus, atque aquarum eluuione

in

in mare raptatus. Eodem verò medio mense Buquoius Comes, praeclarum quid moliri agitans animo, cum audacissimis quibusque suorum per noctis tenebras lunatum quoddam Oppidi propugnaculum aggressus est, ponti imminens, quem vaccarum appellant. Tamque inopinata hæc fuit, ac tam valida impressio, ut post breuem dimicationem, defensoribus pulsis, locum occuparint. Non tamen hoc exitu felici contentus, maius adhuc aliquid Buquoius machinatur. Militem è cunctis eligit præ cæteris animosum, atque omnis periculi contemptorem. Huic mandat, ut quàm celerrimè, atque occultissimè potest, ad subiectum pontem delabatur; eumque admotis facibus, illitâque incendiariâ materie succendat. Paret ille audacter imperio: ad pontem accedit: operi manum admouet. Verùm extemplo ab Hostium Excubijs detectus, ac proclamatus, accurrente ingenti Oppidanorum numero oppressus est. Quinetiam hi maioribus animis ab indignatione sumptis, alacriter cæteros Hostes inuadunt, propulsant, cædunt, suumque munimentum recuperant: quod loco situm incommodo, ab Obsessoribus diu retineri non poterat. Ita Buquoius plura adipiscendi cupiditate, & quod adeptus erat, amisit.

1601. — *Meza luna.* — *Assalto.*

Buquoius munimentum Hostium capit, & paulò post amittit.

OCTAVO Calendas Nouembris, nouâ lunâ prodeunte, marinus æstus adeò efferbuit, ut Agrum omnem depressiorem longè, latèque inundaret. Quamobrem crates quædam Catholicorum, arenâ minimè oppletæ, aut alio pondere firmatæ, affluentibus aquis in mare abreptæ sunt: alias verò inter se catenatas, anchorisque stabilitas, ac propterea nequaquam ab æstu conuulsas, Ostendani super cymbis adorti, præcisis funibus, atque anchoris interceptis, pariter in pelagus deiecerunt. Adeò non parcunt homines, quibus parcunt elementa. Sed neque Obsessis à mari præter solitum æstuante fuit impunè. Eorum namque munimenta illi viciniora, fundamentis humore corruptis, haud modicè labefactata: idque præcipuè, cui ab Erinaceo nomen idcirco fecere, quòd ipsius loricæ præfixi, ad prohibendum ascensum, frequentes unci natiuas referant spinas eius animantis. Interea qui Diuæ Claræ munimentum seruabant, obducto aggere sese munierunt. Periculum quippe non leue ab Hoste impendebat, magno numero erumpente: subsidium verò ab Equitatu, cæterisque stationibus sperari non poterat, ob crebros aquarum decursus, ac paludes, quæ viam intercludebant. Obsessi contrà conspicati Fridericum Comitem ibidem nouos in dies facientem structis munitionibus progressus; veritique nè Oppidum ex eâ parte oppugnaretur: omni ope, industriâque stu-

Maris æstus utriq; partiù damnosus.

Territorio.

1601. ſtudebant extima propugnacula validiſſimè firmare, ſepire vallis, foſſis reddere inacceſſa: tantumque eo conatu profecerunt, ut iam propemodum expugnari non poſſe viderentur. Neque verò in Albertinâ ſtatione ſuarum partium ullam deſiderari patiebatur Auguſtinus Mexia Antuerpianæ Arcis Præfectus, qui Archiducis nomine mandata Militi dabat. Interuiſebat identidem ſtationes militares: opera recognoſcebat: progreſſus incitabat.

Concilium bellicum ab Archiduce coactum.

At Archidux Albertus ſapienti volutans animo lentiorem, quàm ſibi perſuaſerat, obſidionis decurſum; Hoſtium in obſiſtendo pertinaciam, & vires; anni tempeſtatem Obſeſſis, quàm Obſeſſoribus ſecundiorem: quod potiſſimum capiendum eſſet conſilium, incertus; bellicum ſuper eâ re cogere, & conſulere Senatum ſtatuit. Igitur eo conuocato, de varijs obſidionis difficultatibus retulit: deque deliberatione ſuſcipiendâ præ cæteris, ut ſuam quisque ſententiam proferret in medium, imperauit. Alij propugnaculum Oppidi ad mare vergens oppugnandum omnino cenſebant. Quod opus perarduum, obſitumque periculis, omnium tamen maximè profuturum ad felicem exitum videbatur. Varias quòque machinas, atque adminicula ad id faciliùs, tutiùsque perficiendum proponebant. Alij contrà damnabant id conſilij, difficultates nullis machinis ſuperabiles obiectando: *Quippe cùm multum ſpatij peragrandum eſſet, propugnaculorum tormentis expoſitum; non ſine maximâ ſuorum cade pertingere ad eum locum Catholicos poſſe: maris praterea tumentis, & reciprocantis aſtum omnia machinamenta diſiecturum. Quare non antè id propugnaculum tentandum, quàm tormentis magna eſſet facta concuſſio.* Addebant alij ad eamdem ſententiam profligandam: *Etiamſi per ſecundiſſimam fortunam eius loci potiri licuiſſet: eum tamen diutius retineri non poſſe. Quippe qui non tot Militum capax erat, ut aſtuante pelago, quando ſubſidijs aditus non dabatur, ſatis eſſent ad ſe tuendos contra Præſidium Oppidi copioſum. Sed neque in maris receſſu munitionibus protegere ſe licère: cum ibi terra copia nulla eſſet. Quid verò id munimentum Obſeſſoribus profuturum; cui nouum Oppidum cum ſuis tormentis incubaret? Quid ſi etiam (quod ſuſpicari non temerarium erat, quandò renunciatum à transfugis fuerat) inſtructi ſubter eo cuniculi forent?*

Tõpeius Iuſtinianus lib. 1. Camerus l. 15.c.2. Baloardo.

Varia in eo conſilia propoſita.

Batteria.

Fortificare.

Fuggiti.

Minare.

His, alijsque momentis rationum opportunius oſtendebatur eam Oppidi partem inuadere, quæ à mari auerſa, terræque interior, tribus munitionibus (quas Poldros appellatas diximus) fuerat ab Obſeſſis roborata. Id ipſum argumento eſſe, latus illud imbecillius inuentum, quòd opus habuerit firmari. Verùm &

hæc ſententia ſuis erat difficultatibus obnoxia. *Lentum id futurum*, dicebatur, *operoſumque negotium. Tria propugnacula validiſſimè munita: aggredientibus ea, ex omni parte eadem à tormentis hoſtilibus occurſuram: ex Oppido ſubinde recentem Militem in ea ſubmiſſum iri: quinetiam his obicibus omnibus ſuperatis, captiſque munimentis, imminere certum exitium ab Oſtendæ mænibus, & propugnaculis deſuper incumbentibus.* 1601.

Gëte freſca.

Nec defuere in eo militari Senatu, qui nouum hoc conſilium in medium proferrent: ut ad munimenta Diui Alberti, Diuæ Claræ, & Bredenenſe in tumulis arenoſis tres extruerentur munitiones, eæque tam excelſæ, ut Oppidum ſupereminerent: cùm impoſita ſingulis dena, vel duodena tormenta, quicquid in eodem extaret, euerterent: propugnacula à fronte, à dorſo, ab lateribus concuterent: adeóque Obſeſſos continenter infeſtando, ad extremam perniciem deducerent. At his bellica experientia refragabatur: quæ docebat, nullam unquam Vrbem, aut Arcem eâ ratione expugnatam. Cenſebant etiam plerique, nauigijs Subſidia deuehentibus omnem obſtruendum aditum eſſe, nauibus in ſeriem coniunctis, & contabulatis, aut ſimilibus machinamentis. Sed & his aduerſabatur, quòd alijs opificijs, quibus Hoſtium ingenia præpollebant, omnes Catholicorum induſtriæ fuiſſent eluſæ: & machinæ in maris receſſu tormentorum concuſſione diſiectæ. Alij verò ſuadebant, ut ab Diui Caroli munimento, in ſtatione Buquoij, mare verſùs agger duceretur ad alueum uſque; ibique propugnaculum erigeretur: quibus præſtructis obicibus appellere Hoſtium nauibus non liceret. Hæc etiam ſententia non omnibus placuit: propterea quòd minimè fieri poſſe iudicabant, ut tam longo terræ ſpatio perduceretur ad finem opus illud aduersùs maris æſtus identidem obſiſtentes; eodemque tempore ſeſe defenderent ab ictibus aſſiduis hoſtilium bombardarum. Igitur ad extremum, alijs reiectis omnibus, in hanc deliberationem communi conſenſu ventum eſt: ut ex aduerſo propugnaculi, quod Templum Oppidi tuetur, nouum, ac validum extrueretur munimentum. Hoc namque, & Bredenenſis ſtatio ſibi inuicem opem ferrent. Impoſitis ei tormentis, cum venientia nauigia à fronte quaterent, ad Oppidum deportari ſubſidia prohiberent. Quod ſi quæ per ſummam vim alueum ingreſſa forent, cùm eum ſuper incubaret id munimentum, inde facilè, atque impunè tormentis peti, demergique poſſent. Idem præterea Hoſtem vetaret latiùs ſeſe per agrum fundere, aliaſque ſtruere munitiones. Eius denique tutamento nouum erigere munimentum liceret; ex quo terna Hoſtium rece-

Dune. Caualieri. Eſſer' à Caualiero.

Nouum munimentum erigendū decernitur.

Dorſi mano.

Caualiero.

1601. receptacula, & veteris Oppidi lorica non sine ingenti eorum detrimento quaterentur.

Mauritius Hostem auertere studet ab obsidione.

Dvm his agitandis belli consilijs cum suo Senatu detinetur Albertus; contrarius Dux Mauritius, in rem Fœderatorum, & damna Hostium semper excubans, inopinatum quid aggressus fuerat, & magni (si prosperè succederet) emolumenti. Animum quippe induxerat, Archiducem ab Ostendanâ obsidione remouere solitis Ducum artibus: locum scilicet eius aliquem, & quidem maioris momenti, obsidendo: ratus eum aliena minora dimissurum, ut sua maiora tutaretur; prudentis non esse ducens, ampliorem facere velle lucro iacturam. Quamquam subire mentem eiusdem poterat: magnis Principibus non modò longas, sed multas etiam esse manus, quibus eodem tempore, diuersisque locis magna moliantur: adeòque posse simul Albertum & hostili obsidioni repugnare, & suam non omittere. Igitur Calendis Nouembribus Mauritius Castra ponit ad Syluam-Ducis. In eis erant Peditum octo millia, Equites bis mille quingenti: quibus Copijs Vrbem circumsedit, quantùm & eius amplitudo, & Ager superfusis imbribus magnam partem impeditus, patiebantur. Tùm summâ diligentiâ, ac celeritate Castra communit.

Gaspar Ens. Grotius. Heraus. Baudart. Iustinianus. Conerus. Bentiuolus.

Ideo Syluam-Ducis obsidet.

Quis tùm Vrbis status.

Praeerat Vrbi Antonius Schetsius Grobbendonchi Dominus, rerum bellicarum peritus inter primos, qui tunc in Belgio militabant. Verùm Præsidiarij Militis non tantum aderat, quantum præsens necessitas exigebat. Ciues namque (uti externa Præsidia Ciuitatibus tam odiosa solent esse, quàm grauia) ipsi se tueri, quàm alienâ uti ope, malebant. Et quòd suam perpetuò probarunt tum Hispano Regi, tum Catholicæ Religioni fidem, facilè id impetrarunt. Quare duæ tantùm in promptu Peditum cohortes erant, è Ciuibus collectæ: turma Equitum una, quàm Adolphus Comes Vandembergius moderabatur: & Præfecti Vrbis Equites quinquaginta. Populus, ut in magnâ Ciuitate, frequens; non tamen ita militiæ sciens, aut armis assuetus, ut faciendis eruptionibus, ac mœnibus propugnandis admodum idoneus esset. Igitur ad Archiducem scribit de præsenti periculo Gubernator: opportuna subsidia ut quamprimùm submittantur, enixè petit. Albertus, licèt in Ostendanam oppugnationem toto animo viribusque incumberet; instanti tantæ Vrbis necessitati deesse noluit. Quamobrem ad Ostendam id Copiarum reseruans, quod ad prosequendam obsidionem satis foret: Friderico Comiti Vandembergio mandauit, ut cum septem Peditum millibus, Equitibusque mille & quingentis opem ferret

Gubernator ab Archiduce subsidium poscit, atque impetrat.

ret Syluæ-Ducis periclitanti. Italos quòque, qui seceßione ab reliquis factâ Verthæ adhuc morabantur, iamque redierant ad obsequium, iußit Vandembergij Militi sese adiungere: unde iustus Exercitus conflatus. 1601.

INTEREA Sylua-ducenses, ad se strenuè defendendos, apparatum omnem adornare. Aquâ domos instruere, ad incendia restinguenda: scalas ad varias opportunitates promptas habere: lucernis ante singulas ædes positis vias per noctem illuminare. Præfectus Vrbis, ad mœnia vallis, & propugnaculis munienda, omne hominum genus admouet: breuique spatio temporis multum operis confectum. Nec minor erat in Obseßoribus ardor ad Vrbem oppugnandam. Primis namque obsidionis diebus ad Vuctensem portam tanto impetu irruperunt: ut prætentâ illi catenâ ictu bombardæ perfractâ, quasi iamiam intraturi, magnum Ciuibus terrorem incußerint. At Gubernator Milites aliquot emisit, qui pontem eius portæ subiectis facibus, adiectisque stramentis concremarunt. Quo consilio imminenti periculo obuiàm itum. Vt verò eidem in posterum securiùs prospiceretur; iußit idem ante portam eamdem lunatum excitari munimentum; ex quo, Milite, ac tormentis instructo, distineretur Hostis ab ingreßu.

Strenua oppugnatio, & defensio.

DVM hæc utrinquè summo conatu peraguntur; sexto Idus Nouembris ad portas Vrbis se sistunt ducenti sexaginta Milites in subsidium Grauiâ transmißi: modicum Obseßis auxilium, sed magnum indigentibus solatium. Quod cumularunt postridie perlatæ Archiducis literæ, quæ nunciabant, mandata ipsum dediße Vandembergio Comiti de subsidio statim inferendo. At Mauritius obsidionem acriter urgere: displosis aßiduè bombardis turres, templa, tectaque alia concutere: ignitos quòque globos magnam inuehentes perniciem contorquere. Nullum tamen hi excitarunt in Vrbe incendium; cùm ædificiorum tecta è lateribus, & lapideis laminis eßent, quæ non facile comprehendebant ignem. Accedebat Magistratuum diligentia, qui discrimen eiusmodi prouidentes; duplex contra id tutamentum iußerant à Ciuibus præparari. Alterum erat, ut siccæ arenæ copiam in tabulatis, & contignationibus haberent; quâ subitò volaticos illos ignes obruerent, restinguerentque. Alterum, ut regionum Vrbis Curatores, quos Vicomagistros appellant, statim atque supra ædificium aliquod dilapsam pestem illam viderent, concursu ad opitulandum facto, tecta eius ascenderent, aquis, alijsque adminiculis incendium gliscens opprimerent.

Ad ictus ignium remedia.

MAVRITIVS verò nullam oppugnationis industriam præter-

1601. termittebat: ac super assiduam Vrbis quassationem; effossis quoque cuniculis euertere munimenta Hostium conabatur. Contra portam præcipuè, quam Hintamensem vocant, eos dirigebat, ad illam diruendam. Quod prouidè suspicati Syluaducenses, cuniculo suo obuiàm ire hostili decreuerunt: atque artem arte superare. Verùm in eo labore Fossores duodecim, dum minùs cautè opus moliuntur, superincidente terrâ oppressi, non dolos Hosti, sed sepulcrum sibi struxerunt. Infelix alius ab aduersâ fortunâ in Vrbe incidit casus. Schetsius Gubernator unà cum Senatore Bardoulio mœnia perlustrabat, & militares in eis stationes, Excubiasque recognoscebat. Ad unum è Stationarijs deueniunt, ut ei de more tesseram tradant. Ille ubi Gubernatorem agnoscit, quò debitum ipsi deferat honorem, caput, & pectus inclinat. Eo motu compressum brachium in suum sclopetum impegit, illudque igniario propiùs admouit. Quare conceptâ repentè flammâ, disploduntur ex eo plumbei globuli: quorum unus Gubernatorem in femore vulnerat: alij duo duobus locis sauciant Senatorem. Ingens inde (uti par erat) ortus tumultus. At sapiens Præfectus, licèt in partem damni venisset, satis perspectâ Militis innocentiâ, auctoritate suâ cuncta composuit.

Contramine. Guastatori. Sentinelle. Il segno. Miccio. Palline.

Ducti utrinq; cuniculi.

Gubernator, & Senator fortuitò vulnerantur.

INTER hæc Vandembergius Comes, cum Copijs in subsidium ab Archiduce missus, Diestam venerat. Ibi (ut quod moliebatur occuleret, adeòque sine obstaculo exequeretur) dissipari rumorem iussit, velle se Helmondam, Oppidum quinque leucis Sylua-Ducis remotum, communire. Quamobrem eòdem præmisit Ioannem Iacobum Comitem Belgioiosum, supremum Equitatûs Curatorem (Commissarium vulgò dicunt) cum Equitibus mille, atque octingentis Peditibus Vallonibus ex Legione Caroli Lalainij Achicurtij Domini. Ad Pagos quòque finitimos Helmondæ literas dedit, quibus iubebat eorum Incolas in certam diem paratos esse munitionis initio faciendo. Clam verò alijs, monuit Belgioiosum, ut seditiosorum Equitatum secum deducens, eo protegente, Pedites octingentos Syluam-Ducis immittere conaretur. Id quàm sapienter ab illo præscriptum, tam ab hoc diligenter peractum. Helmondam Belgioiosus peruenit tertio Calendas Decembris, occumbente iam Sole: atque ibidem se pernoctaturum cum Exercitu simulauit. Verùm intendentibus magis sese tenebris, celeritate maximâ Copias Syluam-Ducis, inobseruatus Hosti, deduxit. Cùmque iam Vrbem proximè tenerent, Hilarium Blyleuenum, Achicurtianæ Legionis Instructorem supremum, in eam iussit cum octingentis Peditibus aduolare.

Vandenbergii subsidiã ferentis stratagema.

Sergente maggiore.

Subsidiū introducitur Syluam-Ducis.

uolare. Is nihilò segnior, inter duo munimenta Obsidentium 1605. prætergressus; cæsisque ex eis quinquaginta, quos in receptu quodam offendit, maximis acclamationibus exceptus à Sylua-ducensibus fuit. Belgioiosus, qui cum Equitatu rei exitum operiebatur; ubi ex Vrbe festis ignibus, ac læto strepitu bombardarum significatum est, iam intrasse subsidium; ad reliquum Vandembergij Exercitum se recepit. Is quòque opem ferre Syluæ-Ducis festinabat: cùm repentè solutam obsidionem audiuit.

Mauritius obsidionem soluit.

Quippe Mauritius animaduertens introducendi subsidij facilitatem, & iustum Exercitum in promptu, atque in propinquo; hyemalis præterea frigoris solito acrioris asperitate compulsus; remouere inde Copias opportunius duxit. Ferunt, in eius Castris præ nimio gelu Milites aliquot obriguisse. Cæteris verò fames interitum minabatur: quandò prorsus concreta glacie flumina commeatus inuehere non poterant. Quamobrem exeunte Decembri cum suis in Hollandiam regressus est.

Ostenda interea non solùm continuatâ obsidione, hoc est longo, & graui morbo laborabat: sed etiam alimentorum inopia, interclusâ per anni tempestatem nauigatione, premebatur. Plurimi è Præsidiarijs quà ferro, quà peste absumpti: alij superstites assiduis morbis afflictati. Pauci ad arma tractanda, atque ad erumpendum in Hostes, idonei. Ad has omnes calamitates cumulum addiderat procella solito vehementior: cuius impetu pars magna veteris Oppidi diruta, ac solo æquata. Quam opportunitatem à fortunâ porrectam sapienter arripiens Archidux, iussit ex eâ parte oppugnationem institui. Id ubi compertum habuere Obsessi, tot uno tempore malis obruti, atque ad extremam rerum desperationem adacti, colloquium de deditione cum Hoste poposcerunt. Igitur Natalis Christi peruigilio Franciscus Verius, qui in Ostendæ præfecturâ Vandernotio successerat, Legatos ad Archiducem misit, petitum inducias interea dum de conditionibus dedendi Oppidi ageretur. Hæ facilè concessæ: colloquium libenter indultum: utrinque Obsides dati. Cùmque dies aliquot ab armis cessaretur, belli campus versus est in militaris spectaculi theatrum. Ex uniuersâ namque Flandriâ facti concursus omnis hominum generis ad Ostendanum litus. Ibi bellicum utriusque partis apparatum cuncti curiosè circumspicere: noua machinamenta non sinè admiratione contemplari; prælijsque suspensis, aliud certaminis genus intueri: ingenia nempe variarum Nationum inter se contendentia de militaribus inuentis, artificijsque tam ad petendum Hostem, quàm ad se tegendum. Ita quemadmodum in humanis sæpè contingit; spectaculum erat, quod periculum fuerat. Vix

Ostendani agunt de deditione.

Parlamento di resa.

Tregua.

Arrendersi.

Ostaggi.

Ostendæ spectaculum in inducijs.

Armi offensiue, e difensiue.

1601.

Soccorso. Guillel. Cãden hist. Elisab. p. 4. Gasper Ens. Hæreus.

Oppidani, accepto Subsidio, renuunt se dedere.

VIX ea indicta Bellatoribus quies: cùm insperata opportunitas rursus bellicum cecinit. E Zelandiâ quippe naues quinque Militem, & commeatum inuehentes ad Ostendanum litus appulsæ; magnumque inde Subsidium in Oppidum receptum, animos Obsessis fecerunt ad obsidionem diutius sustinendam. Quare Verius (quem aliqui tradunt subdolè deditionem simulasse, deque conditionibus agere voluisse, ut euocandis auxilijs tempus protraheret) ubi se illâ ope validiorem ad obsistendum vidit, Obsides ad Archiducem remisit. Apud eumdem mutatam sententiam excusauit, cùm diceret. *Ad deditionem se supremâ necessitate compulsum. Eam accepto iam Subsidio summotam. In suam existimationem, imò & in caput suum se peccaturum; si nouis auctus viribus, defensionem sibi commißam prosequi recusaret. Sperare se de Archiducis benignitate: & præsens factum æqui, bonique consulturum: & si ad eam iterum confugere necesse foret, nihilò futurum in conditionibus seueriorem.* At Archidux verba sibi data, dolosèque secum actum, tantò vehementiùs indignatus, quantò alienius id erat ab sinceritate ingenij sui (pugnandum quippe censebat virtute, non dolo) ad acerrimam oppugnationem accingi Milites iussit: eamque sub initium anni consequentis Ostendæ admouit.

Gubernatoris excusatio.

Ex literis Virgilij Pinasci ad Friderick Spinulam.

Fridericus Spinula in Hispaniam accersitur.

HOC autem anno Fridericus Spinula in Hispanicam Aulam euocatus Regijs literis fuit. Quibus tamen commonebatur, nè profectionem suam alijs, quàm Archiduci Alberto patefaceret. Hic ineunte Aprili, ut iter maturaret, mandauit, quantùm tamen ab recenti morbo imbecillitas pateretur: suarumque triremium præfecturam interea loci Aurelio Spinulæ demandaret. Cùm primùm Fridericus Hispanicam in Aulam peruenit; ab Rege, Regijsque Ministris amanter, atque honorificè exceptus est. Iisdem nouum quoddam consilium suum & verbis, & scripto proposuit. Id autem huiusmodi erat: ut ad septem, quas ante duos annos regendas acceperat, Regias triremes, aliæ octo adderentur penitùs instructæ, munitæque. Eis ipse uteretur ad commodum aliquem portum in Angliæ orâ occupandum, tamque diu retinendum, donec eòdem tota Regia Classis allaberetur. Huius Milites in interiora Insulæ irrumpentes, & Catholicis in eâ latentibus adiuncti, eamdem, si possent, Religioni Catholicæ vendicarent. Hæc tamen omnia occultissimè, ac per summam dissimulationem, aliarumque expeditionum obtentu pertractanda: nè Hostibus explorata, spatium darent portus ita communiendi, ut expugnari nequirent. Magnam quòque celeritatem adhibendam: nè temporis progressus aut consilium aperiret,

Hæreus anno 1602. Iustinianus lib. 1. Bentiuolus l. 7. Cornerus l. 15 c. 4. Ex lit. Frider. ad Stephanũ Ibarrã an. 1599.

Consilium proponit de Anglia inuadenda.

aut

1601.

aut obicem interponeret. Id Regi cum placuisset; iussit, ut in arcano quodam congressu Mirandæ Comitis, eius qui Regi à Confessionibus erat, Ioannis Idiaquij, Petri Franquesæ, ac Stephani de Ibarrâ res diligentiùs expenderetur. Probata ea cunctis: & quò faciliùs ad exitum perduceretur; eidem Friderico supremum imperium Regiarum illarum triremium commissum.

Ea de re consultatio.

Ex lit. Frider. ad Lerma Ducem.

Fridericus Regiis triremibus præficitur.

His ita constitutis, iniunxit Rex suæ Classis Præfectis, ut octo validissimas, ac partibus omnibus absolutas, instructissimasque triremes Spinulæ traderent. Archiduci quòque Alberto literas dedit, quibus vehementer commendabat, ut Friderici res, quæ Hispanici Regni emolumentis subseruiebant, quâcumque posset ope iuuaret: eumque apparatu bellico satis instrueret, ad ea, quæ in se receperat, peragenda. Balthassari verò de Zunigâ, suo apud eumdem Legato, horum omnium curam, & sollicitudinem, scriptis pariter ad eum epistolis demandauit. Atque ipse Fridericus duo præ cæteris ab Alberto per literas petijt. Alterum ut, quandò triremium sibi creditarum duplò maior in Belgio futurus erat numerus; auctoritate suâ Quæstores Regios coërceret, nè maiorem pro eis fieri vetarent bellicum apparatum: nè-ve in apertum proferrent instructum belli, quem Rex esse vellet occultum: ideòque arcanis eâ de re literis ad ipsum scriberet. Alterum ut bombardas definiti in Regijs epistolis numeri, ac magnitudinis cum suis rotis, cæterisque armamentis Slusam importari iuberet. Harum verò procurationem, ut etiam reliqui militaris instrumenti, totiusque annonæ præparandæ Aurelio Spinulæ, suas obeunti vices in Belgio, commisit. Vbi Fridericus in Aulâ Hispanicâ tam felix consilijs suis captauit auspicium; ut supremam eisdem imponeret manum, facultatem quòque ab Rege impetrauit, sena Peditum millia tam Italorum, quàm Hispanorum ex Insubriâ contrahendi, Marchionis Ambrosij Fratris ductu. Eam facultatem his Rex datis ad eumdem Ambrosium literis declarauit.

Ex Regijs literis.

Ex lit. Frider. ad Archiducem.

Frid. Aurelio Spinulæ 13. Nouemb.

Regis literæ ad Spinulã Marchionem.

Illustris, fidelis, ac dilecte Venafri Marchio. Meum in Belgio Exercitum supplere decreui sex millibus Peditum Hispanorum, Italorumque ex Insubriâ conducendis. Magnam verò rei bene gerendæ fiduciam prabet tum virtus tua, tum uniuersa familia tua in obsequium meum satis explorata voluntas, atque ardor animorum. Quare statui Copiarum istarum imperium, ductumque fidei, curaque tua demandare. Mihique gratissimum feceris, si hanc susceperis prouinciam, Italumque ex Insubriâ Militem quamprimùm coëgeris, deduxerisque in Belgium. Fontano Comiti unà cum his literas dedi, pracipiens, ut ad hac exequenda operam suam, quantamcumque petieris, & ipsa res exege-

Marchio præficitur Copiis in Belgium ducendis.

1601. *exegerit, impendat. In cunctis verò præscriptum, & monita sequeris Fratris tui Friderici: quæ menti meæ, obsequioque consentanea esse* Vagliadolid. *nunc scias, postea clarius cognosces. Vallisoleti, tertio Nonas Nouembris.*

Eodem mense Rex Ambrosium præficit Italicis Copijs de- Maestro di Campo. ducendis Tribuni titulo, imperioque, datis ad ipsum eâ super re literis: in quibus amplissimis verbis eius fidem, prudentiam, scientiam rei militaris, aliasque Ductoris optimi proprias virtutes disertè commendat. Ad hanc regiam voluntatem pleniùs perficiendam, ex Hispaniâ Genuam se contulit Fridericus: ibique cum Fratre de rebus agendis deliberatione susceptâ, cum eodem Mediolanum profectus est, ut Fontanum Insubriæ Gubernatorem de comparandis Copijs alloquerentur.

Anno 1602. Initium interea duxit Annus millesimus sexcentesimus secundus: quo tempore Archidux deditionis spe fraudatus (ut diximus) magnâ Ostendam oppugnatione iussit inuadi. Priùs tamen in vetus Oppidum, quod paulò antè fuerat memoratâ maris procellâ labefactatum, ingentem fieri voluit bombardis fulminantibus impressionem. Ea facta tam vehemens fuit, ut in propugnaculo præsertim, quod vergit ad mare, amplam duxerit ruinam, hiatumque patefecerit irruptioni Militum opportunum. Igitur oppugnatio in hunc modum instituta septimo Idus Ianuarij. — *Anni principio Ostéda vehementer oppugnatur.* — *Batteria.* — *Apertura.* — *Assalto.*

Dvctores Ordinum quatuor cum tribus centurijs Militum id propugnaculum aggredi iussi; duo verò Centuriones cum ducentis Militibus muri longitudinem, qui ad propugnaculi læuum latus excurrit. Has Copias sequuturus erat cum quadringentis Didacus Durangus Hispanorum Tribunus; cui mandatum, ut statim atque captum esset propugnaculum, id sibi communiret. Tres præterea Centuriones cum duabus centurijs inuasuri erant lunatum veteris Oppidi munimentum. Antonius verò Gambaloyta Mediolanensis, Eques Hierosolymitanus, Italorumque Tribunus, cum totidem armatis, quatuorque Ductoribus in eodem munimento se, suosque tueri iussus, & cum Durango mutuam opem conferre. Alij trecenti sub quinque Centurionibus; ac postremò cum quadringentis Augustinus Mexia, prompti futuri erant ad accurrendum, quòcumque res vocaret. Reliquus demum Exercitus in varias acies distributus, ad omnem belli necessitatem accingebatur. Vt verò, quæ pars oppugnanda erat, ab Hoste ignoraretur; adeòque vires ad se tuendum cogeretur in omne latus diuidere, atque extenuare: sapienter imperatum, ut paruæ Militum manus ab omni parte Oppidum aggrederentur. — *Oppugnationis dispositio.* — *Cortina.* — *Riuellino.* — *Capitani.* — *Darsi mano.* — *Corpi.*

h In

In primas noctis tenebras irruptio indicta, quibus horis reciprocare solet maris æstus: iussusque Buquoius Comes è suâ Bredenensi statione eodem tempore alueo transmisso, obiectum sibi veteris Oppidi latus adoriri. Vbi primùm incubuit nox, & aquæ resederunt; ab Albertino propugnaculo factum initium oppugnandi. Magno impetu Obsessores irruunt, ac supra murum euadere certatim enituntur. Et licèt plerique (uti fit) in ipso conatu deficerent, ac prolaberentur vel exanimati, vel saucij; non idcirco deficiebant animis alij, neque ardor aggrediendi refrigescebat. 1602. *Assalto. Bassa marea.* Oppugnatio.

Havd segnior erat in Obsessis ad resistendum vigor. Quippe satis à Milite, rebusque cæteris ad defensionem instructi, in omnem accurrebant partem, seseque strenuè tuebantur. Illud etiam prudenter instituerant, ut excitatis undique ignibus, accensisque luminibus Oppidum omne illustraretur. Quo fiebat, ut commissum sibi quisque locum firmiùs teneret: & certiores in Hostem ictus dirigerentur: atque expeditius esset in quoduis latus, quò vocaret necessitas, se conferre. Imò eorumdem luminum beneficio deprehenderunt; alias oppugnationes circa Oppidum sparsas, inanes, atque ad Defensores distrahendos simulatas: unam tantùm esse, quæ robur omne contineret; & contra quam vires essent uniuersæ conuertendæ. Buquoius verò cum aquas aluei altiores, quàm crediderat, reperisset; traijcere cum suis ad oppugnandum haud potuit. Oppidani se strenue defendunt. Accensorum luminum utilitas.

Igitvr animosiores Ostendani ad eam partem, in quam tota vis Hostium incumbebat, facto concursu, irruentes acerrimè propulsare: maioribus, minoribusque tormentis sternere audacissimum quemque: propugnaculum, murum, latus illud Oppidi omne tam validè tueri; ut eorum nè minimâ quidem ex parte potiri Catholicis licuerit, quamuis summâ vi, atque ardore dimicantibus. Quare hi non sine graui suorum iacturâ referre pedem coacti. Quibus illud etiam infeliciter euènit ab Hostium insidijs: ut, quas transmiserant aquas, dum ad oppugnandum irruperant; apertis, dum retrocederent, cataractis, magno impetu auctas, adeòque tumefactas offenderint, ut eorum plerique fuerint ab eisdem absorpti. Octingenti numerantur, partim extincti, partim saucij; eosque inter non pauci Centuriones; atque ipsi præ cæteris Legionum Tribuni, quorum paulò antè meminimus, Gambaloyta cæsus, Durangus vulneratus. Cecidit quòque Ioannes Contrera Equitum Centurio, supremi Exercitûs Commissarij Filius: cui ad mare cum suis equitanti globus è bombardâ displosus deiecit caput. Eius centuria Oppugnationis exitus infelix. *Ritirarsi.* *Esclusе.* Multi Obsessores cæsi, aut vulnerati. *Capitani. Maestri di Campo. Carner. l. 15. c. 3.*

Guil-

1602. Guillelmo Verdugo demandata. Et illud memoriâ dignum traditur in hac oppugnatione contigisse. Inter cæsorum corpora cadauer Hispanæ Iuuenculæ repertum, exceptis aduerso pectore vulneribus: quæ dicitur in primis Ordinibus fortiter pugnans occubuisse. Aureum torquem circa nudum corpus habebat; & pecuniam, aliasque res pretiosas in loculis. Ita multis, atque opimis onusta spolijs, ipsa demum reciprocantis fortunæ spolium fuit. Egregiam in eodem conflictu præstitit operam Ioannes Bentiuolus Hierosolymitanus Eques, Vidonis Cardinalis Bentiuoli Frater: quem paulò pòst Archiduces honoris ergo Hastatæ cohorti præfecerunt.

Haræus anno 1602. Gaspar Ens lib. 22.

Inter eos etiã fæmina bellatrix.

Compagnia di lancie.

OB infelicem hunc exitum, atque obsidionem tamdiu sine fructu protractam; multòque magis ob hyemis, quæ iam inualescebat, asperitatem, plerique auctores erant Alberto, ut rem propè desperatam missam faceret. At magnanimus Princeps, qui probè norat: prudentis haud esse, quod diu meditatus fuerit opus, statim abijcere: neque vel Hispano Regi, vel sibi decorum fore, ab eâ obsidione tam facilè desistere, quæ tam vulgata per Europam, tantam exciuisset in Nationibus expectationem sui; eorum consilijs nequaquam assentiendum existimauit. Quin ad opus acriùs urgendum, à Diui Alberti statione iussit ingentem erigi quadratam molem (Planam formam vulgus appellat) quæ quàm maximè fieri posset, Oppido ex eâ parte desuper incumberet. Buquoio verò mandauit, ut è Carolino munimento ad Bredenensem alueum quàm celerrimè duceret aggerem suprà memoratum.

Non ideo persuadetur Archiduci, ut obsidionẽ omittat.

Imò nouæ Machinæ instruuntur.

Piattaforma.

Dicco.

MVLTVM ex utroque latere laboris exantlari cœpit. Et quadrata quidem munitio, quæ in arido solo extruebatur, ex ramalium fascibus, atque arenâ tantummodo constabat. At agger, qui in loco excrescentibus aquis obnoxio fabricabatur, aliâ molitione, atque opificio compingendus fuit. Trabes itaque insumebantur quindecim pedes longæ, quibus medijs aliæ longitudinis eiusdem rectæ clauis infigebantur ut literæ, T, speciem referrent, à quâ nomen etiam trahebant. Hæ mari recedente, in arenâ propè alueum ita collocabantur, ut altera pars iaceret, ad lineam altera insurgeret. Super eas ramalium, laterumque maiora farcimina, alibi indicata, deuoluebantur, atque inter se aptè coniungebantur ad septuaginta pedum latitudinem, longitudinem verò pro arbitrio. Vtque firmiùs hærerent, vinculis ex obtortis ramis connectebantur. His minores lucanicæ superiectæ in transuersum disponebantur aliæ super alijs, & paxillis exacutis, ceu clauis, mutuò iunctæ eisdem vin-

Earum descriptio.

Fascine.

Bassa marea.

Salsiccie.

1602.

culis constringebantur. In hunc modum plures farciminum quasi contignationes coagmentatæ in eam altitudinem assurgebant, quam exæstuantes aquæ minimè superarent. Multum denique superfundebatur arenæ: ut eo pondere moles aduersùs maris impetum firmaretur. Loricam quòque è ramorum fascibus, terràque congestâ supra eumdem aggerem construxerunt Ostendam versùs: ut bombardarum ictus defenderet: interiecta verò subinde spatia suis collocandis tormentis reliquerunt. Inter hæc Varambonis Marchio Burgundicæ Legionis præfecturam abdicauit: quam Archidux eius Fratri Claudio Balansonis Domino commisit. His ita dispositis, cum accepisset Albertus, ingentes ab Hoste fieri bellicos apparatus: ut copiosiùs ipse quòque se ad bellum instrueret, Gandauum migrauit; Ioanni de Riuâ Exercitûs imperio in Ostendanâ obsidione demandato.

Parapetto.
Cannoniere.

At Spinulæ Fratres Mediolanum (uti paulò antè diximus) profecti ad contrahendas Copias; Fontanum Comitem conuenerunt. Is de conducendo Italico Milite ipsis facilè assensus est: Hispanicum verò prorsus abnuit; quem haud abundantem numero, commissæ sibi prouinciæ necessitatibus reseruandum ducebat. Regressus in Hispaniam Fridericus, ut ineunte Vere, hoc est eodem tempore triremes in Belgium deduceret, quo Marchio Frater coactas ex Italiâ Copias eòdem traheret: illud ab Rege contendit, atque impetrauit, ut si quidem Hispanos Insubriæ demere è Regiâ re non foret; alia duo Italorum millia conscribendi potestas esset. Igitur Marchio ad florentissimum conflandum Exercitum diligentiam omnem adhibere. Centuriones præsertim, aliosque Militum Præfectos ex ambientium concursu eligere tum veteranos, & bellicæ scientes rei; tum opulentos, ac nobiles, ingentem numerum in aciem attracturos.

Far leuata.
Assoldare.
Far cõdotta.
Ex literis Marchionis ad Fratrem 9. Aprilis.
Assoldare.
Põpeius Iustinian. l. 1.
Camerus l. 15 c. 4.

Italorum Copiæ à Marchione delectæ.

Dvas in Legiones Copiæ omnes diuisæ: in unaquaque signa viginti: sub quibus singulis viginti ferè Milites supra ducentos: superfluente numero ob frequens diffugiendi periculum. Alterius Legionis Tribunus fuit ipsemet Marchio; supremus verò Instructor Pompeius Iustinianus; qui Belgicum hoc bellum non modò theatrum habuit virtutis suæ, & antea sub Parmensi, & postea sub Spinulâ tam fortiter, quàm feliciter militando; sed & ingenij materiem, de eo datis in lucem illustribus Commentarijs. Alterius Lucius Dentices Tribunus, Augustinus Arconatus Instructor: magni nominis ambo, magnæque in bello experientiæ. Quoniam verò fama per Italiam percrebuerat, militare stipendium à Spinulis Fratribus, quorum ære Miles conducebatur, & tempestiuè, & liberaliter solui: tantus ad nomina danda con-

Terzi.
Compagnie.
Maestro di Campo.
Sergente maggiore.
Haræus anno 1602.
Paga.
Assoldare.
Iustinianus.

Duarum Legionum Præfecti.

1602. *Bentiuolus l. 7.* concursus hominum fuit ex uniuersis Italicis prouincijs: ut breuissimo tempore ad nouem Peditum millia confluxerint. Ex quibus haberi delectus commodissimè potuit & nobiliorum, quorum est in bello fortiùs facere; & ditiorum, quos penuria non adigit ad indecora; & quod maximè ducit in spem victoriæ, Veteranorum.

Marchia. Ex eisdem literis Marchionis. PROFECTIONEM Exercitûs in Belgium urgebat magnopere Fontanus: neque minore ardebat desiderio Marchio sese quamprimùm itineri committendi: ille tanquam Insubriæ Præfectus, ut tantæ multitudinis, & quidem militaris, onere prouinciam leuaret: hic, ut expeditionis sibi commissæ præclarum opus aggrederetur. Verùm hic Hispani Regis iniussu migrandum haud censuit. Quare tum suo, tum Amicorum consilio, dissimulare cœpit apud Comitem, quam sibi præstituerat moram: remque trahere in dies, & modò hâc, modò illâ de causâ procrastinare. Hunc ipsum ad finem, Genuam Hebdomadâ sanctiore contendit: ibique aliquandiu moratus, ad Exercitum redijt; qui non ante Calendas Maias Mediolano deductus. *Ingratæ Friderico moræ in Hispania.*

FRIDERICVS interea longè maiores in Hispaniâ moras expertus, eas ægerrimè tulit: atque impendentium inde malorum quasi præsagus (ut sæpè prouida mens futura diuinat) cùm diu multùmque super accipiendis in potestatem triremibus regia iussa expectasset; ad rem accelerandam scripsit ad Stephanum Ibarram, ac Petrum Franquesam, qui præ cæteris Regi erant à Secretis; ad Lermæum Ducem, qui præcipuus eiusdem Consiliarius, & Continuus; ad ipsum denique Regem, disertissimis verbis moræ tam diuturnæ damna proponens. *Quippe nisi eodem tempore conuenirent in Belgium illinc Miles à Marchione Fratre conductus, hinc triremes ab se recta; nouos faciendos, ac multò maiores sumptus ad Militem eumdem alendum; quibus tamen haud esset prospectum. Præterea nisi tempestiuè solueret Classis, quæ ab anni temporibus, & Cæli, marisque habitu, ventorumque afflatibus tota pendet: in magna facilè incommoda eam incurrere posse, quæ destinatam expeditionem prorsus pessumdarent. Hac se maturè præmonere, nè si fortè (quod Deus auerteret) euenirent; sua vel improuida menti, vel dissimulationi referrentur accepta.* His, alijsque rationum incitamentis assiduè negotium urgens Fridericus, Regias tandem literas impetrauit, quibus omnino iubebatur, ut è Regijs triremibus octo ipsi committerentur.

Ex lit. Frider. ad Lerma Ducem 9. Martij.

Earum damna.

IGITVR exeunte Martio Vallisoleto discessit Lusitaniam versùs, atque in Algarbiæ regnum profectus, in eo portu constitit, quem olim Cuneum Promontorium, postmodum Diuæ Mariæ no- *Discedere tàndem finitur.*

Capo di S. Maria.

nomine appellarunt. Hîc Præfecto Regiarum triremium Castellano (Adelantadum Hispani vocant) ab Rege literas reddidit. Quibus ille perlectis, Friderico subiecit: ob regium magni momenti negotium impatiens moræ quatuor è triremibus emittendas, quas breui redituras ipsi commissum iri: alias quatuor, quæ in Bæti fluuio prope Hispalim essent, se quamprimùm euocaturum. Dum utræque conueniunt, res ipsum ad nauigationem necessarias parare posse. Simulque multa recensuit, quæ in ijs nauigijs requirebantur. Nec diu pòst Præfectus idem Friderico significauit, alio Regis per literas mandato iniunctum sibi, uti triremes omnes ad sacrum Promontorium (quod hodie Sancti Vincentij Caput appellant) extemplo transmitteret; venientibus ex nouo terrarum Orbe onerarijs, Regiamque gazam vehentibus, præsidio, custodiæque futuras. Quamobrem earundem reditum expectandum, ut octo ipsi promissæ demandarentur. Ita nouis dilationibus nouæ causæ subnectebantur in dies. Cognouit eodem tempore Fridericus, triremes illas ad iter suscipiendum non satis esse Remigibus instructas; quorum alij ætate fessi forent, alij membris inualidi, pauci ad laborem idonei. De his, ac talibus certiorem fecit per literas Regem: seseque exhibuit ad Regium thesaurum præsidiarijs triremibus comitandum, si hæ statim suæ curæ crederentur. Ad numerum verò Remigum supplendum consilium optimum obtulit, ut nempe remigium omne nouem triremium in octo contraheretur. Quod Regijs Administris, ipsique Regi placuit. 1602.

Triremes in Lusitania non statim impetrat.

Guadalquiuir. *Siuiglia.*

Idem ad eundem 13. Aprilis. *Capo di S. Vincente.* *Flotta.*

Galeotti.

Vbi primùm Americana gaza ad Gaditanum portum peruecta est; promissas triremes Friderico attribuere tandem decreuit earumdem Præfectus. Sed antè cum eodem aliquandiu colloquutus, arcana eius, Regisque consilia rimari studuit. *Accepisse namque se*, asserebat, *à Venafri Marchione ipsius Fratre conduci ex Italiâ in Belgium quinque millia Peditum, Equites mille. Quorsum id fieret, optare se compertum habere. Alias verò triremes eodem tempore ab ipso in Belgium deduci, magna cuiuspiam expeditionis argumento esse*. Ad quæ Fridericus. *Pedites quidem quinquies mille, Equites verò nullos à Fratre conduci. Eum perducturum illos in Belgium, ac statim rediturum. Quod verò ad se spectaret; anno superiore consultum ab Rege per literas super quadam expeditione Zelandicâ, à Vaquereni j Domino propositâ, quid ipse sentiret: ingenuè suam sententiam protulisse; eamque Regi, ac Regio Senatui probatam. Inde in Hispaniam euocatum, iussumque alias octo triremes in Belgium adducere; idque tam maturè, ut in æstatem proximam usui esse possent. Cæterùm quid aut Rex, aut Archidux animo agitarent*, quò-ve

Fridericus Ibera 15. April.

Fridericus in Regia arcana sidut.

1602. *quò-ve conspirarent, se prorsus ignarum. Magnum aliquid agitari* adiecit ille: *verùm tam paucis triremibus confici nequire.* Respondit Fridericus. *Siquidem expeditio intra Zelandiam, Hollandiamque contineretur; perduci ad exitum posse octo illis triremibus ad septem alias, quæ in Belgio erant, adiunctu: sin maius opus moueretur, eas omnes profectò satis haud futuras. Ac proinde credibile esse nihil maioris momenti tentatum iri.* Ita Fridericus Regium arcanum cautè dissimulando, & fidem Regi seruauit integram, & obicibus occurrit, qui solent patefactis consilijs obuenire.

ANGLICA verò expeditio clam ei demandata multis difficultatibus obstruebatur, quas ipse Regi, Lermæ Duci, Franquesæ, atque Ibarræ datis ad singulos eadem die epistolis significauit. [21. Maij.] Et ad Regem quidem præcipuè in hanc ferme sententiam scripsit. *In Regijs se mandatis habuisse, ut regressus in Belgium ad commissam expeditionem exequendam, bis mille Hispanos ab Archiduce acciperet, quos ex Insubriâ cum alijs millibus Italorum Marchio Frater conducturus erat: ac sinè illis nihil omnino aggrederetur. Postmodum verò ex Italiâ, Belgioque compertum sibi, Fontanum Comitem vetuisse Hispanos Milites ex Insubriâ deduci. Alios ab Archiduce se sperare non posse, qui Copiarum penuriâ laboraret; quique potius ad Exercitum inhiaret ex Italiâ venturum. Quin anteacto quoque se tempore expertum, nullam triremibus opem ab Archiduce conferri. Quare si expeditio peragi sinè Hispano Milite nequiret, hunc verò nullum nancisci liceret; eam prorsus per solidum illum annum dilapsuram. Prospiceret ergo in rem omnem Regia Maiestas, prasci beretque, quid in tantis rerum angustijs agendum. Si prioribus stetur decretis, in quæ prudentissimi quique Consiliarij, atque Administri consenserant: sperare se, Deo fauente, grandibus cæptis fortunatos exitus responsuros. Quos ipse nisi sperasset, numquam se tanto domesticæ rei, existimationis, atque ipsius vitæ discrimini commissurum fuisse. Sin vel deficientibus, qui ducantur, Hispanis, vel aliam quamcunque ob causam destinata expeditio minimè prosequenda videatur: illud se ab Regiâ sapientiâ etiam atque etiam flagitare; ut sedulò expendat, ac deliberet: utrum designatâ expeditione seclusâ, triremium aliquot Classem in Belgio promptam velit esse, nec-nè. Sibi quidem valde opportunam videri, ad rebellantes illos Populos Regium in obsequium per vim redigendos. Tunc autem id tantummodo successurum, cùm eis congruens Peditatus, ac debita suppeditentur auxilia. Sin verò hæc denegentur, uti retroacto tempore contigit; non solùm nihil eas allaturas emolumenti; sed omnino cum graui regiæ rei detrimento perituras. Quod ad se attineret, ut Diuinæ simul, ac Regiæ Maiestati id, quod deberet, obsequium præstaret; eam expeditionem, quæ tam aperte*

Expeditionis Angliçæ difficultates.

rè Religioni Catholicæ, Hispanicæque gloriæ subseruiret, libenti animo suscepisse: nec magnis sumptibus, nec assiduis laboribus, neque sua vita periculis parcere decreuisse. Tanti ducere, Deo, ac Regi se, & sua immolare. Quod si tam salutare Christianæ, Regiæque rei negotium ad irritum cadat, ac sola supersit in orâ Belgicâ triremium administratio: suppliciter obsecrare se Regiam Maiestatem, ut alteri cuilibet ea cura demandetur, qui fortunatior sit in ope ab Archiduce impetrandâ. Eum quippe cardinem esse, in quo moles tota vertatur. Id verò se petere, non quod Regijs subduci cupiat obsequijs; in quibus & viuere, & mori votum suum maximum sit: sed quod abnuat animus in id se opus impendere, quo non modò prodesse non possit, sed metuat obesse. Hoc euenturum in earum procuratione triremium, haud se temere suspicari. Nam si necessarijs fraudentur auxilijs, uti fraudatæ antea fuerunt, prorsus in nihilum abituras. Quamobrem pro ijs omnibus, quæ ad eam diem in Regis obsequium fecerit, tuleritque; unum id se ingentis præmij loco postulare; ut opportunitatem sibi præbeat bene de Hispanico Regno, non autem malè merendi. Illud fore, si susceptam expeditionem prosequi iubeat. Sin aliter visum ipsi fuerit; quid agere se velit, det in mandatis.

His omissis, Fridericus dimitti petit.

HAEC eadem, quæ Fridericus Regi per literas proposuit; tribus quòque Patronis apud Regem suis, Lermæo, Franquesæ, Ibarræ commendauit: ut quorum summa erat auctoritas in Aulâ Hispanicâ, eorum confirmaret iudicio sententiam suam: & regia in illos, illorum in se beneuolentia efficaciores redderet preces. Sapienter quippe rebus ab se gerendis consuluerat Fridericus: dum ex ijs, qui continui Regis erant, eique præ cæteris gratiosi, aliquot sibi arctissimè deuinxerat, probè gnarus: gratiam Principis in Aulicorum esse potestate; ac per eos patere aditum non magis ad penetralia, quàm ad corda regnantum.

Profectio Spinulæ Marchionis in Belgium.

Marchio ad Fridericum 17. Iulij.

DVM hæc Fridericus scriberet in Hispaniam; Marchio Frater in Italiâ collectum ex flore Nobilitatis Exercitum Belgium versùs magno ordine, magnâque per Europam famâ deducebat. Calendis Maijs, ex regio per Friderici literas præscripto, Mediolano discessit: postridie Vercellensem agrum intrauit. Vtque rectiùs, ac sinè ullâ perturbatione castrametatio procederet; in octo agmina partitus fuerat Exercitum uniuersum. Eorum unicuique diem dixerat, quâ perueniendum ad locum quempiam erat. Quo fiebat ut altero nunquam alterum impediente, unde hoc agmen mane discesserat, eò illud vespere se conferret; ubique præparari iussis sufficientibus alimentis. Duo quòque diligenter cauit ex militari disciplinâ: promulgatoque, dum Vercellas prætergrederetur, Edicto seruari ab omnibus seuerissimè

Ordo, & disciplina militaris in itinere.

Iustinianus, Camerus.

man-

1602. mandauit. Alterum ut in regionibus, per quas transducebatur, ab omni Miles abstineret iniuriâ, damno-ve Incolis inferendo. Facilis quippe aditus ubique patet innocentibus. Alterum, ut Ordines, & Castra deserere nemo auderet: promissâ decem aureorum mercede pro singulis fugitiuis, qui ad se reducerentur. Quare vix centum ex toto numero in tam longo itinere diffugerunt. In solâ tamen Lotharingiâ ferè quadringenti fugam arripuere: propterea quòd eius Prouinciæ Præsides subiectis Populis imperarunt, ut fugitiuos ope iuuarent, nedum ut ipsorum Ductoribus sisterent. Exercitum non antè Marchio lustrauit, quàm in Burgundiam perueniret. Ibi Milites recensiti, ioties mille, & quadringenti comperti. Bina quòque stipendia bidem persoluta sunt.

Inde processum in Belgium cum tantâ militaris disciplinæ obseruantiâ: ut non de nouo conscriptus, sed pluribus expertus bellis Exercitus videretur. Vbi Namurcum attigit Spinula; ab Oratore apud Belgas Hispano adfuit Nuncius, qui eum Archiducis nomine ad Aulam euocaret. Eò statim perrexit Marchio: Archiduces, Oratoremque conuènit, summis ab his honoris, ac beneuolentiæ significationibus exceptus. Regias eidem literas reddidit, quibus Copiæ, quæ adducebantur ex Italiâ, intactæ iubebantur ad appulsum Friderici cum triremibus reseruari. At Albertus certior factus, Mauritium cum viginti duobus Peditum millibus, & Equitibus quinquies mille properare in Brabantiam, ut in eâ quotquot posset, loca occuparet; tùm verò in Flandriam iter flecteret periclitanti Ostendæ subsidium allaturus: peropportunum existimauit hunc Spinulæ recentem, & validum Exercitum cæteris suis Copijs coniunctum, ad occurrendum Hosti, tanto cum robore Militum venienti. Quare institit Marchioni, ut cum ijs omnibus, quos duxerat, Diesthemium contenderet, alijsque arma sociaret aduersùs Fœderatos. Obiecit Ambrosius Regia iussa literis ad Legatum disertè expressa: obiecit expeditionem Friderico Fratri commissam, quæ sinè illo Exercitu promoueri non posset. At Archidux neutro retardatus, in sententiâ perstitit, adijciens: Regem ipsum assensurum sibi fuisse, pristinumque consilium depositurum; si tam præsens ab Hostium tantâ multitudine discrimen compertum habuisset. Donec verò Fridericus appelleret; non esse recentibus illis Militibus otio ignauo torpendum: sed tanquam ad exercitamentum expeditionis futuræ, in puluerem, ac Solem prodeundum. Tam obfirmatæ Archiducis voluntati diutius obsistendum non censuit Marchio; nè in eiusdem offensionem incurreret, &

Archidux Marchionis Copijs utitur contra Mauritium.

Diest.

i quod

quod facilè consequens esset, ipsius Regis. Si quid enim à tantis Hostium Copijs inuectum fuisset in regiam ditionem detrimenti; ipsi statim vitio verti poterat, qui paratas in tempore suppetias minimè tulisset. Itaque magis è re suâ, Fratrisque futurum duxit; si tùm ab Archiduce imperata faceret. Diesthemium igitur versùs Exercitum deduxit, cum his tamen conditionibus: ut is ab reliquis Copijs perpetuò segregatus, propriam stationem haberet; neque unquam diuideretur: atque ubi primùm adesset Fridericus, quòcumque ipse iuberet, extemplo migraret. Hæc omnia Fratri per literas Marchio significauit. 1602. *Quartiero.*

Alias præmiserat sub Mendozza.

IAM pridem ad obsistendum Mauritij conatibus cogi iusserat Archidux quinque Peditum, quatuor Equitum millia; ijsque præfecerat omnibus Franciscum Mendozzam Aragoniæ Archithalassum, sæpè suprà memoratum. Hæ Copiæ Thenas ductæ, vulgò Tillæmontem. Compertum quippe iam fuerat, Mauritium cum Exercitu in Agro Nouiomagensi constitisse, pontesque ad Mosam transmittendum instruere. Accessit Spinula cum suis Copijs ad Mendozzam: eius quidem præscripta sequi ab Archiduce iussus in eo prælio; verùm absolutum ab eodem retinens in suos Milites imperium. In campo dimidiâ leucâ Thenis remoto Castra posuere Catholici, eademque circumcirca muniere. Eò namque Mauritianos contendere pertulerat rumor. Verùm hi ad Sancti Trudonis Oppidum progressi, quod trium horarum itinere Thenis distat, leucâ unâ procul hostili Exercitu gradum fixere. Cumque dies aliquot nihil mouendo triuissent: vel quòd expectarent, ut prior Hostis consereret manus: cum prudentiores Duces sustinere, quàm aggredi utilius ducant: vel quòd maiores ad repugnandum vires, quàm sibi persuaserant, offendissent; tutius habuerunt eâdem, quâ processerant, viâ inde recedere. *Telmone.* *Di Nimega.* *San Truden.*

Mendozza cõsultat, quid agẽdum.

Eo de recessu certior factus Mendozza Senatum bellicum conuocauit. In eo quæsiuit, quæ potissimùm deliberatio pro rei, ac temporis opportunitate capienda. Variæ fuerunt in medium prolatæ sententiæ. Alij persequendum Hostem existimabant, eiusque terga premenda, quantum liceret, importando detrimenti: nè sineretur impunè spatium sumere ad Vrbem, aut Arcem quampiam oppugnandam. Contrà sentiebant alij, diuersâ viâ per Diesthemium, Syluam-Ducis, & Grauiam properandum: ut ambo hæc loca præcurrentibus subsidijs firmarentur, de quibus obsidendis pronior erat suspicio. Neque verò insequendum Hostem, cuius longè maiores essent vires: nè cum eo miscere prælium parum felici exitu cogerentur. Curandum potiùs, nè *Graue.*

pro-

1602. progressus maiores faceret. Aliorum denique sententia hæc erat, ut de statu rerum uniuerso ad Archiducem referretur: & quid suscipiendum consilij, mandatis eiusdem præscriberetur. Hæc præ cæteris placuit Mendozzæ, adeòque Principis mentem per literas exquisiuit.

Interim verò Diesthemium versùs Castra mouit, ac prope id Oppidum in aperto substitit campo; unde facilis, atque expedita traiectio erat vel Grauiam, ac Syluam-Ducis, vel ad fluuium Mosam, vel demum quòcumque Mauritium pergere fama nunciasset. Ea tamen continenter animum cura mordebat: quòd pecuniâ, bellico apparatu, carrisque ad alimenta conuehenda parum esset instructus, parumque idcirco alacrem Exercitum haberet; extra eam partem, quam rebus omnibus abundantem Spinula Marchio moderabatur. Non defuere, qui tùm quererentur, optimam prætermissam grauiter lædendi Hostis opportunitatem. Quippe qui dum ad Sancti Trudonis moraretur, magnâ victûs penuriâ laborauerat. Quamobrem Milites ferè tyrones, ac nescij tolerandi, valde ceciderant animis. Cùmque receptus omnis perturbandis Ordinibus sit obnoxius: perque regionem hostilem, ac plures locorum angustias transmeandum Mauritianis fuisset; nullo negotio ingentia eis licuisse inferre damna. Sed rerum omnium ad bellum idonearum inopia à tam commodâ occasione animos Catholicorum auertit.

Responsum Archidux ad epistolam Mendozzæ dedit: eius militari prudentiæ integram reseruans deliberationem suscipiendam. Sapienter tamen admonuit, ut caueret, nè per bellicum dolum Hostis Catholicorum Exercitum in Belgium interius Ostendâ procul auerteret; quò tutiùs ipse posset Milites suos repentè in naues conijcere, ac validum mari Subsidium ad Oppidum illud immittere. Quare nè longiùs inde digrederetur, quàm ut posset hostilem appulsum impedire. Accepit Mendozza consilium: ac dies aliquot ibidem supersedit, nullâ deliberatione susceptâ, sed intentus in eam, quam caperet Mauritius. Is verò primùm varias simulauit obsidiones, ut Hostem loco moueret, ac distraheret: mox unam, ac veram Grauiæ aggressus est. Ad eam sese instruxit, Helmondæ Arcem in itinere obuiam occupando; cautè veritus nè ab Hostibus illinc infestaretur.

Archidux deliberationẽ remisit ad Mendozzam.

Mauritius Grauiam obsidet.

Graue.

Helmont.

Geldriae quondam Duci subiectum Oppidum, postmodum verò Brabantiæ, Grauia erat, ad sinistram Mosæ ripam situm. Oppigneratum id fuerat Maximiliano Egmondo Comiti Burano, cuius unicam Filiam cùm Guillelmus Arausionis Princeps

Grauiæ situs, dominium, descriptio.

Gaspar Ens lib. 23.

Oranges.

ceps sibi connubio iunxisset, ingenti quòque pecuniæ vi numeratâ, Familiæ suæ patrimonio Grauiam addidit. Ab Alexandro tamen Parmensi Duce capta, in Hispanorum venerat potestatem. Mauritius igitur, quasi paternam ditionem recuperaturus, Grauiam inuasit. Munitissima ea est, tum ab altâ fossâ circumductâ, mœnibus celsis, validis propugnaculis: tum ab aquis extra eam latè stagnantibus. Fluuij quòque traiectui magni momenti desuper imminet. Verùm, quòd ad eiusdem eluuiones coercendas, ingentes in utrâque ripâ obices sunt erecti: facili negotio possunt ijdem in aggeres conuerti, quibus Hostis ad oppugnandum Oppidum utatur. Ex aduerso Grauiæ in alterâ ripâ munimentum extructum erat ad fluminis transitum custodiendum; quod quia statim occupari ab Hostibus poterat, propugnaculum perditi sumptûs appellarunt. Et ipse quidem Mauritius id vocabuli comprobauit: quando vix in illud directis, displosisque tormentis, ob exiguam molem, paucorumque Defensorum capacem, eo potitus est.

1602. *Grotius lib. 11. Baudart. Hæræus. Iustinianus lib. 1. Carner. l. 15. c. 5. Bentiuolus lib. 7. Thuanus l. 127.*

Propugnaculum perditi sumptus.

PRIDIE Idus Iulias ad Grauiam Castra posuit. Validis ab omni parte aggeribus, & propugnaculis, & receptibus Exercitum communiuit aduersùs Hostem; ad se mouendum loco, subsidiumque Obsessis inferendum, sine dubio venturum. Ad ea perficienda opera plus concessum spatij fuit ab Archiducis Copijs, earumque in succurrendo tarditate, quàm vel præsens necessitas, vel militaris peritia requirebat. Causa tardandi fuit aut Ductoris ipsius lentum, & consideratum ingenium; aut aliorum Exercitûs Præfectorum, pro varietate Nationum, in sententijs dicendis magna varietas.

Obsidionis initiũ.

Seri Catholicorũ subsidij causæ.

FOEDERATORVM Castra Oppidum circumsidentia tres fuerant in partes distributa. In primâ statione, quæ ad ripam fluminis collocata Orientem Solem spectabat; ipse Mauritius erat cum flore, ac robore Exercitûs. Duos ab eo latere pontes imposuerat Mosæ: Peditibus alterum, alterum Equitibus transducendis. Totidem inter utramque ripam interiectæ catenæ, ac munimentis utrinque custoditæ, nè hostilibus nauigijs prono fluuio delabentibus aditus patêret. Ad alteram Oppidi partem, quæ Solis Occasum versùs longiùs à Mosâ recedit, stationem nactus fuerat Guillelmus Nassauius cum Equitatûs parte, Frisijs, & Scotis. In extremo latere, quà rursus Oppidum vergit ad flumen, Anglis suis præerat Verius Tribunus: unâque cum potestate aderant Ringrauius, & Fridericus Solmensis Comes. Ibidem commeatus nauibus importati deponebantur; & carris subuecti per uniuersum dispensabantur Exercitum. At ultra Mosim è re-

Dispositio Exercitus obsidentis.

1602. regione Oppidi nulla certa pars Militum stationem habebat: sed è totis Castris lecta Equitum manus eòdem ad agendas excubias transmittebatur. Hæc fuisse forma traditur huius Mauritianæ Obsidionis.

Bentiuolus. Camerus. Iustinianus. Hareus. OPPIDVM id temporis cum imperio tenebat Antonius Gonzalius Hispanus bellandi vetus,& rerum expertus: Auilam aliqui cognominant. Præsidiarijs utebatur mille quingentis ex varijs Nationibus, præcipuè verò Hispanis, tum sui ductûs, tum Ioannis de Tarnâ. Nihil is prætermisit ex ijs, quæ ad muniendum Oppidum, Hostem propulsandum, obsidionemque diutius sustinendam idonea existimauit: firmante præsertim animos haud dubiâ spe, adfuturum in tempore subsidium ab Archiducis Copijs, non ita longo interuallo remotis. Neque omnino falsa spes fuit. Quippe obsessæ Grauiæ nuncio ad Mendozzam perlato, eò direxit iter cum Exercitu, quem propter Mosam deducebat; quò faciliùs instrui posset commeatibus, & bellico apparatu ab Vrbibus Namurco, Leodico, Traiecto, locisque alijs ad Mosam sitis. Ruræmundam ubi peruenit, ibidem dies aliquot substitit: tum ut ea cuncta compararet, quæ forent opus: tum præsertim ut fabricandum curaret pontem ad Mosam traijciendum, quando res postularet. Verùm hæc mora, quæ in subsidium obsessi Oppidi trahebatur, ingenti eidem detrimento fuit: siquidem in ope ferendâ nihil celeritate opportunius. Etenim postquam in conspectum Grauiæ tandem venit, impositoque Mosæ, quem construi iusserat, ponte traiecit Exercitum, ac non procul Mauritij munitionibus Castra posuit: tùm demum intellexit, seriùs quàm oportebat, se aduenisse subsidio: cùm nempe Hostis adeo sese undique roborauerat, valloque tam firmo Oppidum circumsepserat; ut neque huc penetrandi, neque illum obsidione depellendi spes ulla superesset. Grauiæ Gubernatoris diligentia. Namur. Liege. Mastrich. Ruremonda.

IAMQVE Obsessores non modò triplici ex parte deductis ad Oppidum aggeribus, viciniorem ei extremam perniciem intentabant: sed contortis quòque identidem globis, igneam pestem ferali arte spargentibus, domorum tecta, cum ineuitabili multorum strage, ad imum solum opprimebant. Non eo tamen terrore consternati animos destituebant Obsessi. Quin ipsi pariter militarem virtutem præ se ferebant, fossam diligenter tuendo, bombardas non incassum exonerando, frequentes faciendo eruptiones. Bombe.

AT Mendozza insuperabiles obiectas videns difficultates ad immittendum Oppido Subsidium, Hostem-ve submouendum; in summâ ambiguitate deliberationis capiendæ militare Concilium Mendozza demum cogit Concilium bellicum.

cilium coëgit. In eo variatum de more sententijs fuit. Vt enim 1602.
Præfectorum quisque bellico præstare se ostenderet ingenio;
nouum aliquod, alijsque irrepertum consilium in medium pro-
Variæ in consultentiæ. ferebat. Optimum factu nonnullis videbatur, si ad auertendum
ab eâ obsidione Hostem, hostilis aliquis locus obsideretur. Pro-
ponebatur præ cæteris Vachtendoncha, aut Rhenoberga. Alij
persuadere conabantur, ut Rauestenium duceretur Exercitus Rauestein.
(Oppidulum id est duabus leucis Grauiâ, totidem Megâ distans,
atque utrique interiectum) eoque facilè occupato, cùm immi-
neat Mosæ, prohiberentur ad Hostem inuehi per eum fluuium
commeatus. Ita quippe à superiore Mosæ parte interclusus eis
transitus fuisset: quemadmodum ab inferiore obstruebatur Ca-
tholicæ ditionis locis ad flumen sitis. Quæ verò Nouiomago ali-
menta deportabantur, ædificato ad Rauestenium ponte, trans-
missoque Equitatu, magnam partem intercipi posse. Quare
Obsessoribus undique victu destitutis omnino recedendum. Cæ-
terùm ibidem persistere Catholicorum Exercitum nihil agen-
do, stultum: Hostium castra validissimè munita aggredi, teme-
rarium omnibus apparere. In hanc sententiam Rauestenij inua-
dendi, quam præcipuè tuebatur Grobbedonchij Dominus, Syl-
uæ-Ducis Gubernator, eiusque peritissimus regionis; haud ægrè
veniebat ipse Mendozza: sed quâ ratione posset eòdem tantum
Exercitum tutò perducere, valde anceps animi erat. Duæ ad de-
stinatum locum ferebant viæ. Altera longiore circuitu profusa,
quinque, aut sex dierum itinere. Quo temporis interuallo Mau-
ritius Catholicorum consilium facilè deprehendisset: ac locum
ipse prior occupasset: vel summâ celeritate tantum commea-
tuum in Castra comportari iussisset, ut ad finem usque obsidio-
nis essent satis. Is verò haud procul abesse credebatur, cùm iam
aggeribus peruentum ad fossam foret, eaque iamiam submotis
obicibus traijcienda. Quæ verò longè breuior erat via, magnis
erat implexa difficultatibus. Nam & paludibus passim stagna-
bat, per quas ægerrimè trahere licebat Exercitum: & non longè
ab hostilibus munimentis incedendum erat, eisdem agminum
latera obiectando, non sine ingentis detrimenti manifesto di-
scrimine. Ad has difficultates explanandas, Grobbendonchius
respondebat. Breuiore viâ iter suscipi tutò posse. Namque inter
munitiones Hostium, eamque viam tot, ac tantas interiectas es-
se paludes: ut ipsi ad eamdem accedere, nisi pedites, & singilla-
tim, ac per angustas semitas nequirent. Quamobrem nihil ab
ijs Exercitui Catholico metuendum. Minùs tamen id responsi
probatum plerisque fuit: quandò magnæ imprudentiæ facinus
du-

1602. ducebatur, tam florentes, ac tanto labore contractas Copias, difficilibus, atque impeditis vijs, aut Hostium mille nocendi artibus exponere.

Mendozza subsidium immittere frustra conatur.

Ne tamen eò frustra contendisse Mendozza videretur: ac nihil agendo, de sui nominis existimatione quidquam minueret: ad subsidium aliquod Grauiam inferendum, viam omnem indagauit. Comperit tandem, Hostium munimenta, quæ Rauestenium spectabant, quòd in loco erant paludibus obsito, ideoque imperuio Catholicis ad subsidium ituris; & humiliora, & minùs custodita. Quare Ioanni Thomæ Spinæ, Neapolitanorum olim Militum Tribuno, mandauit, ut cum Peditibus mille ex omni Gente delectis, per noctis tenebras, & silentia paludes illas vado transiret: hostiles aggeres inopinatò adoriretur: perruptis, disiectisque raris ex eâ parte custodijs, scalisque, quas secum deferret, munitionibus superatis, haud modicum illud Subsidium in Oppidum induceret. Quod si minùs res ex sententiâ successisset; ut incolumem haberet Spina cum suis receptum, iussus est Simon Antunius Hispanorum Tribunus cum pari numero Hispanici Peditatûs eum iusto interuallo subsequi, atque ad nemus consistere vicinum loco, per quem transitus erat Spinæ tentandus. Quò verò ab eâ parte, quâ perrumpendum erat, frequentior Hostis auocaretur: idem Mendozza Marchioni Spinulæ iniunxit, ut uno eodemque tempore cum bis mille Peditibus aduersum Castrorum latus inuaderet, ac vehementem oppugnationem intentaret. Peractum egregiè fuit à tribus magnis Ductoribus, quod ab summo Duce sapienter imperatum. Verùm humanam diligentiam omnem plerunque non comprobat euentus. Cùm enim destinatum in locum Spina mouisset; maiores in itinere difficultates offendit, quàm animo, & cognitione præceperat. Paludes præsertim tam altas vadare oportuit; ut aquæ Militum latera pertingerent. Quare licèt sub primas noctis tenebras discessissent ab suis; ad Hostem tamen peruenire non nisi iam ortâ luce potuerunt. Munimenta verò abunde instructa Militibus obseruarunt: à quibus extemplo deprehensi, ac frequentibus mosquetorum ictibus infestati. Igitur magnanimum tentamentum ad exitum perduci non posse cùm iam exploratum haberent; ad Antunij Copias priùs, mox unà cum his ad suam stationem remearunt. Neque felicior contigit exitus militari Marchionis consilio. Quamuis enim quò simulatum ipse impetum fecerat, frequens Hostis accurreret; non idcirco indefensa relicta fuit, aut desolata pars munitionum opposita, in quam vera irruptio ferebatur.

Maestro di Campo.

Im-

1602.

Immittendi Subsidij spe Mendozza deturbatus, Præfectos militares de more ad concilium vocat. Eorum, super deliberatione capiendâ, rogat sententias. Pluribus placuit, ut receptui caneretur. Obsessis quippe opem ferre nullâ ratione, aut viâ licère. Exercitum illic diutius morari non posse, ubi equis copia nulla suppeteret pabulandi. Hinc eos per varia loca palantes dissipari. His euictus Mendozza rationibus, mouere castra constituit: indictâque in crastinum diluculum profectione; ubi primùm orta lux est, maturauit inde discedere Venlonam versùs. Motu Copiarum animaduerso, Mauritius Exploratores misit, qui de Hostium consilio cognoscerent. Cùmque hi colligere vasa Catholicos renunciarent; non tamen ille munimentis egrediendum censuit: abeunti Hosti patentem viam relinquendam, ex tritâ sententiâ, ratus: totumque se ad opus, quod præcipuè moliebatur, obsidionem scilicet urgendam, dedit.

Mendozza receptui canit.

Suonar' à raccolta.

Venelò.

Sloggiare.

Obsessos, quamuis sperato, ac tam vicino subsidio destitutos; cruciatosque, uti fit, bono simul ostenso, & negato, non ideo animus, constantiaque deseruit. Quin, ac si vellent Auxiliarium iacturam suâmet virtute supplere: frequentes, validasque fecerunt in Hostem non sine graui ipsius damno eruptiones. Is iam ad fossam peruenerat: quam prope lunatum erat munimentum à Grauiensibus excitatum ad aggerem tuendum, qui ex munitionibus Oppidi ductus fuerat ad fossam; nè huius aquæ, ob humiliorem situm, in vicinum Mosam defluerent. Hoc imprimis munimentum oppugnare aggressi sunt Obsessores: hoc omni ope defendere Obsessi nitebantur. Tribus id ab lateribus admotis machinis Hostis concussit: subiecto, succensoque cuniculo perculit, ac labefecit: acri demum irruptione septimo Idus Septembris adortus est. At Defensores receptu quodam in eâdem munitione constructo; ex eo multos Hostium peremerunt, plerosque vulnerarunt, Centurionem unum ceperunt, qui grauiter saucius intra biduum occubuit.

Obsessi, & Obsessores acriter pugnant.

Improspero hoc successu irritati magis, quàm absterriti Mauritiani nocturno tempore nouum aggerem contra unum è propugnaculis erexerunt. Quod opus non antè compertum Grauiensibus fuit, quàm illucesceret. Eo cognito, Gubernator ingentem eruptionem machinatur, cuius vi agger ille repentè constructus æquetur solo. Ioanni de Tarnâ Præfecto Custodiæ oppositi propugnaculi mandat, ut cum centuriâ Militum Hostes ex eo aggere propulset: ac receptaculi ad caput eius excitati potiatur; tamque diu retineat, donec opus hostile pessum eat. Multas deinde Operas iubet cum ligonibus, & palis ad aggerem di-

Capitan della guardia.

Guastatori.

1602. diruendum aduolare. Alteri postremò militari Præfecto imperat, ut cum duabus centurijs terga Operarum laborantium tegat. Ad exitum omnia tam feliciter, quàm acriter, maturèque perducta. Plurimi è Mauritianis extincti, dum receptum à Catholicis occupatum recuperare conantur: nec leuiter inter alios vulneratus Tribunus Anglorum Verius, ei tuendo lateri præpositus. At non incruenta, nec diu felix ea victoria Grauiensibus fuit. In his, alijsque conflictibus tot faucij, tot occisi: ut lunatum destituere munimentum coacti sint. Eius extemplo potitus Hostis: aggeremque proximum interrumpens, uniuersâ fossam aquâ exinaniuit. Tùm è regione situm dimidium propugnaculum occupauit: adeòque Obsessores inter, atque Obsessos, præter mœnium loricam, nihil intercedebat. Aliud quòque propugnaculum aggressi erant Fœderati; & iam actis cuniculis suffodiebant. Grauienses his cunctis animaduersis; seduloque voluentes animo, ita se numero diminutos, ut vulnerati simul atque incolumes vix octingenti numerarentur: summam esse in Oppido bellici instrumenti penuriam: & quod rei desperatæ caput Obsessis est, nullam omnino Subsidij spem affulgere: denique moriendum sibi omnibus ibidem breui, ac velint nolint, Oppidum in potestate Hostium relinquendum: decreuerunt ad extremum ultro dedere, quod retinere non poterant. Igitur decimo tertio Calendas Octobris Arcem Præsidiarij deseruere, biduoque pòst Oppido excessere cum armis, atque impedimentis, igniarijs accensis, tympanisque sonantibus. In hac obsidione desiderati sunt è Catholicis septingenti: ac præcipuè Centuriones duo, Thomas Dianius, Hieronymusque Nobilius. Totidem Præfecti Militum inter saucios recensiti, Placidus Sangrius, & Gaudentius Corettus. Sed neque leuior clades in Castris Fœderatorum fuit.

Multi utrinq; cæduntur.

Propugnaculis potitur Hostis.

Grauia eidem deditur.

At Mendozza digressus ab obsidione, uti diximus, ad Thornum Pagum cum Exercitu substitit. Impositus Mosæ ripis Pagus hic est, Ruræmundam inter, atque Traiectum. Hîc audito, Catholicos Milites ferè sexcentos, Equites, Peditesque simul, ad Hamonti suburbia in Agro Leodicensi secessisse; ibique concitâ seditione tumultuari: aduersùs eos cum lectâ manu, quatuorque tormentis bellicis contendit: ut surgentem flammam antè comprimeret, quàm latiùs amplificata, maiora damna importaret. Priùs tamen Præfectos Militum aliquot præmisit, qui ab Duce vel criminis veniam resipiscentibus offerrent, vel in scelere pertinacibus minarentur, eos hostium loco habitum iri: ut è duabus vijs alterutra debitum ad obsequium reduceret. Sed quorum

Mendozza vertit arma ad seditiosos Hamonti compescendos.

Iidem Scriptores.

rum ad lumen rationis cæcutit animus, eorumdem aures ad salutaria monita obsurdescunt. Itaque neutro remedio intestinum malum curante; processit in eos ulteriùs iratior Mendozza: ignitisque missilibus in Pagum repentè iactis plures domos succendit. Quo perculsi terrore Seditiosi, seque ad extrema redactos conspicati, saluti suæ consulere statuerunt. Et quandò diuersa erat in eo discrimine Equitum, Peditumque conditio: ut eumdem consequerentur incolumitatis finem, in contrarias planè sententias, ac deliberationes abierunt. Equites namque, qui præcipuum erant tumultuantium robur, & quibus eò procliuior fuga, quò velocior; ex unâ portarum effuso cursu sese maturè proripuerunt. At Pedites rapidè fugiendi adminiculo destituti, in Ducis obsequium ultro redeuntes, se penitùs eius arbitrio permisere. Ignouit illis Mendozza, quamuis ob recentem peruicaciam adhuc seruidus irâ; tum ut hos Bellatores in meliorem usum reseruaret; tum ut cæteros eo benignitatis argumento ad obsequendum inuitaret. Quod ut faciliùs perageretur, ad fugitiuos Equites transmisit Ioannem Iacobum Comitem Belgioiosum, à nobis aliàs memoratum, cum paucis; ut quâ præditus erat natiuâ Gentis facundiâ, & singulari apud Milites gratiâ, eos pelliceret ad susceptum consilium tam turpe, quàm perniciosum, abijciendum, atque ad iucunda Commilitonum contubernia repetenda. Verùm apud obstinatas in flagitio mentes neque eloquentia, neque gratia quicquam profecit.

1602.

Pedites resipiscunt.

Ad Equites mittitur Comes Belgioiosus, nullo fructu.

Ex eorum Equitum uno compertum est, eisdem in animo esse, Diesthemium inuadere, atque occupare. Quamobrem occurrendum periculo ratus Belgioiosus, eòdem præiuit: Diesthemenses, ac finitimorum locorum Incolas præmonuit, ut in excubijs essent aduersùs Seditiosorum irruptionem. Igitur hi suâ spe depulsi, ad expugnandam Beringham mentem verterunt. Sed eo quòque consilio in irritum recidente; Bredam versùs iter maturarunt. In hoc itinere Vallonem obuium habuere, Hocstratani Præsidij Instructorem. Is (ut facilè nanciscitur vitium non imitatores modò, sed etiam adiutores) in eorum societatem allectus, spopondit, sese ipsorum in manus Hocstratanam Arcem daturum. Et quia facilis esse solet inopinata proditio, ubi præsertim à Præfectis patratur; nullo negotio Arx in potestatem Seditiosorum venit, unàque quod in potestate Arcis Oppidum erat. Cùm primùm ad Castra Catholica eius rei fama peruènit: tantus inde ad asylum illud factus est Militum inquietorum concursus; ut breui supra mille confluxerint: ac temporis progressu Peditum duo millia, Equites mille fuerint recensiti.

Dist.

Beringhen.

D'Hostrat.

Seditiosi Hocstrana potiuntur, & numero crescunt.

1602. TAM perniciosi tumultûs factus certior Archidux, Mendozzæ imperauit, ut cum Exercitu Diesthemium præiret. Eòdem quippe ipsemet se conferre decreuerat, ut armis, ac vi seditionem compesceret. Satis enim exploratum habebat, haud valde munitum locum Hocstratam esse, neque eum muniendi spatium fuisse Seditiosis: ipsos verò maximam partem armis, apparatu bellico, commeatibus destitutos. Igitur ubi Diesthemium peruènit Albertus; Exercitum in suas acies explicari iussit; & conuersus ad Milites, paucis ostendit: *Quantum inuexerit malorum ut cum maximè importuna seditiosorum insolentia: qui tùm ausi fuerint in tumultum prorumpere; cùm hostilis Exercitus tam validus, ac potens Catholicorum ceruicibus immineret. Quid mirum si Copijs per eorum perfidam secessionem imminutis, tam expectatum, ac debitum Grauiæ periclitanti subsidium inferri nequiuerit? Eius Oppidi, si obsidenti Hosti dederetur; Seditiosos fore proditores. Adeòque se iam tùm eos Principum perduelles, Commilitonum desertores, militaris, ac penè Catholicæ Fidei transfugas declarare. Quare in eosdem non secus atque in Hostes arma se vertere voluisse. Irent secum fideles Principibus, ac militari sacramento Cohortes, vindicatum palmarem iniuriam Catholico nomini inustam, punitumque tam ignominiosum earumdem Nationum hominibus, tam perniciosum omnibus flagitium.* His inflammati vocibus Milites pollicentur, contra refractarios, & contumaces alacriter se Principis sui ductum, imò vel nutum sequuturos. Eam ut magis foueret Archidux alacritatem, antè quàm Castra mouerent, unum solui stipendium iussit.

Archidux in eos mouet.

Eius concio ad Milites.

DVM verò cum Exercitu pergit Hocstratam versùs, adest qui nunciet: Mauritij iussu Bredâ deportata ad Seditiosos arma, bellicum instrumentum, atque alimenta. Non tamen propterea vel ab itinere, vel à mente perfidiam opprimendi reuocatur. At non pòst multum tristiore percellitur nuncio, Grauiam in potestatem Hostium deditione venisse. Quamobrem subuereri cœpit, nè Fœderati ex eâ victoriâ animosiores, cùm ipsum viderent in suorum componendis tumultibus occupatum, ad vicina capienda loca, fortunam belli secundam prosequerentur. Venlonæ præ cæteris metuebat, quod Oppidum nullo munitum Præsidio erat; cùm oblatum tam à Mendozzâ, quàm ab Hermanno Thserembergio Gubernatore Geldriæ, recusasset. Igitur seditionis compressione posthabitâ, præcauere malens Hostes, quàm suos punire; Venlonam iter aduertit. Hîc ei non nihil laborandum fuit, ut ad accipiendum Præsidium Ciues adduceret: negantes illo sibi opus esse; seseque ad custodiendum locum satis idoneos asserentes. Vicit tamen ad extremum auctoritas, & præ-

Venlò.

Archidux ad propugnandam Venlonam se trásfert.

sentia Principis, quæ quâuis eloquentiâ efficacior est ad persuadendum. Imposito Venlonæ Præsidio, ea quòque nouis viribus confirmauit, quibus munitæ iam erant Geldria, Ruræmunda, Traiectum ad Mosam. His prudenter, ac maturè prouisis; perlatum ad Archiducem fuit, Mauritium post Grauiam validiùs munitam, & Milite, rebusque omnibus opportunis instructam, receptionem ab armis cogitare: & iam Equitibus, quos Raittros appellant, & parti Peditatûs missionem dedisse, cùm Autumnus ingrueret. Quare ipse quòque finem pugnandi facere constituit: atque Equitatum præcipuè in hyberna dimisit. Cuius duas centurias, in Pago quodam morantes prope Traiectum ad Mosam, aliquot Hollandicorum Equitum turmæ adortæ, partem maximam obtruncarunt, equos interceperunt: tantùm non internecione delerunt. At ubi Tillæmontem peruènit Archidux, partem Copiarum ad Ostendanam obsidionem roborandam immisit: partem migrare iussit in hyberna. Huic Fridericum Comitem præfecit; quem accuratè cauere voluit, nè quis Seditiosorum in eam regionem pedem inferret. Inter hostiles progressus, atque intestinos tumultus, Spinulæ Marchionis Exercitus numero diminutus admodum fuit. Quod ex eo superabat, misit Albertus ad præsidia Tillæmontis, Herentaliæ, Verthæ, Liræque: aliquot verò Centurias Dammum ad triremium custodiam. His in hunc modum dispositis, Gandauum reuersus est.

1602.

Mastrich.

Tam Fœderati, quàm Catholici se recipiunt.

NON post multos dies Archithalassus Mendozza reuocatus in Hispaniam ab Rege. In eius locum suffectus ad supremum Equitatûs imperium Aloysius Velascus: cui successit in summâ tormentorum præfecturâ Buquoius Comes. Cùmque is ad Ostendam esset Legionis Vallonicæ Tribunus; in hoc munere Philippum Turrianum, suum antea Locum-tenentem, habuit successorem. Aduenerunt hoc anno in Belgium ad bellandum duo Magnates (ut appellant) Hispaniæ: Petrus Gironus Vrsaonis (quam hodie Ossunam vocant) Dux, & Ioannes Mediceus; dignum theatrum Belgicum æstimantes, in quo spectaculum darent virtutis suæ.

Generalato della Caualleria.
Generalato dell' Artiglieria.
Maestro di Campo d'vn Terzo.
Grandi di Spagna.

EXCREVIT interea tantùm Seditiosorum audacia (limites quippe non habet impunitum scelus) ut cùm duæ Catholicorum Equitum turmæ Hougardiæ in Pago Brabantiæ diuersarentur; ipsi illas aggressi, eorumque Præfectis màle acceptis, ac sauciatis, ad suas sectandas Partes per summam vim coëgerint. Certiores præterea facti, Milites Nicolao Bastæ subiectos (locum is Equitum Magistri tenebat) Iudoniæ consedisse; Oppidum raptim

Noua Seditiosorum facinora.

1602. ptim inuadunt: & quia clausum offenderunt; portas perfringunt, Præfectos percutiunt, Milites secum abducunt. Iure pro Hostibus habiti, qui tam hostiliter agebant in suos. Fœderati alienum crimen in suum lucrum opportunè traducentes, dum diuisas Catholicorum vires inter se dimicare animaduertunt; Peditum quater mille, bis mille Equitum Exercitum conflant: eumque Ludouico Comite Nassauio Ductore in Lucemburgensem prouinciam mittunt. Multos in eâ Pagos is miles flammis absumpsit: magnam ab alijs pecuniæ vim, ut redimerentur, extorsit: Oppidum præsertim Sancti Viti nomine appellatum expugnauit, diripuitque. Vt ei calamitati obuiàm iret, idoneas contraxit Copias Fridericus Comes Vandembergius. Verùm antequam ad Hostem perueniret; is iam ingenti onustus prædâ finibus illis excesserat. Per eosdem ferè dies Theodorus Comes Triuultius (quem suprà memoraui) cum esset unius Legionis Italicæ Tribunus, eo se munere abdicans, in Italiam migrauit. Coaluit hæc Legio cum eâ, quam Alphonsus Aualus regebat. Cùmque is pariter abiret Tribunatu, in eius locum successit Ludouicus Melzius Eques Hierosolymitanus. Ex Catholici Exercitûs Legiones admodum defecerant numero, ob illam, quam paulò antè narrauimus, tumultuantium Militum secessionem.

Fœderati Lucemburgensem Prouinciam vexant.

Caualier di Malta.

Haec omnium, quæ ad eam diem erupissent in Belgio, maxima, certè perniciosissima fuisse fertur. Frequentibus namque per agros, & villas excursionibus factis, in rusticos homines barbarè sæuiebant, populabantur domos, rura vastabant, desolata prorsus omnia relinquebant. Tantæ ut insolentiæ frænum inijceret Albertus, sed frænum aureum, Antuerpiam contendit: atque ibi aliquot aureorum millia mutuò corrogauit. Sed exigua hæc offa fuit tam insanis latratibus compescendis. Bruxellas ergo redijt ad concilia de re præsenti habenda. In ijs quæsitum, an pacandi essent ingenti pecuniæ summâ Seditiosi, an apertâ vi debellandi. Neutrum remedium opportunum malo propè insanabili visum. Primum enim in promptu non erat: quia quantum requirebatur nummorum, suppeditari non poterat. Alterum nihilò facilius: quia tumultuanti Militi iam cum Fœderatis conuenerat: adeòque contra geminum simul Hostem pugnandum foret. Igitur ad extremum decreuit Archidux, auctoribus Consiliarijs Hispanis, non autem Belgis, Edicto promulgato Seditiosos ad officium reuocare: contumaces proscribere.

Bentiuolus.

Seditioni pessimæ remedia quærit Archidux.

In eo incusabantur, *Quòd quo maximè tempore Grauiensibus opportunum ferre subsidium debuissent; ijs in extremo periculo destitutis, socios quòque militiæ tam turpiter, quàm damnose deseruissent. Nullâ*

Eius Edictum.

lâ ipsos, aut leuissimâ de causâ tantum facinus ausos, Hosti magis subseruisse, quàm Ducibus, ac Principibus suis. Quæ cùm fuerit pessimi res exempli, atque in posteritatem itura cum auctorum ignominiâ, aliorumque pernicie: velle se, ac iubere, ut intra triduum omnes ad obsequium redeant: suis se Præfectis, & Centurionibus sistant: Ordinem, locumque quisque repetat suum. Id qui faxint, præteriti sceleris impunitatem habituros: qui contumaces in eodem persistant, pro perduellibus, ac læsæ maiestatis reis habendos. Eorum verò tam capita, quàm bona ubicumque locorum constituta proscribi. 1601.

At illi acriore remedio acerbiores in Archiducem facti: uti sæpè aspera medicamenta malum non sanant, sed exasperant: ad Mauritij patrocinium se recipiunt; & securitati suæ plus ab Hoste, quàm à Principe pollicentur. Mollior quòque tentata fuit ad eos reuocandos via. Octauius Frangipanius, Pontificius in Belgio Nuncius, concordiæ quasi sequester, profectus Hocstratam est. Ab Seditiosis principio magnis honoris significationibus exceptus. Mox ubi componendi motûs instituta tractatio; tot, ac tantas obiectari difficultates vidit; ut sese operam illic, tempusque frustra consumere animaduerterit. Itaque re infectâ discessit.

Pontificis Nūcius seditionem sedare frustra conatur.

Dum his turbis hostili victoriæ superadditis Regis Catholici res in Belgio laborat: haud secundiore fortunâ usa est Regia Classis in Hispaniâ, Friderico Spinulâ Moderatore supremo. Impetrauerat is aliquando tandem toties promissas, ac tamdiu expectatas (uti supra memorauimus) octo triremes: cumque illis ex Promontorio Cuneo, quod Sanctæ Mariæ portum appellant, soluerat Vlyssiponem versùs. Dum verò maritimam Lusitaniæ oram prætervehitur, in aliquot ex improuiso incidit Anglorum naues, quæ reducem ex Indiâ onerariam, pretiosis mercibus refertam, prædabundæ circumcludere conabantur. Erant autem octo Regiæ cum alijs minoribus: quibus ab Reginâ Elisabethâ præfecti fuerant Richardus Leuesonus, & Guillelmus Monsonus, naualis belli ambo scientissimi. Eas Regina transmiserat, ad Hispanos ab Hiberniâ distinendos: qui anno superiore in eam Insulam Catholicis aduersùs Anglam auxilium inuexerant. Aliam tamen alij causam tradunt: nempe quòd Elisabetha compererat, magnum in Hispaniâ fieri nauium bellicarum apparatum, quas contra se adornari non temere suspicabatur. Et fortè non eam latebat arcanum illud de Angliâ inuadendâ consilium, quod Friderico commissum, atque ab eo fidelissimè custoditum; in publicum tamen (ignotum quâ viâ) dimanasse, quibusdam in literis conquestus ipsemet fuerat. Quippe nullum est

Friderici Spinulæ Classis in Hispania.

Anglicæ Classis occursus.

Lisbona. Portogallo.

Guillel. Cāden de Elis. par. 4. anno 1602. Gaspar Ens l. 23. initio.

1602. est adeò profundum magnorum Principum arcanum, quod alterius Principis, cuius præsertim id intersit, diligentia curiosa non eruat aureis, vel argenteis instrumentis. In eam igitur Anglicanam Classem ex inopinato incurrens cum suis triremibus Fridericus, ut opimam prædam ex Hostium manibus eriperet; illam aggredi non dubitauit; auxiliares Copias adiungente cum tribus Lusitanis triremibus Marchione Sanctacrucio. Naualis is conflictus vehemens fuit; utrâque partium acriter dimicante, tormentisque maioribus inuicem fulminante. At postquam septem solidas horas certamen tenuit; Sanctacrucius, superiores Hostis vires cognoscens, prælio se subduxit. Perstitit aliquandiu animosior Spinula: sed tardioris receptûs pœnas dedit; duabus ab Hoste triremibus captis, & post liberata mancipia, magnamque vim pyrij pulueris interceptam, igne consumptis. Reliquas innoxiè reduxit in portum. Angli viribus omnibus in onerariam conuersis, eam crebris ictibus tormentorum adeo perfoderant, ut aqua subeunte iamiam mergenda videretur. Quare Nautæ ad extremam adducti desperationem, mittunt qui deditionem paciscantur. Ex conditionibus, quas proponebant, una tantum accepta: ut Vectores omnes cum ijs, quæ ferre ipsi possent, in litus incolumes exponerentur. Ingentem inde prædam (quæ nempe decies centenis aureorum millibus ab ipsis Lusitanis æstimaretur) domum Angli retulerunt.

Inter eas ingens pugna.

Vincit Anglicana.

Milione.

16. Iunij. HAVD multò pòst Fridericus in Aulam Lermæi Ducis literis euocatur: quibus monetur, ut quàm celerrimè veniat, quamprimùm etiam rediturus, & cœptum prosequuturus iter. Ægrè tamen hanc ipse tulit reuocationem, ut prudens rerum, & de suâ existimatione sollicitus. Optimè quippe prospiciebat futurum, ut hominum mentibus (quibus solemne est malè citiùs, quàm bene de alijs opinari) ea insideret suspicio; per occasionem recentissimæ calamitatis, ad Regem eum accitum, ut de accepto detrimento sese purgaret. Quâ excusatione non esset opus, ubi eum conscientia nullius culpæ accusaret. Veram autem, ob quam vocatus fuerat, causam aperire interdicto regio prohibebatur. Maluit ergo existimationis, & gloriæ (quibus tamen Ducibus, ac militaribus Viris nihil prius) quàm debitæ Regi obedientiæ iacturam aliquam facere. Hunc ipse angorem

1. Iulij. animi, ad amicissimum sibi Ibarram scribens, dissimulare non potuit. Paucis verò diebus in Aulâ moratus, laudatâque ab Rege operâ ipsius, ac diligentiâ; imò actis gratijs pro labore suscepto in propugnandâ, quantùm licuit, onerariâ: reuertit ad naues, iterumque se mari commisit: & cursum per Lusitaniæ, Gal-

Fridericus in Aulam reuocatur.

Ad Classem redit.

læ-

1602. *Galitia. Biscaia.*

læciæque oram ad Cantabriam circumflectens, ad Sancti Anderi (uti nunc appellant) portum demum peruenit. Ibi tamdiu perstitit, donec ad expeditionem, quam moliebatur, parata essent omnia. Tandem instructis triremibus, apparatu bellico satis prouiso, ingenti pecuniæ vi congestâ, impositoque Milite, sexto Idus Septembris, læto ob natalitia Virginis die, soluit è portu. Hanc nauigationem, & peractum in eâ nauale certamen utcumque alij narrauerint, nihil me facturum reor accommodatius ingenuitati Scriptoris, & veritati rerum gestarum; quàm si ex literis ipsius Friderici ad Regem (in quibus falli, aut fallere, neque scribentis præsentia, prudentiaque; neque eius, ad quem scribitur, maiestas patitur) fidelissimè repræsentem.

Nauigationis descriptio.

Igitur Sancti Anderi portu digressa Classis, pòst quatriduum ad Formosam Insulam appulit (sic enim nominant) prope oram Galliæ maritimam sitam. Ibi seditio quædam in Prætoriâ triremi, quâ Fridericus vehebatur, patefacta. Conspirauerant cum aliquot Remigibus Milites quidam, decreuerantque unà tumultum excitare, triremem ad litus trudere, ingentemque pecuniam regiam eò deuectam prædari. Eâdem nocte, quâ facinus patrare constituerant, in aperto consilium fuit. Ludouicus Aluarus earum triremium Auditor, ut vocant, machinationem deprehendit, ac detulit ad Fridericum. Is extemplo constringi iussis machinatoribus, rem omnem oppressit. Inde Blauetum prouecti: ubi aduersa tempestas morari ad exactum mensem cōegit. Tùm nauigationem prosequuti, quinto Nonas Octobris inter Doueram, & Caletum prospero cursu deuenerunt. Hìc dum itineris terminum, optatosque Belgij portus attingere cogitant; duas animaduertunt Fœderatorum naues in eius freti angustijs, tanquam de industriâ, alteram alteri è regione oppositas. Quæ ubi triremes Hispanicas viderunt, illico retrocessere; ut ab earum occursu refugerent: an potiùs, ut de earum accessu reliquam Classem facerent certiorem? Quippe progressus paululum Fridericus, quamuis ab eis inuadendis abstineret, nè alias, quas in proximo suspicabatur, contra se irritaret: deprehensum se videt in medio ab nouem Regijs Elisabethæ triremibus, multisque nauibus Hollandorum; quæ omnes ad viginti numerabantur. Eas è longinquo prospicere, ac præcauere nocturni temporis tenebræ prohibuerant. In tanto se, suamque Classem discrimine Spinula conspicatus; ad eam partem iter direxit, quâ se posset ex illâ Hostium obsidione subtrahere. Pugnam namque aduersùs eos tantò superiores numero suscipere circumclusum, ventoque etiam aduersante infestatum; nil erat aliud, quàm se, suosque

Côiuratio in Prætoria naui statim oppressa. *Galeottis.*

In Hollandorum, & Anglorum naues Fridericus incurrit.

Eas numero superiores declinat.

1602. suosque in certum exitium dare. Igitur ab eo periculo pari dexteritate, & celeritate deflectens, sesquihoræ ferè spatio Classem Hosticam uniuersam post se reliquit.

Iamqve suum cursum tenens, triremes ad vicinum litus Flandriæ deducebat: cùm ei nouum discrimen obiectum est. Ingens repentè ventus, ab Occasu Solis erumpens, inopinatam excitat tempestatem: cuius vi Cælum, ac mare tam densis horrescunt tenebris, ut neque naues, neque triremes, neque aliud quidquam internoscatur. Fridericus aliâ super aliam calamitate vexatus; non tamen vel militari animo, vel nauticâ prudentiâ destitutus, totam eam noctem in alto cum Prætoriâ traduxit. Ortâ verò luce, statim impetu maximo ad Flandriæ litus contendit. Quo facto, in conspectum se dedit Dunchercha. Eam tùm tenere non licuit: quia maris æstus resederat. Expectandum itaque fuit ante aggerem arenarum, donec reciprocaret. Ecce autem decem apparent Hostium naues iuxta Duncercham, quæ Prætoriâ Hispanorum obseruatâ, raptim sublatis anchoris in eam conuolant, adoriuntur, circumsistunt. Fridericus, vulsis pariter anchoris, incumbere suos remis iubet, atque incredibili celeritate per medios Hostes sibi viam facit. Ad litus iterum appellere triremem conatur: sed tempestas figi anchoras non sinit. Tantum tamen laboris, industriæque impensum est, ut Dunchercbæ portum tandem tenuerit.

Grauis oborta tempestas.

Fridericus ab alio incursu Hostium elabitur.

Cales. Aliae duæ triremes Neoportum attigerunt. Alia Caletum delata est. Ex quâ illico in terram descendit Legionis illâ inuectæ summus Instructor. Is Caleti Gubernatore absente, locum eius tenentem adit: rogatque, an tutò triremi liceat eum portum intrare? Annuit ille, duosque attribuit Nauicularios, qui ad illam introducendam allaborent. Idem, inductâ triremi, domum quòque Remigibus obtulit ad hospitandum, donec illa reficeretur, vi tempestatis admodum labefactata. Igitur quadraginta ex illis catenis vincti cum suâ custodiâ descenderunt in terram.

Qvos ubi primùm Caletanus Populus vidit, ad eos agminatim accurrens, atque importunâ, iniustâque miseratione commotus, eosdem eximere vinculis aggressus est. Cùmque huic operi obsistere studeret Instructor, alijque Militum Hispanorum: Præsidiarij Caletenses obuersis in eos hastis inhibuerunt. Quamobrem Trierarchus nullum exinde Remigem descendere permisit è triremi. At Caletanum vulgus non satis habens tam paruo numero vel profuisse damnatis, vel nocuisse triremibus Hispanis; agmine rursus facto conuolat ad triremem:

Caletensium iniuriæ in Hispanos.

extrahit inde per summam vim Remiges: omnesque prorsus exonerat catenis. Neque hîc stetit violentia Caletensium in Hispanos. Facta fuerat Instructori potestas Lusitanos Milites centum quinquaginta triremi aduectos per Caletensem Agrum in Belgium deducendi cum armis, atque impedimentis. Quare deportari eos iussit in litus. Vbi verò ad Vrbis portam peruenerunt; impetum in ipsos fecere Caletani: & alijs quidem arma detraxerunt, alijs pecuniam contulerunt, ut fugam arriperent in Hispaniam. Igitur ex toto numero solis reliquis sexaginta, cæteri dilapsi sunt omnes. Quod verò Caletenses vel Militibus missionem à bello darent, vel Remigibus vinctis libertatem (quæ tamen in ipsorum potestate non erant) ab sensu misericordiæ, atque humanitatis minimè prouenisse; tùm satis patuit, cùm inermes, atque ægros viginti circiter, aut triginta carris inuectos, accipere in Vrbem, ijsdemque per eam concedere transitum, recusarunt. 1602.

De his hominum iniurijs, fortunæ inclementiæ superadditis, factus certior Fridericus transmisit illuc Regiarum triremium Inspectorem; ut transportandas terrâ curaret relictas ibi bombardas, bellicumque omne instrumentum, & Remiges repeteret: simulque ut cum Gubernatoris Vicario de accepto detrimento expostularet: re præsertim patratâ, post pacem inter Reges Hispanum, Gallumque sancitam, & post datum ab ipso Vicario de securitate promissum. Cùm hæc apud eum questus esset Inspector; respondit ille: furentis Populi tumultum fuisse, quo tantum damni sit illatum: eius verò impetum frænare se nequijsse: neque unum posse repugnare tam multis. Quod verò ad triremis apparatum spectaret; nihil sibi extrahere inde licere nisi priùs ab suo Rege impetratâ facultate. His cognitis, Fridericus Hispanicum Oratorem, apud Regem Galliæ degentem Lutetiæ, de omnibus docuit; ut quæ facerent in rem præsentem, ab eo Rege deposceret. Tùm triremis Præfectum cum alijs Nautis ad eius custodiam persistere iussit; donec ea, quæ adhuc integra erat, illinc educeretur; aut aliud ageretur, quod Rex Hispanus iuberet. Quamquam non imprudens eum angebat suspicio, futurum, ut ad cumulum facinorum cæterorum, noctu eam Caletenses incenderent. Aliæ duæ in Hollandicum fretum tempestate compulsæ, Fœderatorum nauigijs circumuentæ, multisque tormentorum ictibus satiscentes, ad extremum aquis sese insinuantibus haustæ sunt. Ex eis triginta ferè homines, aut quadraginta incolumes euasere. Quæ verò tres Flandriæ litus, ut paulò antè diximus, tenuerunt, paucos è Vectoribus, Nautis-ve desi-

Veedor.

Frider. [illegible], & Hispanorum querelæ.

1602. desiderarunt. Hanc rei naualis cladem tum ab incommodâ nauigationi tempestate, tum ab geminati Hostis incursione illatam, facilè Fridericus, ex priori saltem parte, vitasset, si maturiùs ex Hispaniâ soluisset. Idcirco sæpiùs & verbis, & literis, & nuncijs de retardatâ ab Regijs Administris expeditione conquestus fuerat: quasi iam tùm longè prospiceret, ac multò antè prædiceret futuram calamitatem. Sed apud humanas mentes, quæ faciliùs id credunt, quod exoptant; impendentia mala tùm demum fidem inueniunt, cùm illabuntur.

At Ambrosius Marchio, hoc audito Friderici Fratris improspero euentu; ad eum colloquio, conspectuque suo solandum statim profectus esset: nisi cura distribuendi Militis in hyberna, eidemque necessaria dispensandi detinuisset. Scriptis tamen ad eum literis, id officij præstitit: in quibus *Agendas*, dixit, *æterno Numini grates, quod inter tot discrimina eum seruarit incolumem. Bene sperandum in posterum de rebus ipsius; cuius incolumitas adeò Superis cordi sit. Si quid à Classe acceptum detrimenti fuerit; resarciri nullo negotio posse, dum saluus ille sit, cuius industriâ eadem comparata. Damnum verò leuissimum nunciari. Hominum namque minimam fuisse iacturam: triremes quassas, aut labefactatas reficere in procliui esse: si qua desideretur, suppleri alijs posse. Certè qua ad Caletum appulit, receptum iri, certam spem esse, ob concordiam inter maxima Regna firmatam*. Fridericus autem Prætorâ, alijsque duabus triremibus refectis, contendit Slusam cum Hispanorum Legione, cuius Tribunus erat Ioannes Menesius Lusitanus, Diui Iacobi Eques. Eòdem paulò pòst se Marchio contulit, dispositis per hyberna Militibus, rebusque omnibus rite constitutis. In eo Fratrum optatissimo congressu de bello accuratè consultatum: decretumque, vel instante iam hyeme, ab armis minimè feriari: sed quàcumque liceret, Hostem lædere. Quamobrem Pompeio Iustiniano iniunxerunt, ut cum octo Cohortibus Slusam properaret.

11. Octobr. (margin, beside "eum literis")

Marchio Spinula Fratrem per literas consolatur.

Mox cum conuenit.

Ipso Natalis Christi peruigilio, cùm opportunum se ostenderet nauigationi tempus, triremes sex adornarunt: eisque lectissimos ex omni numero Hispanos, Italosque Milites imposuerunt. Et iam soluere cogitabant, atque in Valacriam, unam è Zelandiæ Insulis, præcipuamque appellere: ut Pagum eius quemdam diriperent, incenderentque: cùm animosis conatibus infortunium, non præter solitum, intercessit. Priùs namque quàm egrederentur è portu, commutata inopinatò tempestas nauigationem inhibuit. Et quia tempus illud aduersum diuturnum fore prospiciebant, descensionem fecerunt è triremibus.

mibus. Sed neque postmodum id consilij potuit ad exitum perduci. Quippe augescente in dies numero Seditiosorum; nec finem ullum, aut modum habentibus damnis, quæ per varias regiones ab ijsdem continenter inferebantur: præcepit Archidux, ut quandò Friderici Comitis Copiæ ad eos coërcendos satis non erant; eamdem ob causam illæ reducerentur in Brabantiam, quibus præerat Iustinianus. 1604.

INEVNTE Martio Anni post millesimum sexcentesimi tertij Matthæus Dulchius, Stralæ Præfectus in Geldriâ, per militarem astum intercipere Vachrendoncham aggressus est. Conciliauit hic sibi ex Oppidi Præsidiarijs unum, qui nauiculâ consueuerat illuc paleas, & stramina inuehere per Nerium amnem, Oppidum inter, eiusque Arcem fluentem. Eam ergo nauiculam Stralensis Gubernator cum tredecim Militibus conscendit: sese que omnes occuluere palearum congerie superfusâ. Deducit Præsidiarius nauigium ad Arcis portam: agnitusque à Custode appellere sinitur. Cùmque illum rogasset, ut manum sibi porrigeret, quò tutiùs exiliret in terram; eumdem apprehensâ manu per summam vim traxit in flumen. Emicuere statim, qui latebant sub paleis Bellatores: prosiliunt in pontem Arcem Oppido coniungentem: Excubitores eiusdem viginti præter omnem opinionem adorti trucidant: Arcem ingressi, pontem, qui versatilis erat, erigunt, ut aditum ab Oppido præcludant. Felici hoc euentu audaciores, Arcis Præfectum, & viginti, qui aderant ei, Præsidiarios capiunt. Maior namque Præsidij vis Oppidum custodiebat. Haud procul inde in nemore Arcem inter, ac fluuium sito locarat sese in insidijs Henricus Comes Vandembergius cum quatuor Militum centurijs è Venlonæ, Stralæque Præsidijs euocatis. Is igitur, ubi occupatam à socijs Arcem comperit; in eam paulatim Milites eâdem nauiculâ submisit: atque ipse demum intrauit. Oppidi Præsidiarij subitâ re perculsi, ac maiores contra se vires Hostium metuentes, iamiam illud deserere cogitabant: cùm oblatum repentè præter expectationem auxilium, labantes animos ad defensionem firmauit. Ducenti quippe Fœderatorum Equites, qui per Geldriam excursiones faciebant, improuisi adfuere. Hi Oppidum ingressi, viribusque coniunctis, aduersùs Arcem munimenta erexerunt: ac tormentis superimpositis, in eamdem cœperunt acriter fulminare. Catholici, qui ex eâ impetum in Oppidum facere constituerant; male se iam ipsi tueri. Quare horum euentuum conscius Hermannus Comes Henrici Frater certiorem fecit Archiducem, rogans, ut auxiliares copias ad Oppidum obsidendum transmitteret.

Anno 1603. Stratagema. Sorprendere.

Gaspar Ens lib. 23. Grotius lib. 12. Haræus anno 1603. Põpeius Iustinian. l. 1. Thuanus l. 127. Carner. l. 15. c. 7. Ponte leuatoio.

Arx Vachtendonchæ stratagemate capitur.

1603. teret. Iussit hic extemplo Comiti Friderico, Militem ut contraheret, eòque suppetias ferret. Verùm celeritatem omnem præuertère, qui propiores erant Oppido, Fœderati. Deductos enim è Rhenobergæ, Meursæ, Schenchianæ Arcis, ac Nouiomagi Præsidijs ter mille Pedites, Equitesque millenos, Oppido undique muniendo disposuerunt. Itaque septis omnibus vijs, neque in Oppidum irrumpere licuit: neque in Arcem commeatus, & bellicum apparatum immittere, quorum inopiâ Catholici laborabant. Quamobrem deditionem facere coacti, sextâ die postquam oppugnari cœperunt, honestis conditionibus pacti, cum armis, ac spolijs, ipsoque Arcis Gubernatore excesserunt.

Eamdē paulò pòst Fœderati recuperant.

INTEREA Fridericus Spinula, Slusæ commoratus, triremes in proximam anni tempestatem nauigationi secundam adornandas curabat. Ex Hispaniâ verò nouis muneribus, ac dignitatis gradibus cumulatus est: quasi toleratas molestias, aduersosque rerum euentus geminatis honoribus compensaret non tam fortuna, quàm arbitra humanarum vicissitudinum Prouidentia. Pro sumptibus namque, laboribusque à Friderico exhaustis; Sanctæ Seuerinæ ditionem in Regno Neapolitano cum titulo Ducis, & Serauallium in Insubria cum antiquis priuilegijs eidem Rex Hispanus concessit. Agitatum quòque fuit ab Regijs Administris coram Rege: an superaddendus esset Roxani Principatus, qui iam olim Marco Antonio de Iudicibus datus, tunc iterum in Regias manus deuoluebatur. Annuit Rex huic quòque remunerationi, ubi principatus ille ad se rediret, ac Spinulis foret Fratribus opportunus. Archiduci etiam redditæ ab Rege literæ fuere, quibus vehementer commendabatur, ut administratæ à Friderico triremes omni ope, operâ, patrocinio fouerentur: quandò tam ipse, quàm Marchio Frater optimè de Regijs in Belgio rebus merebantur. Contrà verò ab Regijs Administris Friderici familiaribus eidem efficaciter insinuatum: ut erga Archiducem singulari uteretur subiecti, atque obsequentis animi significatione.

Fridericus Spinula titulis, ac dignitatibus augetur ab Rege.

Virg. Piliasc. ad Marchionem 23. Februarij.

Petrus Franquesa ad Fridericum 4. Martij.

Franquesa, & Ibarra ad eumdem eadem die.

PER idem ferè tempus ad eumdem Fridericum scripsit Hortensius Spinula è Londinensi carcere, quo iamdiu captiuus detinebatur. *Libertatem*, aiebat, *ex longo tempore à se vijs omnibus tentatam, propè esse ut impetraret, certam pecuniæ vim persoluendo, quam ad ipsius redemptionem uniuersa ferme Spinularum Gens contribuisset. Eam tamen conditionem suæ liberationi Consiliarios Angliæ Regios adiecisse, ut octo captiuos Anglos ex ijs, qui in Friderici triremibus attinentur, libertati reddendos curet. Quamobrem cùm eius-*

Hortensii Spinulæ literæ ad eum è carcere Lódinensi.

dem

dem in manu sua libertas, imo vita sit; orare se vehementer, atque obtestari per communem Christiani nominis, per propriam unius Ciuitatis, adeòque familiæ charitatem: uti se misereatur quartum iam annum in Carcere degentem, pædore, & squalore obsitum, continentibus morbis consumptum, ac penè confectum. Nè patiatur se diutius in miserijs illis versari, ac propemodum de vita periclitari. Captiuos illos liberando, præcipuum ipsum fore, atque alterum à Deo liberatorem suum. Ipsi se debiturum, quod reliquum vitæ fuerit. Aliud quòque magni beneficij loco ad extremum petere: ut elenchum nominum transmitti Londinum iubeat Anglorum, qui captiui habentur in triremibus. Robertum quippe Cæcilium, qui Reginæ à Secretis præ cæteris erat, induxisse animum, eos in libertatem vindicare: siue cum Hispanis permutando, qui detinebantur in Angliâ captiui, siue aliâ, de quâ inter partes conueniat, ratione. His Hortensij precibus, ac votis intercessere, tum quæ paulò pòst in Angliâ, tum quæ ipsi Friderico præter expectationem acciderunt in Belgio. 1603.

Elisabethæ Angliæ Reginæ obitus.

ETENIM ex eâdem Angliâ manauit fama, Reginam, super affectam ætatem, graui morbo oppressam, vicinæ mortis suspicionem dare. Quamobrem nè quid ex eâ nouitate turbaretur, portæ Londinensis Vrbis occlusæ. Ac demum pridie Nonas Aprilis Elisabetha viuendi simul, & Catholicam Religionem insectandi finem fecit; ætatis anno septuagesimo, regni quadragesimo quarto. Regina fuit eximijs animi, corporisque ornamentis instructa: quæ tamen maculis à deprauata religione superfusis vitiauit. Speciem præ se tulit eo dignam imperio, quod supra omnes Angliæ Reges diuturnè viuendo, supra alios ferè Principes iam inde ab Augusto regnando feliciter gessit. Agendi ei dexteritas tanta, ut neque grauitas quidquam de facilitate detraheret: neque comitas officeret maiestati. Capacitatem ingenij amœnioribus præsertim Artibus impleuit: neque solum literata videri voluit, sed literatorum quòque hominum Patrona. Laudem quæsiuit à varietate linguarum. Et Latinæ quidem in Cantuariensi, atque Oxoniensi Academijs haud semel præclarum specimen dedit. Græcæ quòque peritiam profitebatur. Germanicam, Hispanicam, Gallicam, Italicam probè callebat: eisque responsa dare illarum regionum Legatis assueuerat. Ob has, aliasque præstantes tum naturæ, tum industriæ dotes à multis Europæ Principibus in matrimonium expetita: nisi magis pelliciebantur ambitione regni, quàm cupiditate coniugij. Eos tamen pariter omnes vanâ spe diu delusit, amorem obtendens virginitatis: quam inter amatores multos si custodiuit intactam; maius id certè miraculum dicendum est, quam Ætnæorum ignium

Eius animi, & corporis dotes.

Gaspar Ens in fine l.23. Grotius initio lib.12. Thuanus l. 129. Bentiuolus in fine lib.6. Guill. Camdenus in eius vita. Beyerlinch anno 1603. Botereius l. 10. Pet. Matth. Hist. Gall. lib.6. Narr. 2.

Cur nubere noluerit.

1603. ignium seruantium vicinis niuibus fidem. Alij verò eam consortij maritalis abstinentiam ad mortem usque prorogatam aliter interpretantur. Vel enim regni socium recusasse illam aiunt, *Bentiuolus.* ex ingenio potestatis consortem minimè patientis: ut eò liberiùs absolutiùsque dominaretur. *Gaspar Ens.* Vel quòd Anglis nubere Principibus, utpote sibi subiectis, haud consentaneum rebatur maiestati suæ: exteris verò ab regni rationibus alienum. Neque defuit, qui Medicorum quòque id fuisse consilium traderet, *Thuanus.* prædicentium fore, ut si nuptias contraheret, in puerperio extingueretur.

VERVM non solùm in administrando regno parem habere noluit: sed quod Christianis auribus longè absurdius accidit; in Religionis, ac Fidei rebus nullum habere voluit superiorem. Quippe velut ab impio Parente accepisset hæreditarium, quod ipse sibi sacrilegus arrogarat, animorum imperium; Fœmina dici voluit, atque à suis omnibus haberi Anglicanæ Caput Ecclesiæ. Quasi parum fuisset Elisabethæ sexum supergressæ Virum agere, & cuncta munia Regis obire: nisi etiam pro Pontifice se gereret. Insula illa, quondam miraculorum ferax, portentosius nihil unquam vidit, quàm præsidere Fœminam sacris: Fidei controuersias à fœmineâ definitione pendere: Fœminâ vias Vrbium permeante, Templorum Campana æra pulsari: eidem Ecclesiasticos Ordines cum suis insignibus instructo agmine occurrere: omnia denique auctoritatis iura, omnia venerationis argumenta in Fœminam collata; quæ supra genus humanum uniuersum vicariæ Dei Maiestati debentur. Vt quod de Anglâ Ioannâ fabulosum per aliquot Scriptorum monumenta manauit, eam virilem sexum mentitam, supremum dedecorasse Pontificatum: id in Anglâ Elisabethâ verum videri potuisset, si ad tantum muneris sustinendum sola species extima satis foret. Qui verò tam peruersæ Christianæ rei conuersioni dissentirent, proscriptione bonorum, exilio, cruciatibus, atroci, atque infami morte puniti. Irrumpentibus quòque sub eâ Reginâ pestiferis opinionibus, ac sectis, antiqua Religio propulsata; atque in Catholicum nomen omne sæuitum. Præcipuè tamen hostilem animum, odiumque perpetuum & gessit, & exercuit Elisabetha in Romanum Pontificem, Hispanumque Regem: illum nempe Catholicæ Fidei caput; hunc dexteram. In illum impia, in hunc ingrata. Ipsam namque decretæ ab regnante Maria neci *Petr. Matth.* Philippus Secundus præsenti ope subduxerat; ignarus (ut mentes hominum sunt ad arcana cordium cæcæ, improuidæ futurorum) quàm sæuam viperam, & quantum olim veneni euomituram,

Caput Anglicanæ Ecclesiæ se constituit.

Sæuit in Catholicos.

turam, foueret. Sed non aliam existere decebat prolem ex impuris amoribus Parentis Henrici: qui legitimâ & Coniuge, & Fide repudiatâ; quas efflictim deperijt, ac sibi despondit fœminas, postmodum damnauit adulteras. 1603.



DE
BELLO BELGICO
LIBRI DECIMI QVINTI
SVMMA.

IN Angliâ de nouis Regibus agitur à Catholicis. Ad eam rem expeditio Friderico Spinulæ commissa. Eidem, & Fratri bellum Belgicum Rex Hispanus commendat. Grobbendonchius Fœderatorum Equites superat. Fridericus Ostendæ Subsidium intercludit. Eius mortis præsagium. Vehemens pugna Classis eius cum Hollandicâ. Huius Præfectus Hornanus cæditur. Mox ipse Fridericus multis vulneribus cadit. Mortis eius narratio certior. In eâ pietas ostensa. Elogium Friderici. Fœderatorum de hac nece lętitia, & numismata: luctus Hispanorum. Ambrosius Marchio repetit Belgium. Archidux Milites mittit contra Seditiosos. Hi se adiungunt Fœderatis. Obsidetur Hocstrata eorum asylum. Hic pugnant Catholici cum Fœderatis. Marchio Bellæ strenuè se gerit. Carolus Rosnæus cum alijs occiditur. Sylua-Ducis obsidetur à Mauritio. Subsidium mittitur ab Archiduce. Fridericus Comes Vandembergius Vrbis Præfectus prudens, ac diligens. Catholici contra Fœderatos, ac Seditiosos acriter pugnant: sed vincuntur. Bellæ Marchio cæditur, atque honorificè funeratur. Mirum quid de Sacerdote sacrificante. Triuultius Hostium aliquot superat. Syluam-Ducis Albertus

adit. Marchio Malaſpina capitur, & aliud infortunium ſubit. A Gaſtone Bruay Comite inuiſitur. Huius cum Mauritio colloquium. Stratagema, quo Archidux Præſidium Syluæ-Ducis imponit. Obſidio ſoluitur. In Oſtendanâ Riuæ, & Buquoij diligentia. Durangus interficitur. Cum erumpentibus atrox conflictus. Ignium damna, & remedia. Pompeij Targoni machinæ bellicæ deſcribuntur. Varius earum ſucceſſus. Ioannis Medicei conſilia. Deliberat Archidux, an obſidioni præficiat Spinulam Marchionem. Rationes in utramque partem. Curam hanc accipit Marchio, ſuadentibus pręſertim Pompeio Iuſtiniano, ac Iacobo Franciſcio. Huius oratio. Marchionis exiſtimatio apud Archiducem. Succeſſor eius in Tribunatu Militum Iuſtinianus. Eius Elogium. Alia Targoni machinamenta. Magni pontis deſcriptio, & euentus.



DE

DE BELLO BELGICO
LIBER DECIMVS QVINTVS.

1603.

Angli Catholici Subsidium petunt ab Rege Hispano.



X obitu Reginæ, Catholici, qui latebant in Angliâ, tempus aduenisse rati, quo sustollere caput posset oppressa Fides: ad Catholici Regis dexteram, ut potentem imperio, ita Religioni deuotam, sibique iamdudum pronam confugere decreuerunt. Quamobrem fidum hominem occultè delegarunt ad Fridericum Spinulam, & loco proximum, & iam antea destinatum in Anglicâ expeditione Regiæ mentis Administrum. Ille communia Catholicorum vota, consiliaque Friderico aperuit: ut se mox, ad eadem Regi patefacienda, Hispanicam in Aulam transmitteret. Petebant autem Angli ab Hispano, quam pollicitus iampridem fuerat opem, ad iacentem Religionem erigendam eo maximè tempore, quo subductâ Elisabethâ, ex rerum conuersione, ac tumultu (quæ sequi solent Principes sine posteritate morientes) Catholicæ Fidei spes aliqua sublucere videbatur. Et quamquam Elisabethæ designatione, ac Principum Hæreticorum suffragijs Scotiæ Rex Iacobus vocaretur ad Regnum Anglicanum: sperabant Catholici tamen, Anglum aliquem ei obijcere se posse, atque anteferre: rati, non ita facilè sub imperium Scoti venturam Angliam ob eas, quæ frequentes esse solent inter utramque confinem Nationem controuersias, atque æmulationes. Ex omni verò Procerum Regni numero Marchionissam (ut vulgò vocant) quamdam, nomine Arbellam, è regio sanguine; & Caroli Stuarti Lenoxiæ Comitis (qui Iacobi Regis Patruus erat) Filiam ad solium euehere constituerant: eique in matrimonium Arundeliæ Comitem adiungere, magnis per Angliam affinitatibus nobilem, multisque, ac validis clientelis instructum. Eam tamen deliberationem Hispani Regis arbitrio subijciebant. Eumdem anxiè rogabant, ut ad hæc sua consilia feliciter promouenda, Fridericum ipsum cum Exercitu non minore, quàm sexies mille Militum, ad Exexiæ Comitatum immitteret. Quem ubi ad certum locum, Burnamericum dictum, adduxisse Copias, easque ibidem communijsse cognoscerent: accessuri ad eum erant Angliæ Catholici cum Equitibus ter mille, ac decem millibus Peditum: eumque Regem pro-

Ex lit. Friderici ad Regem 25. April.

Nouos Reges eligendi consilium.

Gaspar Ens lib. 24. Camdenus in Elisab. p. 4.

proclamaturi, quem Philippus ex Anglis omnibus elegisset. Hæc verò celeritate maximâ peragi postulabant. Ex morâ namque periculum imminere, nè Scotiæ Rex ad suam securitatem Arbellam, præcipuosque Catholicorum custodiri iuberet. Audierant quòque ijdem Angli, Romæ Pontificem Maximum cum Hispano, Galloque Regibus per ipsorum Legatos acriter egisse, quò neruis omnibus ambo contenderent, ut regnum Angliæ, Scotorum Rege, quippe Hæretico, submoto; Anglo, Catholicoque deferretur. Quare vehementer orabant, ut uno, eodemque tempore & Hispanorum Copiæ è Belgio transportarentur in Exexiam, & Gallicus pari numero Exercitus in Arundeliam deduceretur. 1603.

Fridericus Spinula rem tractat.

HAEC omnia postquam exposita Friderico fuere ab Anglorum Internuncio; respondit ille. *Exploratum sibi satis esse, Catholicum Regem omni ope Catholicis Angliæ adfuturum, ut è suis unum eligant Regem. Quod verò spectaret ad suam eum Exercitu in Exexiam traiectionem; paratissimum sese in eiusmodi expeditionem, ubi Rex, aut Regis nomine Archidux eam sibi demandaret. Illud tamen videri minimè accommodatum ad rem vel facilè, vel feliciter peragendam, ut Hispanicis simul, Gallicisque Copijs Angliæ Catholicorum arma roborentur. Nam neque paribus animis, concordibusque subsidijs accursuras, ob perpetuas inter utramque Gentem contentiones: neque idem ad tempus Copias utrasque conuenire posse; cùm longè promptiores Hispanicæ forent, è Belgio traiectu breuissimo traducendæ.* Hæc Internuncio Fridericus: eumque paulò pòst misit ad Regem. Qui Catholicæ in Angliâ rei pertractandæ, secretiorem ad se cogi Senatum iussit: ac per septem continentes horas tanti momenti negotium pertractauit. Et iam Regia super hâc Anglicanâ expeditione mandata, quæque ad eam requirebantur Militum, opumque præsidia Friderico mittenda, in Hispaniâ parabantur: cum cælesti Prouidentiæ aliter visum: aliaque ab eâ decreta, quæ nouissima illi fuit, expeditio.

Eumdē Rex præficit ei expeditioni

SED antè quàm hoc ipse opus aggrederetur, Regius in Belgio Legatus Zuniga Regis ipsius literis accitus in Hispanicam Aulam fuit. Voluit namque Rex ab eius ore, quem fidissimum ducebat, de rebus Belgicis pleniùs edoceri. Ea siquidem, quæ toties impensè dederat, ac frequenter iterarat Archiduci mandata, ut omni ope Fridericum iuuaret ad ea, quæ commissa fuerant ab se, efficaciter exequenda; parum proficere audiebat: & lento admodum gradu procedere negotia, quorum exitus felix præcipuè à celeritate pendebat. Igitur exeunte Martio Legatus mutatis identidem equis profectus est in Hispaniam. Vrgebant

Ioseph. Renell. ad Fridericum 15. Martij. Ad March. 17.

tùm

1603. tùm ut cùm maximè Regis animum Belgicæ res. Quippe cùm Alberti, atque Isabellæ connubium sterile declararet annorum plurium experientia: in suam potestatem eas redituras Prouincias prospiciebat. Itaque de suis Copijs valde imminutis certior factus; Spinulis Fratribus, de quorum virtute magna sibi pollicebatur, imperauit; ut Exercitum cogerent Peditum viginti millium, Equitumque bis mille. Viginti quòque maiora tormenta eisdem attribui iussit ex armamentarijs Belgij. Verùm in utroque apparatu faciendo parum procliuem, & lentiorem, quàm opus fuisset, Archiducem experti sunt: seu quòd ei constitutum esset, viribus uniuersis in Ostendanam Obsidionem incumbere, neque eas aliò distrahere: seu quia Spinularum in armis imperium, ac Friderici præsertim, magis videbat ab Regijs iussis, ac literis, quàm ab suâ auctoritate pendere: siue demum quòd Italicæ Nationi administratio belli commissa parum grata esset Archiduci, eiusque tam Hispanis, quàm Belgis Consiliarijs. Eam tarditatem frequentibus incusauit literis apud Regem Fridericus: eamdem stimulare alijs ingenti efficacitate conscriptis conatus est Rex. Interea tamen magni non deerant ad danda nomina concursus, non modò Militum præsertim veteranorum, sed veterum quòque militiæ Præfectorum, qui se ultro Spinulis offerebant, sub ipsorum imperio militandi ambitiosè percupidi: seseque coacturos centurias, & suis plerique sumptibus pollicebantur. Tanta per Europam omnem increbuerat ipsorum bellicæ prudentiæ, munificentiæque existimatio. Ad Legiones duas sexies mille Peditum contrahendas, Ambrosius Marchio in Germaniam contendit. Eisdem Tribunos imposuit Robertum Barbansonis Dominum, & Egenolphum Lucemburgensem. Inde in Italiam migrauit, ut binas alteras ex Insubriâ conduceret Legiones. At Fridericus in Belgio Iacobum Franciscium, magnæ virtutis, atque experientiæ Ductorem, Vallonibus præfecit: Equitatui verò Vandembergium Comitem Henricum, per hæc Belgici belli monumenta non semel, nec sine gloriâ memoratum.

Bellum Belgicum Spinulis Fratribus commendatur ab Rege.

Assoldarsi. Hareus anno 1602.

Iustinianus lib. 2. Colonnelli.

Svb idem tempus Grobbendonchius Syluæ-Ducis Præfectus compertum habuit, Fœderatorum Equites sexcentos (inter quos erat ipsius Mauritij ala) Nouiomago, Grauiâque digressos, circumiacentes Vrbi campos percurrere. Quare non intempestiuum censuit eos inopinatò adoriri. Ex Vrbe igitur eruptione factâ cum ducentis Equitibus partim suis, partim Adolphi Comitis Vandembergij, Henrici, atque Hermanni Fratris; cumque Vallonicis Peditibus quadringentis ex Achicurij Legione;

Grobbendonchii victoria de Fœderatorum Equitibus.

Gaspar Ens lib. 24. Hareus. Grotius. Iustinianus Carnerus.

cul-

collocatum se iuit in insidijs ad Pagum quemdam, nomine Gemertam, per quem iter facturi Hostes erant. Iussit verò Peditibus, ut in domos quasdam abderent se: atque ubi hostiles Copias omnes intrasse Pagum viderent; aduersus eas ab omni parte irrumperent, & mosquetorum vim exonerarent. Se quippe cum Equitatu eodem tempore in easdem incursurum. Adfuit post paulum Hostis: ac primò quidem Exploratores viginti quinque ingressi sunt Pagum. Eos statim atque conspicati sunt Pedites, qui latebant; vel mandatorum immemores, vel moræ impatientes, non expectato Equitatu reliquo, impetum in eos fecerunt, & mosqueta displosere. Ab his aliquot cæsi, alij vulnerati: plerique ad suos se recepere, qui adhuc in aperto campo persistebant. Grobbendonchius quamuis suâ spe fraudatus, indignatusque, non omnino factum quod imperasset; adeòque corruptam festinatione victoriam; concepto tamen in Hostem ardore concitatus, cum suis Equitibus aduersùs eum irrumpit: turbatum subitò regressu suorum, atque improuisâ impressione perculsum, cædit, fundit, profligat. Cecidere è Fœderatis quinquaginta, inter quos Signifer ipse Mauritij. Captiui Syluam-Ducis abducti duo locum Ducis tenentes, alij duo Signiferi, Militesque centum ac decem, non omnes infimæ conditionis. Capti quòque, abstractique cum aliâ prædâ equi centum sexaginta. Huius victoriæ magnam in Vrbe lætitiam paucis pòst diebus interuertit (ut humana gaudia diuturna non sunt) quod inter Ciues, ac Præsidiarios dissidium accidit. Ciuibus namque iniecta suspicio est, Vallones, qui Vrbi præsidio erant sub Achicurio, velle seditionem induere, & cum cæteris extra Vrbem Seditiosis conspirare. Quamobrem, ut instanti malo statim occurrerent, eique se iugo pro re natâ subtraherent; impressionem in eos fecere: atque uti Ciues numero longè superiores erant; illos nullo negotio mœnibus propulsarunt. Neque aliud exinde Præsidium admisere, præter cohortem Equitum Grobbendonchio Gubernatori subiectam. 1603.

Fridericus Spinula iubetur Ostendæ Subsidium impedire.

INTEREA iusserat Archidux Friderico Spinulæ, ut cum suis triremibus ante Ostendam excubaret, prohiberetque nè Subsidium in Oppidum induceretur. Facere ille imperata maturabat, & septem instruebat ad eum finem triremes. Verùm importunâ tempestate, ventoque aduersante retardatus est ab instituto. Simul etiam Archiduci significauit per literas: *A præmissis Exploratoribus se comperisse; nullum eo tempore promptum esse Hosti Subsidium, ut immitteretur Ostendam. Quare consultius videri, tunc eò transportare triremes, cùm vel vicinum litus prætervehi Subsidium de-*

Frid. ad Archiducem 3. Maij.

1603. *deprehendatur; vel per Nuncios cognoscatur, in Zelandiâ paratum. Quippe Hostem huiusmodi consilium ignorantem, magis imparatum, atque inopinatum inuadi posse, ac facilè repelli. Contrà verò si iam tùm ante Ostendam se collocaret cum triremibus; & nihil profecturum, quando nullum instaret Subsidium: & sese Hosti patefaciendo, admoniturum, ut maiore cum apparatu, ac viribus minimè superandis, accederet.* Hanc mentem suam, quasi futuri exitûs infausti præsagam, per epistolam Alberto Fridericus aperuit. Vt tamen & dignam Ductore magnitudinem animi, & debitam Principi reuerentiam præseferret, ad extremum adiecit. *Illis omnibus posthabitis rationum momentis, si perstaret adhuc ipse in suâ sententiâ, iuberetque ut è conspectu Ostendæ triremes disponeret; se nullâ interpositâ morâ obsequuturum.* Iterauit Archidux mandata de prohibendo Subsidijs Ostendæ ingressu: unàque monuit, ut caueret, nè Fœderatorum naues ad litus inter Blancobergam, & Gandauense Sassum appellerent. Quod ut exequi posset Fridericus, poposcit ab Alberto Copias, quas Marchio Frater antea conduxerat. Misit is Iustiniano Ductore, quæ Tillæmonte morabantur; pollicitus alias, quæ Liræ degebant, atque Herentaliæ, mox se missurum; ubi nouus è Germaniâ Miles, qui expectabatur in dies, aduenisset.

FRIDERICVS ad Albertum remisit Iustinianum, ut Germanis accedentibus, promissum statim adduceret Peditatum. Ipse verò pridie Nonas Maij Slusâ soluit, speciem prætexens, obuia quæque Hostium nauigia prædandi: probè gnarus, id tutiùs latère consilium, quod alterius obtentu velatur. Cûmque maritimam illam omnem oram prætervectus triremibus fuisset; atque in Ostendæ prospectu nauigasset, nullâ hostili naue deprehensâ, remigrauit in portum. Aleam hanc periculosam existimauit, & scriptis ad Fridericum literis improbauit fidissimus ne- Friderici periculū à familiari prænūciatur.
11. Maij. gotiorum eius in Aulâ Bruxellensi Administer Aloysius de Laurentijs: qui veluti venturæ paulò pòst calamitatis præsagus, & quasi Diuino actus instinctu, his eum verbis præmonuit, & propemodum imminentia mala præmonstrauit. *Te cum triremibus egressum accepi, ut bellicas Hostium naues Ostendâ distineres. Animosum sanè consilium; sed, me iudice, parum fructuosum. Si quidem in speciem solùm id factum, ad alia, quæ premuntur animo, tegenda consilia; bene habet. Sin ut alienæ voluntati mos geratur; quàm vereor, ut tua cum vitâ existimatio periclitetur. Sin autem opportunas occasiones expectandi impatientiâ, nimiâque cupidine patrandi, quod patrare non datur; id enimuero laudare tecum nequeo: quamuis apud alios tueri non desinam. Tua, Dux generose, consilia tot obstaculis obstruun-*

struuntur, ut cogar de prospero exitu dubitare. His, atque in eamdem sententiam alijs visus est Aloysius, impendens Friderico discrimen maximum prædicendo, ab eiusmodi conscensione dehortari: sed nil profecit apud animum propositi tenacem. 1603.

Confligunt ingens nauium Hollandicarum cum Classe Friderici.

Grotius lib. 12. Gaspar Ens lib. 24. Haræus. Thuanus. Bentiuolus. Iustinianus. Carnerus. Beyerlinch. Valcheren.

IGITUR nono Calendas Iunias, cùm tempus nauigationi se offerret opportunum, lectis Peditibus mille quingentis in octo triremes impositis, è portu Slusensi soluit Ostendam versùs. Quod conspicati procul Hollandi, qui erant in excubijs, existimarunt eum velle Ostendanum portum obsidère, ac Fœderatorum nauibus aditum intercludere. Longè tamen aliud erat Friderici consilium: opusque maius mouebat. Pagos nempe aliquot in Valacriâ præcipuâ Zelandiæ Insulâ flammis absumere constituerat: seu potiùs, ut alij tradunt, Insulam illam populari uniuersam, ac prorsus deuastare. At Hollandi duabus triremibus in Hostium Classem inuehuntur: alterâ Dordracenâ, quam Nigram appellabant, eamque moderabatur Hornæ, atque Enchusæ in Hollandiâ Archithalassus: alterâ Zelandicâ, cui Cornelius Ioannis Goricomensis præerat. Tres quòque bellicas naues præsidiarias adiunxerunt sibi: unâque Solem Orientem versùs obliquato cursu iter intenderunt. Iam dies albescebat, cùm Friderici triremes ad eum deuenere maris tractum, quem Nautæ Vielingam nominant, inter Zelandicam Flissingam, & Flandricam Slusam interiectum. Hìc in Hostium nauigia inciderunt: quorum tria, quæ velis magis, quàm remis utebantur, quia destituerat ventus, stabant in anchoris. Eam opportunitatem, velut à fortunâ oblatam, minimè omittendam censuit Fridericus, quamquam aliò mente spectabat. Quare meliore conditione suâ, de more sapientum Ducum, haud cunctanter uti voluit: quòd & pluribus instructus erat triremibus, quæ ventum opperiri opus non habent; & surgentis radios Solis non aduersos oculis patiebatur, ut Hostes; sed auersus excipiebat.

Di Dordrecht.

Ex lit. Philippi de Vanderstein ad Phil. Marchionẽ Spinulam 3. Iuly 1649.

FOEDERATI triremium numero longè maiore perculsi; quod necessitas temporis monebat, nauigia omnia compulerant in unum; ut ibi quòque coniuncta virtus fortior ad resistendum foret: atque irruentem Hostem in anchoris expectabant. Impressionem Fridericus fecit & prudentem, & validam. Binis triremibus suis singulas ferè Hostium naues aggressus est. Ipse præsertim Prætoriâ in triremem Nigram inuectus. Magnis utrinque viribus certatum. Maioribus, minoribusque tormentis ferrei globi displosi nauium ingentia fragmenta discutiebant, quorum ruina non leuiorem, quàm ipsi globi, cladem importabat. E Nigrâ verò triremi, cuius rostrum Friderici Prætoriæ rostro

im-

1603. implicitum erat; lapidum quòque vis magnâ bombardarum ore ſpargebatur. Tormentorum is erat fragor, ut alter Militum alterum audire non poſſet: is fumus, ut neque ſe mutuò viderent. E Fliſſingæ mœnibus, quæ aliquot inde leucis diſtabant, bellicus ille ſtrepitus excipiebatur: atque è præcelsâ eiuſdem turri confuſum illum flammarum, ac fumi nimbum cernere erat. Solidas duas horas tenuit conflictus atrox: multum ex utrâque parte ſanguinis fuſum: & nauigia cadaueribus onerata. Iamque Fridericus alteram è triremibus hoſticis ceperat, eius Militibus in bellica nauigia tranſgreſſis: & malaciâ obſecundante, ſuperior futurus certamine videbatur. Hollandi nihilominus incredibili pertinaciâ ſe tuebantur, è Nigrâ potiſſimùm triremi. In quâ cum Hornanus maris Præfectus occubuiſſet, eius Legatus Hartius, graui vulnere ſaucius, tantum animorum præ ſe ferebat; ut ignem pyrio pulueri ſe admoturum minaretur, ac ſponte unâ eâdemque ſe clade cum Hoſtibus inuoluturum antè, quàm in eorum poteſtatem veniret.

Hornanus Claſſis Hollandicæ Præfectus occiditur.

Ecce autem ſubitò afflante nauibus vento, atque uti conſueuit, reflante Catholicis belli fortunâ, Fœderati non modò tribus vicinis nauigijs, ad inuadendum iam expeditis, ſed alijs quòque paulò antè ſolùm ſpectantibus, cùm ob malaciam ſe mouere non poſſent; Spinulæ triremes aggrediuntur, & nouum quaſi conflictum integrant: cùmque naues celſiores eſſent, è ſuperiore loco tormenta in eas ictu certiore diſplodunt; quibus ingentem breui tempore ſtragem edunt, & foros, ac tranſtra cæſorum aceruis ſternunt. Iuuabat Hollandicas naues ipſarum agilitas, & Nautarum in eo mari ſumma peritia; ut in omnem partem nullo negotio circumagerentur, & quòcunque vocaret neceſſitas, illico verterentur, vento potiſſimùm ſecundante. Triremes contrà pigriores ad circumflexum erant: quarum non admodum promptus, niſi tranquillo pelago, uſus eſt. Fridericus cum ſuâ Prætoriâ unam ex Hoſtium nauibus urgebat: cuius in eam puppis incubabat. Ex illâ diſploſa minor bombarda (ſagrum vocant) ferreum repentè globum ad Friderici latus illidit: eius impetus dexterum illi brachium auellit: enſis manubrium, quod manu ſtringebat, in faciem impingit, & caput lethaliter ſauciat. Quibus omnibus eodem tempore vulneribus, ac malis obrutus, paucas intra horas edidit animam generoſam. In hunc modum Fridericum Spinulam cæſum plerique Scriptorum literis conſignarunt. At Viri fide digniſſimi duo, qui, dum hæc ſcribo, adhuc inter viuos agunt; quique ambo, dum ea gerebantur, erant in Belgio: nempe Didacus Hernanus, Regius Quæſtor

Fœderati penè victi reſumūt vires.

Caſpar Ens.

Fridericus à multis vulneribus occumbit.

Eius mortis narratio certior.

Exercitûs, & Philippus Vandersteinius datis epistolis ad Philippum Spinulam Balbasorum Marchionem, & dignum Ambrosio Parente Filium, disertè testantur: Fridericum cecidisse ab unâ ex eis ictum bombardis, quæ vulgò Petrariæ ab eiaculandis lapidibus appellantur. Addit Hernanus, ex eo tormento vulnera viginti septem Friderico inflicta, quippe lapidibus totidem percusso. Vt primi Cæsaris cædem, memoriâ sæculorum inclytam, quatuor vulneribus Spinulæ nex superauerit. Si quidem militarium Virorum decus est acceptorum vulnerum multitudo. Ad hæc subijcit Vandersteinius: petrariam illam bombardam è Nigrâ triremi fuisse exoneratam. Seseque ad extremum perhibet oculatum testem; qui conspexerit eamdem triremem Flissingam ex eo nauali prælio redeuntem valde quassatam, & sanguine redundantem. Eodem die, quo Fridericus excessit, antequam è Slusensi portu se mari committeret, animi noxas Confessione expiarat; seque Diuino alimento præmunierat; quasi Tutelaris id Angelus, imminentis periculi conscius, suggessisset. Sub ipsum verò exitum vitæ adstanti conscientiæ suæ Moderatori, quærentique, ecquid nouissimè dicendum succurreret: responsum hoc dedit æternitate memoriæ dignissimum. *Quæ mea, meique Regis sunt, ea commendata sunt Marchioni Fratri: animus autem meus Christo Iesu, cuius pro Fide libens occumbo.* Atque in hæc verba animam verè Christianam efflauit.

Petriere. — [illegible] pius obitus. — Pōpeius Iustinianus lib. 2. — Postrema verba.

Vir ille fuit, præter generis claritudinem, opulentiamque Familiæ, omnium consensu, maximæ in rebus bellicis expectationis: nec minoris in Hispanum Regem, cuius militabat auspicijs, fidei, atque obseruantiæ: inque eiusdem rationibus tuendis, & gloriâ propagandâ, studij, atque ardoris: ideoque in Aulâ Hispanicâ, ubi multum sibi beneuolentiæ & conciliauerat, & confirmabat in dies; magni nominis, atque existimationis. Præ mentis excelsitate, spirituumque ingentium impetu, quibus tum difficillima quæque perrumpebat, tum obiecta pericula aspernabatur; animosior, quàm vel ipsius priuatim saluti, vel publicè Hispanis rebus expedijsset. Ad iram quòque procliuis: quam tamen, ut fortitudinis cotem, in militari Viro non improbant sapientes. Simulandi prorsus indocilis, dissimulandi vix patiens; ad bellicas artes magis, quàm ad aulicas factum se declarabat.

Eius elogium. — Auber. Miræus in Elog. Gentis Spinulæ. Iustinianus. Carner. l. 15. c. 7.

Extincto tam generoso Regiæ Classis Præfecto, eiusque locum tenente Aurelio Spinulâ nondum ex Hispaniâ reuerso; triremes unius summo imperio destitutæ, à suis quæque moderatoribus regebantur. Vtque diuersa capita non in eamdem sententiam coibant; & quoniam sine Duce prælium persequi, erat

in

1603. in apertam ruere perniciem: saniore consilio tutam salutem speratæ victoriæ præhabentes, in Slusanum portum se receperunt. In eo certamine desiderati sunt è Catholicis treceni; atque inter eos Centuriones primi nominis duo, Polydorus Cataneus, Vincentius de Balneo, & supremus Instructor Augustinus Arconatus. At Fœderati quingentos ferè amiserunt, eumque præ cæteris, quem diximus, Architalassum. Ita Friderici Spinulæ mors multo sanguine Hostibus stetit: atque unius Ducis iactura compensata Catholicis fuit cæde multorum. Tanti tamen æstimauere Zelandi, eius solius Hostis se formidine liberatos, qui continenter videbatur ipsorum ceruicibus imminere: ut ad palàm faciendam ingentem lætitiam suam ex hoc euentu; eamdemque perenni memoriâ in posteros transmittendam: argentea, æreaque cudi numismata curauerint, quorum in parte alterâ binæ Belgicæ triremes erant cum totidem præsidiarijs nauibus expressæ, hâc additâ inscriptione. CEDVNT TRIREMES NAVIBVS: in alterâ triremes Hispanicæ visebantur cum epigraphe: VICTÆ PEREMPTO SPINVLA. Quàm verò secundus, ac lætus Fœderatis; tam aduersus, & luctuosus Catholicis, ac præsertim Hispanis, Friderici interitus fuit. Satis id manifestò declararunt frequentes ex Hispaniâ literæ passim datæ, præcipuèque à primarijs Regni Administris: Ioanne, & Francisco Idiaquijs, Petro Franquesâ, Gaspare Cordubensi, qui Regi à Confessionibus erat, Mirandæ Comite, atque ipso in Aulâ potentissimo Duce Lermæo. Ab his ingens Friderici desiderium significabatur, tanquam eximij Bellatoris, ac maritimæ præsertim rei prudentissimi Ducis; nec minùs Christianis virtutibus instructi, Catholicæque Religionis Defensoris acerrimi, ac postremò regalis obsequij, Regnique Hispanici flagrantissimè studiosi: adeòque in uno Viro querebantur multiplicem factam fuisse iacturam. Denique in ipso Rege, dicebant, haud leuem extitisse ex eius obitu dolentis animi sensum.

Gaspar Ens. Medaglie.

Fœderatorum ex ea morte lætitia, & nummi excusi.

Ex ipsorum literis.

Ex eadem Hispaniæ luctus.

At longè acrior hic sensus ad Marchionem Fratrem, iamtùm in Italiâ contrahendo Militi insistentem, cum mortis nuncio peruasit. Igitur extemplo ad Regem literas dedit, quibus Fratris extincti loco suam operam in eodem munere Regijs obsequijs offerebat. Nullâque interiectâ morâ, Belgium versùs itineri se commisit: nè Regiarum triremium administratio, & quem ipse antea conduxerat, Miles detrimenti quicquam interea paterentur. Celeritate usus maximâ Bruxellas ubi peruenit; regium responsum accepit, quo iubebatur & ea subire munera, quæ gesserat Fridericus, & sua retinere. Conducendi verò Mili-

Ex lit. Ioãnis Idiaqu. 8. & 9. Iul.

Spinula Marchio redit in Belgium

tis curam censuit Rex in annum proximum reseruandam. Hanc eius mentem Italiæ Centurionibus Marchio per epistolas euulgauit; & quos in Belgium deduxerat, remisit, centenis aureis nummis in singulos distributis. Dimitti quòque iussit ab Tribuno Franciscio contractas aliquot Copias, earum Centuriones, ob factos sumptus, liberaliter remuneratus. Tantumdem diligentiæ, ac largitatis in Barbansonij delectum exercuit. At quandò Lucemburgius quamdam Legionem compleuerat, curauit, ut Archiduci militaret, cui supplemento Militum opus erat.

1603. *Leuata di Gente.* *Colonnello.*

INTER hæc Seditiosi, qui Hocstratam secesserant (uti suprà memoratum) ad numerum aucti Peditum bis mille, Equitum mille & quingentorum, in eodem Oppido se validè munierant: multumque pecuniæ à finitimis Populis exigentes, aduersùs eos, qui soluere recusarent, cædibus, incendijs, vastitatibus barbarè sæuiebant. Hæc ubi cognouit Archidux, unàque Regijs ex Hispaniâ literis impulsus fuit, ut nullo pacto, aut conditione cum Seditiosis conueniret, sed eos prorsus internecione delere conaretur: haud mediocres ad hanc rem præcipuè vires cogi iussit, atque instrui. Carolo namque Lotharingo Aumalæ Duci mandauit, ut Equites mille contraheret. Visleriumi Tribunum imposuit conducendæ Germanicæ trium millium Legioni. Vallonicam, aliasque diminutas augeri supplementis curauit. Duas quòque expectabat ex Italiâ: Hispanorum alteram, Inico Borgiâ Gandiæ Ducis Fratre Ductore; alteram Neapolitanorum, cui præerat Lælius Brancatius Hierosolymitanus Eques. Copijs uniuersis, quæ præstò erant, Peditum nempe septies mille, Equitum trium millium, Fridericum Comitem Vandembergium præfecit, iussitque quamprimùm ad Hocstratam obsidendam contendere.

Archidux Copias mittit contra Seditiosos Hocstratanos.

Gaspar Ens. Grotius. Heræus. Iustinianus. Thuanus l. 130. Camerus l. 15. c. 10. Bentiuolus. *Accordare. Tagliar à pezzi.* *Reggimẽto. Riempire i Terzi.* *Caualier di Malta.*

POSTQVAM ad Seditiosos eius rei fama peruènit: Pedites quidem ad propugnandum Oppidum reliquerunt; Equitatum verò eduxerunt: Bredamque ipsorum præcipui profecti sunt, ad auxilia Fœderatorum Ordinum imploranda. Fœdus præterea cum ijsdem pacisci non dubitarunt in eas, quæ maximè utrisque placerent, conditiones. Adeò nihil inausum relinquit, quæ semel è cancellis rectæ rationis erupit, cæca temeritas. Fœderatis verò percommodum visum est hoc ad se Copiarum hostilium transfugium: tum quòd ipsi eo anno Militum penuriâ laborabant: tum etiam quia magno Peditum, Equitumque numero Exercitus Hostium imminuebatur: ac postremò quòd hi veterani ferè omnes erant, nec minùs regionum, ac viarum, quàm armorum periti. Igitur oblatam occasionem auidè arripientes, fœdus

Seditiosi fœdus ineunt cum Fœderatis.

Far lega.

1603. fœdus cum Seditiosis hisce conditionibus inierunt. *Ut à Mauritio in fidem, ac patrocinium Fœderatorum acciperentur, qui secessérant ab Archiducis Exercitu Milites. Ut ab eisdem aduersùs huius arma protegerentur. Ipsi contrà sub illo Duce per eum solidum annum in prælijs omnibus militarent. Quod si concordiam cum Archiduce reconciliarent; nè quatuor intra menses contra Fœderatas Prouincias arma ferrent. Denique cum Hocstratanum Oppidum, atque Arx non satis tutus ijsdem receptus haberetur; validior quispiam ipsis addiceretur Fœderatorum locus, atque aliâ quâcumque ratione eorumdem securitati consuleretur.*

His ita constitutis, Mauritius Augusto mense ineunte Copias ad Gertrudis-Bergam coëgit: exortamque Gallos inter, atque Anglos Milites seditionem oppressit. Castris inde motis, prope Gilsam Oppidum arma cum Seditiosis Archiducis coniunxit; unoque agmine ad Hocstratam obsidione liberandam perrexit. Iam enim eam Milite cinxerat Fridericus Comes, & munitiorem opinione, ac spe deprehenderat. Et quamquam aggeribus, vimineisque loricis deuenerat ad Oppidi fossam: eam tamen peruadere magni, lentique negotij res erat. Altis quippe aquis abundabat, nec nisi post longum tempus exhauriendis. Oppidi tamen, Arcisque expugnandæ spes minimè deserebat; si quæ expectabantur ex Italiâ Copiæ tempori adfuissent. Sed hæc expectatio fraudata: & collatum Seditiosis à Mauritio subsidium speratam victoriam præciderunt. Is aliquot principio leuiora prælia, aut potiùs velitationes cum Obsessoribus miscuit, sed haud magno profectu. Quare opportunius duxit commeatus eisdem intercludere, qui Antuerpiâ, Lirâque deportabantur: quandò regionis eius natura, situsque viarum eiusmodi consilio apprime fauebat. His ergo pressus angustijs Fridericus; cùmque & sauciorum medicamentis, & sanorum Militum alimentis Exercitus laboraret; Centuriones, aliosque Copiarum Præfectos in concilium euocauit. Ibi omnium consensu decretum, ut in sequentem diem parata essent cum Equitatu, Peditibusque tormenta: & si quidem Hostis, vel propius obsidentia Castra progrederetur, vel in eodem vestigio maneret: aduersùs eum totis viribus iretur. Per noctem verò, quæ præibat, duplex Castrorum aditus opportuno Mosquetariorum numero custoditus. In altero ducenti erant Itali, totidemque partim Hispani, partim Vallones: in altero Itali pariter ducenti, Germani centum. Nihil Hostis interea mouit: nisi quod Exploratores identidem submittendo, sollicitam Obsessoribus eam noctem fecit.

Assediare.

Ex lit. Lucii Denticis 5. Augusti.

Hocstrata obsessa à Copiis Archiducis.

Scaramuccie.

Ex lit. Marchionis Bellæ 12. Aug.

CVM

1603.

Giornata. *Ritirarsi.* *Suonar à raccolta.* *Rinfrescarsi.*

Cum primùm illuxit, rumor manauit, Fœderatos aduentare. Quamobrem extemplo prodire cœpit Equitatus. Et iam Pedites quòque sese ad iustum prælium adornabant: cum Equites, qui necdum educti fuerant uniuersi, retulere pedem; didità per Exercitum famâ, Hostem quòque receptui cecinisse. Præsenti curâ releuatus Miles procurando vacabat corpori: & quietem, quam nox minax interciderat, solidiorem ab die requirebat. Sed

Catholicorum, & Fœderatorum cóflictus ad Hocstratam.

repentinus tubarum, ac tympanorum strepitus arma rursus rapere cogit, atque in Hostem irrumpere: quem iam facto agmine ingruere passim rumor vulgabat. Igitur Bellæ Marchio Legionis Neapolitanæ Tribunus, & Simon Antunius Hispanicæ, statim ad eum conuolarunt ingressum, quem Itali cum Hispanis custodiebant. Italos aggreditur Hostis tredecim Equitum turmis. Quem illi strenuè sustinuerunt, accurrentibus tempestiuè in auxilium Hispanis, Germanisque. Tùm mosqueris in eum displosis retrocedere coëgerunt; cùm præsertim eodem tempore ipsis agglomeraret sese Catholicus Equitatus. In hunc modum Hostis eâ die à Castris obsidentibus pulsi gloriam fuisse præcipuam Italicæ nationis ferunt.

At Fridericus Comes, cui summum incubabat expeditionis eius imperium, probè intelligens, medium se ab Hocstratanis illinc erumpentibus, & Fœderatis hinc oppugnantibus interceptum; non posse sine nouo subsidio utrisque resistere: cùmque

Luc. Dentic. 11. August.

tertium iam diem Exercitus commeatuum penuriam pateretur: imò & per summum infortunium Equitum statio conflagrasset: non diutius periculosè cunctandum censuit; sed quamprimùm incolumem ab obsidione Militem reducendum. Ergo in posterum mane discessionem indixit. Id verò consilij tam oc-

Catholicorum receptio.

cultum esse non potuit, quin eius notitia tum ad Hocstratanos, tum ad Fœderatos perueniret. Quare primis Ordinibus digressis, dum postremi, qui sub Lucio Dentice Tribuno aggeres custodiebant, abitum parant: ecce ab Oppido facta tribus partibus eruptio discessuros adoritur. Illi ex aggeribus egregiè se tueri: donec à Friderico iussi sunt, eis destitutis, reliquum Exercitum sequi. Hunc impune abire non patiuntur Fœderati: sed terga

Dar la carica.

premunt, postremosque Ordines acriter insectantur. Bellæ Mar-

Marchionis Bellæ virtus.

chio, cuius statio proxima Hosti erat, centum constituit Italos, qui unà cum totidem Hispanis, totidemque Vallonibus sub suo supremo Instructore aditum tuerentur, donec uniuersus Exer-

Ex eisdem literis Marchionis Bellæ.

citus demigraret. Parte aliâ suæ quòque Legionis Centurionem cum centum viginti Mosquetarijs collocauit, ut Hostem pariter ab infestandis recedentibus Copijs distinerent. Vtrique suo mu-

nere

1603. rere diligenter, ac strenuè perfuncti. Nec minore vel industriâ, vel virtute opus erat: cùm Hostis ab omni parte immineret.

File. Accedebant viarum angustiæ, quæ Ordines explicari non patiebantur; neque locum dabant Equitibus, ut latera tegerent Peditatûs. Aumalius tamen Dux ab tergo relictus cum Equitatu suo hostilem impetum pro virili sustinuit: at non sine suo detrimento. Quinquaginta namque ex eo numero partim cæsi, partim saucij. E cæsis præcipuus fuit Carolus Sauinius Rosnæ Dominus, Loricatorum Ductor, mosqueto ictus in capite: magnæ Iuuenis expectationis in rebus bellicis; Filiusque non degener eius, de quo alibi multa, Christiani Rosnæi, in Archiducis Exercitu supremi Castrorum Præfecti, atque in Hulstanâ obsidione interempti. Ex angusto viarum expediti, in ordinem se Milites restituere, eoque continenter obseruato, reliquum itineris peragrarunt, quamuis aduersâ, incommodâque tempestate: atque Herentaliæ demum constiterunt.

Capitan di Corazze.

Caroli Rosnæi mors.

MAVRITIVS lætus obsidione solutâ, quamquam non sinè suorum aliquot iacturâ; Hocstratam primò se contulit: ibique honorificè, ut Liberator, exceptus. Tùm Oppido simul, atque Arce validiore Præsidio firmatis; cum suis Copijs; ac parte maximâ Seditiosorum, ad proximam Vrbem Syluam-Ducis aduolauit. Iamdudum ad eam occupandam intenderat animum, viresque; uti suprà demonstratum: & quia confinis erat Bommeliæ, locisque alijs ditionis Fœderatorum; & quòd illâ potitis liberum erat uniuersam Brabantiam excursionibus infestare. Igitur eò rapidè profectus, quarto decimo Calendas Septembris castra bipartitò collocauit. E tribus namque lateribus, in quæ totius Vrbis ambitus formatur: alterum, ubi Pagus est nomine Flima, Seditiosis obsidendum commisit; simul monitis, ut Hostis vicini motum omnem obseruarent, eumque ad pabulandum prodeuntem interciperent: in altero, in quo porta est Vuchtensis appellata, stationem ipse cum suo Exercitu posuit. Has verò partes Vrbis præoptauit Mauritius: quòd ibi ad leucam, & ampliùs aquæ stagnant; neque alia, quàm una è terrâ prominente offertur adeuntibus via, quam custodiendam sumpserant Obsessores. Ab utroque verò latere breui tempore munitiones extructæ.

Scorrerie. *Iidem Hi-Rorici, & Guill. Baudart.*

Mauritius Sylu. Ducis obsidet.

Canerus.

MAGNAM Archiduci sollicitudinem, ut aliàs, hoc tentamentum iniecit; non modò quòd incertus erat, an idoneæ sibi suppeterent vires ad Syluaducensem obsidionem soluendam simul, atque ad Ostendanam continuandam: sed eò magis, quòd pulsum paulò antè Sylua-Ducis Præsidium, eòdem introducere

diffi-

difficillimum foret; Vrbem verò sinè illo tueri periculosum. 1603.
Quippe mœnium amplitudo Defensorum multitudinem requirebat; & eorum, qui magis bellicis, quàm ciuilibus negotijs assuecissent.

Subsidium eò mittit Archidux.

Mandat ergo Friderico Vandembergio Comiti, ut cum eis Copijs, quas Hocstratâ reduxerat, adiectis duabus, quæ iam in Belgium venerant ex Italiâ, Borgiæ, Brancatijque Legionibus, ad Syluam-Ducis propugnandam, quam celerrimè pergat. Mouit extemplo Vandembergius cum duodecim Peditum, *Lancrius.* tribus Equitum millibus: ac triduo postquam Hostis accesserat, ad Vrbem cùm peruenisset, tertium eius latus, quod per temporis angustias nondum ille tenuerat, prope Pagos Dongam, & Hintumum occupauit. Inde inire cum Ciuibus commercia studuit ad defensionem necessaria. Et maximo quidem opere conatus est euincere, ut validum in Vrbem Præsidium acciperetur. At Syluaducenses in eo recusando animos obfirmauerant. Quod ubi compertum habuit Mauritius, in spem venit, futurum Ciues inter, ac Subsidiarios dissidium: atque ex eo tumultum in Vrbe facilè oboriturum, & in diuersa trahentium studia factionum: quæ cuncta suis consilijs admodum obsecundarent. Quare munimenta sua roborare validiùs, atque aggeribus, fossis, receptibusque accuratè firmare, tum quà parte Syluam-Ducis respiciebant, tum quà vergebant in Agrum circumiacentem: ac sensim opera Vrbem propius admouere. *Lauori.*

Friderici Vandembergii prudentia, & sedulitas.

Ex aduerso Fridericus, iustâ indignatione ob repulsam Præsidij prudenter, atque opportunè dissimulatâ, nè Ciuium voluntates magis abalienaret: eisdem animos facere ad sustinendam fortiter obsidionem, quæ minimè diuturna futura esset. Nullis interea laboribus parcere, nullam industriam ad Vrbem propugnandam, ad obsistendum Hosti, prætermittere. Magno præsertim obstaculo Obsessoribus erat, nè propiùs ad Vrbem accederent, receptus quidam opportuno loco à Marchione Bellæ extructus, & communitus. Quare cùm locum alium Vandembergius prospexisset Hosti propinquiorem, quo si potiretur, aliquam intercludere posset importandis eiusdem commeatibus viam; eum quamprimùm statuit occupare. Eidem igitur Marchioni, cuius militarem prudentiam, ac virtutem adeo recèns exploratam habebat, imperat; ut cum duobus Peditum millibus eum capere locum contendat; secumque conuectâ idoneâ ad fabricandum materiâ, validum ibidem excitet munimentum. Quod si ad opus impediendum accurrisset Hostis (ut sapienter existimandum erat) præstò esse iubet in proximo alia duo millia, quæ ipsorum subsidio statim aduolent. Facessit iussa Marchio; unàque cum

Al-

1603. Alphonſo de Lunâ Hiſpano, lectiſque bis mille Italis, Hiſpanis, Vallonibus, ad locum deſignatum per noctis tenebras profectus, eumdem maturè tenuit, ac ſuperimpoſito munire propugnaculo aggreſſus eſt. Verùm id operis ad ſummum perducere, quamuis omni uſus diligentiâ, antè non potuit, quàm ad Mauritium eius rei nuncius perueniret. Qui non ignarus, quanto ſuis Caſtris incommodo moles ea futura eſſet; inſtitutam interrumpere molitionem omni ope connixus eſt.

Ingens conflictus Militũ Archiducis cum Fœderatis, & Seditioſis.

QVAMOBREM lectis extemplo ex uniuerſo Exercitu Peditibus quater mille, animo, manuque promptiſſimis, & maioribus Copijs ad ferendam opem paratis; ipſiſque Seditioſis ex altero Vrbis latere in auxilium accerſitis, dataque fidei commonefactis; ad cœptum opus diſturbandum, Catholicoſque, ſi poſſet, loco pellendos properauit. Eos ergo hinc Fœderati, illinc deſertores aggreſſi, utrique magnam intulere cladem: illi inueteratis odijs, irâque recenti ob periculum commeatuum prohibendorum ſtimulati: hi verò tum ut Mauritio pollicitationem, atque operam probarent ſuam; tum quia contentiones, ac ſimultates inter eiuſdem generis homines eſſe ſolent ſæuiores. Friderici Milites contrà illis ob contrarios in religione ſenſus, ac rebellionem aduersùs communem Principem, infenſi; his ob recentius, ac non unum ſcelus, ſeceſſionis ab Exercitu, contumaciæ in Archiducem, transfugij, ac fœderis cum Hoſte, inuaſionis denique Commilitonum, acerbiùs multò indignati, rabie maiore quàm viribus, in utroſque pugnarunt. Duas ampliùs horas atrox hæc dimicatio tenuit. Quia tamen & oppugnantium longè maior numerus erat: & ſubſidio deſtinati ſeriùs, quàm oportebat, acceſſerunt: nec munimentum ad eam abſolutionem perductum, ut propugnari poſſet: Mauritiani tandem loco potiti ſunt: at non ſinè ingenti clade ſuorum: quorum circiter quadringenti, atque ex ijs Centuriones aliquot periere. Ex Archiducis verò Militibus cæſi fuere ducenti: quos inter ipſe Domitius Caracciolus Bellæ Marchio maluit, Hoſti fortiter obſiſtendo glorioſè occumbere, quàm ſeſe recipiendo, cùm poſſet, locum cedere. Dignus hoc etiam nomine, cui magnificum funus in Vrbe Syluaducenſi fieret; Tribunis Militum ad Diui Dominici Templum efferentibus eius cadauer, ab Hoſte remiſſum, atque undeuiginti vulneribus inſignitum: proſequentibus Aumalio Duce, Barlæmontio Comite, ipſoque Copiarum Ductore Vandembergio. Multi quòque è Catholicis fugâ dilapſi, plures ſaucij, ac mutilati: capti ſupra trecentos. In horum aliquot ſtatuit Mauritius par pari referre. Audito namque, Buquoij Co-

Vincunt Fœderati.

Marchionis Bellæ cædes, & funus.

Ex liter. M. Ant. Triſſini ad Marchionẽ Spinulam 9. Septembris.

O mi-

1603.

mitem ad cæterorum terrorem suspendi iussisse undecim è Fœderatis, captos dum Ostendâ profugerent in Hollandiam: ex omni numero captiuorum Hostium sortitò educi totidem voluit, eodemque supplicio necari. Quem verò expugnauerat locum, nemine obsistente, validissimè muniuit, ac tormentis maioribus decem instruxit: quibus assiduè displosis Syluæ-Ducis tecta, viasque tanto impetu infestabat, ut vix ulla utrobique securitas esset. Nè in ipsis quidem Templis tutum perfugium erat, bombardarum nimirum ictibus Hæreticorum manu directis: nisi quantùm, qui ibi colebatur, ijs, à quibus colebatur, prospiciebat. Ferunt enim, aliquando ferreum globum in sacram Ædem immissum, ad aram tendere visum, quo tempore Sacerdos operabatur; auertente tamen Diuinâ prouidentiâ ictum, in proximum parietem se coniecisse. Quasi reuerentior sacrarum rerum, ac personarum esset tum impetus ignis, tum ferri durities; quàm hominum vel ira, vel pertinacia.

Sacerdos sacrificans intactus à bombardæ globo.

Camer. l. 15. c. 10.

Per eos dies accidit, ut Theodorus Comes Triuultius, relaxandi animi causâ, digressus è Castris cum duabus Sclopetariorum centurijs, unâque Loricatorum: ubi leucam ferè processisset, in Hostium insidias ex improuiso incurreret. Structæ illæ fuerant ad intercipiendos Catholici Exercitûs pabulatores: abdiderantque sese Mosquetarij fermè octingenti supra mille, Equitesque sexcenti. Qui cum Archiducis Copias aduersùm se venientes prospexissent; rati non id fortuitò contigisse, sed certiores de collocatis insidijs factos, deditâ operâ illuc properasse: neque priùs explorato venientium numero (ut in subitis rebus consilium omne dilabitur) in magnum statim terrorem, ac perturbationem versi sunt: non Inusitato inter homines euentu; ut qui alijs insidiantur, ab omnibus sibi timeant. Id ubi Triuultius animaduertit, ceu prudens Ductor, occasionem arripiens, atque Hostium formidine animos addens suis; in eos trepidantes, & quid agerent, ambigentes impetum facit: & quamuis multò superiores numero, inopinatâ tamen impressione perculsos, cædit, fugat, fundit; ac post breuem, sed acrem conflictum, trecentos ex ijs relinquit, quà grauiter saucios, ac semiuiuos, quà prorsus extinctos. Paucos in Castra captiuos adducit; ut ex eis de consilijs Hostium, & conditione rerum cognoscatur. E Catholicis septem tantùm, aut octo vulnerati. Quod si duabus, tribus ve centurijs auctiores Triuultij Copiæ fuissent; haud dubitandum erat, præ magnanimitate Ductoris, virtute Militum, & consternatione Hostium; quin omnis illa in insidijs posita multitudo internecione deleretur.

Archibugieri.
Corazzé.
Imboscata:
Foraggieri.
Agguatarsi.

Triuultij Comitis Victoria de Corpus aliquot.

Pigliar lingua.

At

1603. AT Fridericus Comes animaduertens, Fœderatorum Castra optimè ab omni parte munita; nec iam posse supportandis commeatibus intercludi: simulque expertus tentamento multiplici Sylua-ducenses in recusando Præsidio pertinaces, sinè quo tueri Vrbem ab Obsessoribus propemodum desperabat: de his omnibus certiorem fecit Archiducem. Is animo reputans, quanti momenti esset Syluæ-Ducis vel possessio, vel iactura; ad eam Vrbem retinendam nil opportunius duxit, quàm illuc sese conferre; suoque conspectu, atque adhortationibus experiri, num posset tantam Ciuium peruicaciam expugnare. Igitur quamuis multi id itineris dissuaderent, in quo & ab Hostium insidijs, & à Seditiosorum excursionibus periculum immineret: & Sylua-ducenses ad accipiendum Præsidium adducendi valde dubia spes foret: in viam tamen se dedit, Antuerpiâque digressus Bruxellas contendit. Hinc Traiectum ad Mosam, postea Ruræmundam peruènit. Secum verò deduxit, præter aulicum comitatum, & plerosque Principum Virorum, Equites mille quingentos, & sena Peditum millia. Ruræmundâ præmisit Alexandrum Marchionem Malaspinam, Equitibus quadraginta stipatum, ad Comitem Fridericum; ut ab ipso de rerum statu edoceretur. Verùm in itinere præter opinionem in Seditiosos circumcursantes incurrens, ab ijsdem captus fuit, atque ad Mauritiana Castra perductus. Neque hic infensa præstanti Viro fortuna stetit: sed aliam post paucos dies longè maiorem in eumdem aduoluit calamitatem.

Archidux Syluam-Ducis se confert.

Mastrich.

Marchio Malaspina captus ducitur ad Mauritium.

Ex Vrbe Grauiâ, in quam transmissus à Mauritio Captiuus fuerat; inuitatus ab eodem fuit in Castra, ut solemni conuiuio cum alijs Fœderatorum Proceribus exciperetur. Datum id Viri nobilitati, ac militari præstantiæ: simulque magnanimæ consuetudini Ducum etiam in Hostes humanorum, ac liberalium. Proficiscebatur unà cum Oliuerio Tempelio, Corbechij Domino, ac supremo apud Fœderatos Castrorum Præfecto: qui per annos supra quadraginta in Galliâ, Belgioque militando magnum nomen collegerat. Dum ergo ad hilaritatem mensæ vel inter arma, & quidem inimica, Malaspina contendit: Syluaducenses è mœnibus conspicati, atque ambos hostes rati, quippe ad hostilia castra properantes; murale tormentum extemplo in eos dirigunt, ac displodunt. Ferrea pila inde emissa Tempelium ita perculit, ut statim extingueret: Malaspinam verò utroque abrepto pede ad terram strauit. Quamobrem in Castra Fœderatorum deuectus, ac diligenti medentium curæ commissus, spem aliquam fecit vitæ prorogandæ.

Denties ad Spinulam 8. Octobris.

Eiusdem graue infortunium.

1603.

Comes de Bruay ad March. Spinulam 5. Octobris.

ALBERTVS Archidux ineunte Octobri ad Comitis Friderici Castra peruenit, summis ab Exercitu plausibus exceptus, & communis significatione lætitiæ, festoque strepitu tormentorum; Syluam-Ducis verò Richardotum Præsidem misit, ut de recipiendo Præsidio cum Ciuibus ageret. Sed obstinatis illorum animis id persuadere nullâ potuit ratione. Perlustrauit Archidux cum suis Proceribus Castra, & munitionem omnem: Hostium quòque stationes, & propugnacula, quantùm extra periculum licuit, obseruauit. Imò vicinitas utrorumque Castrorum persuasit Gastoni Spinulæ Comiti de Bruay, uni è Principibus Viris, qui comitabantur Albertum, ut peteret à Mauritio per literas facultatem, Marchionem Malaspinam, in ipsius Statione detentum, inuisendi. Quâ benignè, ac liberaliter concessâ, cum paucis eò se contulit. Antequam ad Castra perueniret, obuios habuit honoris causâ missos à Mauritio Equites septuaginta è Stationarijs, & post paulum eorumdem Præfectum cum rhedâ undique opertâ, & obuelatâ. Inuitauit is Comitem, ut unà cum socijs eam conscenderet; specie quidem itineris accelerandi, ac tempestiuè ad prandium accedendi; re autem verâ, nè Castrorum ordinem, ac munitiones inspectaret. Quæ causa Virum rerum peritum minimè fugit. Vbi ad Prætorium deuenit, vehiculoque descendit, præstolantem se coràm habuit Henricum Fridericum Iuuenem, Mauritij germanum, qui statim ipsum ad Comitem Fratrem honorificè deduxit. Ab hoc humaniter, comiterque more Gentis, ut Hospes, non ut Hostis, exceptus. Mox ad lautam mensam cum plerisque Sociorum, & Anhaltino Principe Germano, qui tùm in Castris erat, adhibitus.

Id. 7. & 8. Octob.

Bruay Comes inuisit Malaspinam.

Soldati di guardia. Capitano.

Vti acceptus à Mauritio.

Alloggiamento del Generale.

SVPER mensâ Principes, ac militares Viri varios de bello, de pace, de Principibus, ac principatibus, præcipuèque de rebus præsentibus miscuere sermones. Multa in Archiducum laudem, honoremque ultro, citroque iacta. Negare Mauritius, Albertum in Vrbem Syluaducensem Præsidium inducturum; imò vel eiusdem mœnia intraturum: nè vel Ciues offenderet, si ad illud admittendum cogeret; vel auctoritatem suam imminutum iret, si rem tentaret minimè successuram. Contrà sentire, ac dicere Bruayus: meliùsque de utroque successu sperare. De Spinulâ quòque Marchione facta honorifica mentio, deque publicâ spe ab Catholicis conceptâ rerum ab eo præclarè gerendarum. Hinc ad Ostendanam obsidionem sermo delapsus: super quâ Mauritius: *Mirari se*, dixit, *Archiducem adeò prudentem & Principem, & Ducem animum induxisse, machinamentis quibusdam Ostendâ potiri, quæ magis essent ad aues includendas, quàm ad capien-*

Sermones habiti in conuiuio.

De Ostendæ obsidione Mauritij sensa.

1603. *piendas Vrbes, accommodata. Ingressum nauibus Fœderatorum pro-*
Canale. *hiberi non posse, alueum obstruendo. Quod etsi per summam felicitatem eueniret; alium sese alueum ad Vrbem mediam aperiri iussisse magnarum nauium capacem, ac ventis ferè omnibus opportunum. Et quamuis Ostendæ morbi lues multos mortales absumpsisset: adhuc tamen plures è viciná Zelandiâ per eos aditus submissum iri. Denique se non falsum augurem, ab apparatu rerum vaticinari; obsidionem illam futuram annorum numero Troianæ parem. Quare consultius videri, ut Albertus, si tantâ Ostendæ cupiditate flagraret, eam absque iusto pretio mereaetur; quàm ut armorum diuturnâ vi consumptam, ac propè nullam vel sibi, vel Fœderatis relinqueret.* Ad hæc postrema, quæ per iocum conuiualem dicta intellexit à Mauritio Bruayus, non minùs iocosè respondens, ex eo quæsiuit; *Quanti eam Vrbem venditaret? Num ducentis aureorum millibus? Longè plu-*
Vn Milione e mezo. *ris*, subiecit Mauritius. *Millibus nempe quindecies centenis.* Tanti faciebat sapiens æstimator non Oppidum, sed eius positum, atque opportunitatem. Cætera, quæ dicta fuerant, vim obsidionis, & machinas eleuando, quâ decebat modestiâ refellit Bruayus Comes: *Euentum ipsum*, affirmans, *& consilium Archiducis, &*
Virg. lib. 9. & 11. *opera probaturum. Neque ad victoriam expectandum esse decennium: quandoquidem Ilium non erat, quod oppugnabatur; licèt minimè deessent Austriacus Agamemnon, Hollandus Hector, atque Italus Achilles.* Hâc hilaritate sermonum perducto ad exitum epulo, ad Malaspinam visendum profectus est Bruayus, comitante Mauritij Fratre, Exercitûsque Proceribus uniuersis. Duas horas cum eo seorsum colloquutus, & aliquandiu cum eorum nonnullis, qui secessionem fecerant; ad Mauritium se retulit, ut bonâ eius cum veniâ regrederetur ad suos. Honorificè dimissus est, eâdemque quâ ductus rhedâ per Castra reductus: tùm suo impositus equo, cum socijs ad stationes Friderici peruenit.

Ex eisdem literis. PROXIMO die Syluam-Ducis intrauit Archidux magnis Populi acclamationibus exceptus, tanquam ab instante discrimine, quin & ab ipsâ prorsus obsidione liberaturus. Ad sui corporis custodiam quadringentos Pedites duxit ex Hispanis, Italis, Germanis, Vallonibus delectos: Equites verò quingentos: quorum ducenti erant ex Equitatu Gubernatoris Grobbendonchij. Equestris huius comitatûs partem in Vrbe retinuit, ducentos nempe Gubernatoris Equites, & centuriam Hastatorum: reliquos ducentos extra mœnia remisit. Cognitis verò tum ex Vrbis Præfecto, tum ex Richardoto, obfirmatis in recusando Præsidio Ciuium animis; ab iaciendis eâ super re verbis in ventos abituris, supersedendum censuit: ac dissimulandum interea nego- Albertus ingreditur Syluam-Ducis.

gotium, cui nondum à tempore maturitas accessisset: tùm id se feliciùs peracturum ratus, cùm per occasionem necessitas extorqueret à Syluaducensibus, quod negabant. Igitur eam unam in præsentia sibi curam incumbere præ se tulit, ut rationem aliquam, ac viam indagaret, quâ solueretur obsidio. Multa verò versanti animo, atque in bellicis conuentibus disquirenti, propositum quiddam fuit, quod Hosti ad receptum compellendo maximè videbatur opportunum. 1603.

INTER Mauritij Castra, & Seditiosorum Stationem propugnaculum erat paludibus circumfusum. Id si ab Archiducis Milite teneretur; uterque posset Hostis re frumentariâ, quæ per viam illi proximam necessariò subuehebatur, prohiberi. Quo facto cogebatur ab obsidione recedere. Hoc ergo consilium amplexus Archidux, eius exequendi negotium Buquoio Comiti dedit: qui per eos dies ab Ostendanâ obsidione euocatus, ad Syluæ-Ducis subsidium sequutus ipsum fuerat. Bis mille delectos Milites ex Hispanis, Italis, Vallonibus eum iussit secum adducere; & sex, septem-ve tormenta comportare: traiectisque paludibus munimento illo potiri. Paruit Buquoius imperio: & Copijs per mediam Vrbem traductis (si quidem Friderici Castris, & petendis paludibus ea erat interiecta) hisque ipsis transmissis, ad locum destinatum accessit. Tùm dispositis aptè bombardis quatere propugnaculum aggressus est, ut iusto hiatu facto, ad oppugnandum irrumperetur. Eodem verò tempore impetum fieri iussit Albertus bipartitò in Castra Mauritij: ex altero quidem latere ab Inico Borgiâ cum Hispanis; ex altero à Lælio Brancatio cum Italis. Vt videlicet hâc duplici oppugnatione satis occupatus Hostis, ab ope ferendâ periclitanti munimento distineretur. Sed artes hæ in callidum Artificem parum valuere. Mauritius quippe non ignarus, quorsum impressiones ille dirigerentur; ac probè conscius, quàm validè forent sua Castra aduersùs omnem impetum firmata; statim ad munimenti subsidium maiorem partem Exercitûs secum traxit. Iamque Buquoius oppugnationem instruxerat, atque ad murum crebrâ concussione disiectum irruebat: cùm Hostium multitudine inopinatò superueniente, ipsorumque tormentis Archiducis tormenta verberantibus; inanem ibi cernens operam suam, coactus est re infectâ discedere. Huius munimenti omnino expugnandi conatus eam præbuit Archiduci, quam opperiebatur, inducendi in Vrbem Præsidij opportunitatem. Namque pòst paucos dies vulgari iussit, velle se maiores Copias ad iterandam eiusdem propugnaculi oppugnationem immittere. Quare Syluam-

Hostile propugnaculū occupari iubet.

Sed a Mauritio defenditur.

Archiducis stratagema ad collocādum in Vrbe Præsidium.

1603. uam-Ducis ingredi voluit millia Peditum quinque: quod & antea, nocturno tamen tempore, factum fuerat. Hi cùm mediam per Vrbem procederent, quasi ex aduersâ parte egressuri; ubi forum tenuerunt, ibidem fixere gradum, per speciem ad primam lucem tantummodo pernoctandi. Quæ cùm affulsit; Archidux in concilium acciri iussit Magistratum, ac Primores Ciuitatis: atque ad eos de Vrbe valido Præsidio munienda, pauca, sed ad persuadendum efficacia verba ferme huiusmodi fecit. Eiusdem suasio ad Ciues.

Syluam-Ducis Catholicarum in Belgio Vrbium haud postremam, quaque Hostis ditioni finitima eum sibi perpetuò imminentem, atque inhiantem videret: nullâ ratione decere intutam, atque improtectam eiusdem incursionibus relinqui. Quòd ad eam diem ab eo capta, ac depopulata minimè fuerit; non tam deberi Ciuium armis, aut Vrbis munitionibus; quàm subsidijs extrinsecus admotis, & Hosti tum alijs prælijs debilitato, tum in alias partes distracto. Sed tamdiu posse illum Syluam-Ducis oppugnare, donec ad extremum expugnet. Sic ubi diu tonuerit Cælum, tandem fulminare. Id periculi non alio certiùs munimento propulsatum iri, quàm numero Militum, ac virtute: qui pectora pro mœnibus Obsessoribus opponentes, eos ab Vrbe distineant. Neque verò sperandum à Ciuibus hoc beneficium: qui vel per otia urbana molles, vel ciuilibus tantum negotijs assueti; & bellici laboris intolerantes sunt, & ad arma tractanda minus idonei. Contra Hostem verò tot iam annos bellantem, tot etiam secundis prælijs audaciorem, quantum roboris, animorum, ac militaris peritiæ requiri? Periclitari se quidem voluisse tot dies (ut Ciuium propensioni obsecundaret) an posset sine validiore Præsidio introducto Vrbs illa defendi. Sed malo ipsorum, & suorum non leui iacturâ Militum didicisse; extima Copiarum auxilia fuisse obiecta non minùs Hosti ad cædem, quàm Syluæ-Ducis ad tutelam. Eâ re non pulsum ab obsidione Mauritium, sed in illâ magis, magisque confirmatum. Vnum ergo superesse Vrbi conseruandæ, Hosti submouendo remedium, minùs pleris que gratum ex falsâ opinione, sed unicè proficiens, atque omnino necessarium: ut mœnia præsidiario Milite abunde muniantur. Falsam eorum esse opinionem, qui censerent, id Præsidij vel graue Ciuitati ab extorquendâ pecuniâ futurum, vel à tumultibus periculosum. Vtriusque se discriminis polliceri securitatem. Omni quippe se industriâ curaturum, ut & solutis rite de suo stipendijs, immunes abirent Ciues; & obseruatâ rigidè disciplinâ continerentur Milites in officio.

Hac oratione, insidentibus Vrbem Copijs armatâ, persuasit demum, quod contendebat, Syluaducensibus Archidux, opportunitate sapienter usus, astu quidem adhibito, sed Ciuibus salutari: & liberæ illorum voluntati se debere professus, quod armorum

morum terrore, suasionis dulcedine temperato, fuerat conse- 1603.
Accipitur à Syluæ-ducêsibus Præsidium.
quutus. Illi quoque paratos sese ad omnem sui Principis nutum exhibentes, ac sponte dare visi, quod iam negare non poterant; simili prudentia vim necessitatis verterunt in laudem obsequij. Albertus igitur præsidio Vrbis imposuit tria Militum millia, partim è Germanis, partim è Vallonibus. Eamdem ab omni parte munitiorem voluit, & bellico quouis apparatu, reque frumentariâ in longum tempus instructam. Munimentum etiam, quod Arcis loco esset, prope Syluam-Ducis, quâ Grauiam spectat, excitari mandauit: ut in posterum non magis ab oppugnatione arceret Hostes, quàm à contumaciâ Ciues. In hunc modum obsidio, ad expugnandam Vrbem instituta, profuit ad eandem præsidio, ac propugnaculo validiùs muniendam: eliciente de more commoda ex damnis Diuinâ prouidentiâ. Quare Mauritius eo comperto, atque inane iam intelligens tentamentum quodlibet suum, instante præsertim cum frequentibus pluuijs Nouembri, paludosis suarum Stationum locis infestissimo; Castra inde mouit, quæ fuerant cum ipsorum admiratione Hostium munitissima. Archidux pariter utroque suo voto potitus, & Syluæ-Ducis præsidio firmandæ, & soluendæ obsidionis; quasi geminatâ victoriâ lætus, alterâ de Ciuium pertinaciâ, alterâ de Hostis incursu; retulit se Bruxellas. Exercitûs verò partem ad Ostendæ obsidium, partem in hyberna dimisit. At Seditiosi cum Hocstratam angustiorem viderent, quàm ut commodè omnes caperet: à Fœderatis postularunt, ut Grauiam sibi concederent, eiusque loco Hocstratam acciperent; eâ tamen conditione, ut si quando sibi cum Archiduce conueniret, eadem loca inter se mutuò restituerent. Hâc factâ permutatione, tormentisque, ac rebus alijs, quibus habebant opus, à Fœderatis instructi; nullis excursionibus, rapinis, damnis in Geldriâ præsertim, ac finibus Coloniensis ditionis pepercerunt. Ita peccare in publicum bonum est, fouere peccantes.

Mauritius obsidionem soluit. — *Iustinianus.*

IAM verò nos ad se reuocat Ostendana obsidio, cuius imperium, ut antè diximus, Ioanni de Riuâ fuerat ab Archiduce demandatum. Is igitur in eam toto pectore curam incumbere: ac præcipuè quadratum, & planum munimentum ab eodem imperatum, ad summum perducere. Cùmque tres Hostium receptus extra mœnia structos, quos suprà memorauimus, exploratum misisset; comperit validos eos quidem esse, sed Milite non satis instructos. Quamobrem Idibus Aprilis, per noctis silentium, illos inuadi iussit. Quo facto, & Præsidiarijs omnibus, qui ferè Angli erant, atque Heluetij, peremptis, cum modicâ suorum

Ostendanæ obsidionis côtinuatio. — *Piatta forma.* — Ioannis de Riua in ea industriæ.

1603. suorum iacturâ, receptuum potitur. Postridie verò Obsessi, ut amissa recuperarent, ingenti multitudine eruperunt: sed magno suo detrimento in Vrbem repulsi sunt: quadringentis nempe Militibus diminuti. Supra occupata receptacula mandauit Præfectus Castrorum Riua bombardas aliquot collocari; eisque munimenta Hostium quati. Quin & ab eisdem ad quadratum propugnaculum corbium seriem duxit, in speciem dimidiatæ lunæ, ut libertatem ultro citroque commeandi ab hostilibus tormentis protegeret: fascibusque ramalium, ac terrâ ingestâ quosdam obstruxit interiectos hiatus. Ipsum verò propugnaculum loricâ circumductâ, & subinde in angulos prominente, tormentisque instructâ communijt. Ad sinistrum eiusdem latus, quà spectat mare, aggerem suprà indicatum in altitudinem, ac longitudinem auxit, pluribusque bombardis onerauit: ut pars Ostendæ, quam vetus Oppidum diximus appellari, vehementiùs concuteretur.

Gabbioni.

Fascine.

NEC minori sedulitate Buquoius Comes, ad Ostendanam obsidionem reuersus, viam è palustri solo exstantem (dicum vocari solitam) suoque dictam cognomine, promouebat. Verùm aluei ostium, aditumque ad Vrbem neutro satis obice intercludente; non dubitabant hostica nauigia ingredi frequenter, atque egredi: quippe bombardis fulminantibus utrinque petiti Nautæ, vel ictus eis, quas optimè norant, artibus eludebant, vel exiguam iacturam aspernabantur. Ob eam rem minores naues maioribus præferebant: cùm illæ faciliùs in quamlibet partem actæ globos ferreos declinarent; & quamuis deprimerentur, aut in manus Hostium venirent, non admodum graui detrimento forent. Portus quòque minimè altus, & breuibus, syrtibusque passim impeditus, ingentium nauigiorum haud patiens erat. Quod si fortè his vel Miles, vel commeatus, vel instrumentum bellicum importaretur; ubi in conspectum Ostendæ venerant nauigantes, in lembos sese, atque onera transferebant, quibus & agiliùs inueherentur, & securiùs Oppidum intrarent. Quare Obsessi rebus ferè omnibus necessarijs instructi, constanter Obsidionem sustinebant. Quinetiam hostilia opera magni laboris, ac sumptûs, assiduâ displosione tormentorum pessundare nitebantur. Atque ut ea è fascibus plurimùm erant, ligneâque materie coagmentata, quippe aquis, aquosisque locis imposita; nihil aptius ad eadem absumenda iudicarunt, quàm pyroboles, hoc est missiles ignes eiaculari. In plano verò munimento, præcipuè bombardarum ictibus petito, cecidit ab eorum uno inter alios plures Didacus Durangus, Hispanæ Legio-

Et Comitis Buquoij diligentia.

Hostium quòque sedulitas.

Didaci Dufangi, & eius successoris cædes.

nis Tribunus: cuius in locum suffectus est Antonius Zauallius, Legionis alterius supremus Instructor. Atque is pariter pòst paucos dies mosqueto disploso occubuit. 1603.

Camer.l.15. c.8.

His cædibus non exterriti, sed irritati magis Obsessores, noua in dies opera, tam ad sui tutamentum, quàm in Hostis exitium moliri. Balansonis præsertim Dominus cum Burgundionibus sibi subiectis, & Fresinus Comes, & Nicolaus Catricius cum suis Vallonibus, cumque Leodicensi Legione Tribunus Malaisa circa hostiles munitiones quædam fabricati sunt receptacula; quibus custodiendis duæ quotidie centuriæ è quàuis Hispanorum Legione imponebantur. Cùmque manasset per Castra rumor, Ostendanos quoddam extra Oppidum excitasse nouum munimentum lunatum ab latere Bredenensi, eius expugnandi cupiditàs, atque ardor incessit. Quare medio ferme Iunio supremus Hispanorum Instructor Ferdinandus Olmedus cum quadringentis partim Hispanis, partim Italis ad Stationem Buquoij Comitis properauit. Dumque ipse Comes, & Instructor, & omnes ferè Centuriones inuadendam munitionem speculantur, atque explorant: Milites verò ad propugnaculum Sancti Philippi dictum subsistunt: repentinam Hostis eruptionem facit, & Buquoij aggerem occupat: tormentis potitur: Germanos aliquot, & Vallones, qui commissum sibi locum deseruerant, obtruncat. Quod ubi viderunt Hispani, atque Itali, non expectato suorum imperio Præfectorum, qui illinc aberant; quandò discrimen haud tolerabat moram; in Hostem tanto impetu irruerunt, tantâ virtute pugnarunt, ut eum ad retrocedendum compellerent. Ad conflictûs fragorem ipsorum quòque Præfecti conuolarunt: quibus animos, ardoremque suggerentibus, Hostes denique, trecentis eorum interfectis, profligarunt; aggeremque, ac tormenta recepere. Multum ex hac victoriâ existimationis accessit Obsessoribus: & quorum ea manu parta, prouexit Archidux ad maiora.

Obsessi erumpunt, & acriter utrinque pugnatur.

Non tamen ex illâ clade ita ceciderunt animis Obsessi; quin paulò pòst iterum se portis effunderent, ad Burgundionum receptum incendendum. Ignem itaque arte laboratum circumpositis fascibus iniecerunt; ac frontem eius molis uniuersam concremarunt. Nec multis interiectis diebus in Fresini, Catricijque receptus illatis ignibus, magnam utrique perniciem inuexere. Omnium verò maximum detrimentum à flammis importatum planæ formæ propugnaculo: in quod primò bombardas tantâ vi exonerarunt Ostendani, ut aliquot ex tormentis illi impositis fuerint suis cum machinis disiecta: tùm artifices flam-

Sortire.

Fuochi artificiali.

Damna operum ab ignibus facta.

Piattaforma.

Scaualcare.

1603. flammas tanto impetu, copiâque contorserunt, ut frontem eius omnem absumpserint. Moles quippe tota erat è ligneâ materie contexta. Vt incendium compescerent, multi Militum accurrerunt: sed exitio maiore, quàm fructu. Nam & plerique vitam ibi reliquerunt: & propugnaculum adeo diffractum, atque consumptum fuit: ut ad illud reficiendum multum laboris, ac temporis fuerit occupandum. Ei tamen restituto bombardæ rursus impositæ, ac vehementior in Oppidum instaurata concussio.

Contra eos remedia.

OSTENDANI contrà iactus ignium iterare. Verùm damno priore docti Obsessores cauerant, ut ubi primùm fasces attigisset ignis; Milites, qui brachialia, ferreasque chirothecas induerant, & cum scalis parati erant; illicò eis applicatis ascenderent, ac pyrobolos manu discuterent. Hâc industriâ cùm artes suas deludi animaduerterent Obsessi, ut ab eâ Milites absterrerent, multis maioribus, minoribusque tormentis mœnia complerunt; illisque displosis in ascendentes ita collineabant, ut ferè omnes perimerent. Sed non eo præsentis terrore mortis ascensorum coërcita virtus, aut alacritas retardata. Imò pro uno, qui cadebat extinctus, tres, quatuor-ve, stimulante cupidine gloriæ, succedebant. Generosas quippe animas alliciunt vitæ pericula, non deterrent. Ita supra trecentos pulcram hanc oppetiere mortem: atque ex ijs plerique Signiferi, Præfecti Militum, ac Nobiles Viri ex Hispanâ potissimum, atque Italicâ Natione; quibus pro innatâ magnitudine animi, vita post gloriam est. Et sane fortium pectorum opus erat, id subire discrimen, in quo indubitata mors ob oculos ponebatur. Siquidem quicumque scalas ascendebat, unus propositus erat scopus triginta, vel quadraginta Mosquetarijs, quorum omnium ictus ut falleret, sperandum haud erat: neque credendum, unius vitam inter tot intentatas neces abire incolumem posse. Aggerem quòque Buquoij ex eâdem ferme materie compactum iactati ex Oppido ignes combusserunt: in quo reficiendo multum pecuniæ insumptum, multi mortales absumpti. His, alijsque compluribus attriti calamitatibus Obsessores, iam propè spem omnem felicis exitûs deponebant.

Obsidentium magnanimitas.

Alferi. Capitani;

VERVM obtulit sese illis in tempore, animosque labantes confirmauit ex Italiâ profectus in Belgium, atque Ostendanæ obsidionis famâ illuc accitus Pompeius Targonus Romanus, Mathematicis artibus præcellens, atque in machinis architectandis apprimè ingeniosus. Hic explorato priùs oculis Ostendæ situ, statuque rerum percepto diligenter; & quid opus facto esset, examinato; Archiducem adit: eique magnâ fiduciâ pollicetur, structurum se machinamenta, quibus ingressus inimicis na-

Pompeius Targonus aduenit Machinator egregius.

 uibus,

uibus, Oppidoque subsidium præcluderetur. Igitur, annuente Alberto, excogitauit, & fabricari aggressus est ligneam molem colligatis inter se nauibus impositam. Rotundam ea formam præferebat, altitudinis moderatæ, amplitudinis verò tantæ, ut sex maiora tormenta in summo caperet; spatiumque relinqueret, tum eisdem in displosione retrocessuris, tum etiam Militibus aliquot ad opus administrandum necessarijs. Targoni consilium erat, hanc machinam ad alueum usque promouere, atque in eo medio ad ostium collocare: ut venientibus subsidiarijs nauigijs aditum prohiberet. Sed Vir in Mathematico, non in bellico puluere versatus; & similior Archimedi contractum cælum architectanti, quàm speculis incendenti Romanam Classem: non planè intelligebat, quantò faciliùs mens moliatur, quàm exequatur manus: & quantò plures incurrant in obices experimenta rerum, quàm commenta. Excogitatum illud opificium laudem quidem conciliauit inuentoris ingenio: at ubi deducendum ad usum erat; multas, magnasque habebat obuias difficultates: quod ferè semper ingentibus accidit machinamentis. Namque ut periti rerum, ac locorum tradidere; solum ipsum pertrahendæ moli repugnabat: quippe arenosum, & graui illius ponderi hauriendo aptius, quàm sustentando. Aquis præterea in æstu maris intumescentibus ea moles obrui facilè potuisset. Quod si adminiculis alijs supra illarum altitudinem attolleretur; cùm haud validis esset innixa fundamentis, procellâ quâuis obortâ, nullo negotio fuisset euersa. Cùmque ligneis repagulis obducta foret, quæ ramalium fasces, & funes, aliamque lentam materiem tormentorum ictus innocenter excipientem, coercebant; eadem tormenta repagula perfregissent, ac paulatim machinam disiecissent uniuersam. Denique materiam illam omnem aridam, flammisque concipiendis, atque alendis unicè accommodatam, ignes ex Oppido tam copiosè iacti in cinerem redegissent. His omnibus de causis ab Targono excogitata moles parum profectura videbatur. Accedebat, quòd non antè pertrahi ad ostium aluei ea machina poterat, quàm Buquoij agger eò usque deduceretur. Ad hunc finem alia extudit idem ingeniosus Artifex machinamenta.

INGENTES compingebantur è fascibus, lateritiâ materie refertis oblongæ, rotundæque lignorum strues: quarum ambitus erat pedum triginta, longitudo à quadraginta passibus ad octoginta. Ponè aggerem in solo maritimis accessibus obnoxio tùm fabricabantur, cùm ij cessabant. Eis absolutis circumfodiebatur arena, & complura ad utrumque latus doliola vacua appendeban-

Eius machina ad impedienda subsidia.

Sed parum utilis credita.

Aliæ machinæ ab eo excogitatæ describuntur.

1603. *Bentiuolus lib. 7.*

Grotius lib. 12. Haræus anno 1603.

Pópeius Iustinian. l. 2. Carnerus l. 15, c. 10. Alta marea.

Chiaui di legname. Fascine. Cordaggi.

Dicco. Ingegniero.

Flotte.

Bassa marea. Tonelli.

1603. debantur: quorum beneficio affluentibus aquis supernatabant. *Argent.* Inde ergatis, seu tractorijs instrumentis, ad aggerem agebantur; eumque subductis doliolis depressæ continuabant. Harum machinarum prima felicissimum nacta est experimentum. Quo animosior Buquoius optimum factu ducebat eamdem communire, atque aggeri prorsus æquare: intereaque alteram ædificare, ac priori adiungere; atque alias, aliasque deinceps, donec ad ostium aluei pertingeretur. Huic namque operi aiebat insistere diu, noctuque multitudinem hominum posse, breuique ad optatum exitum perducere. At ab eâ sententiâ Targonus abibat, cùm diceret, laborem illum diuturni temporis esse: sibi verò propositum, expugnationem Oppidi accelerare. Commendauit Buquoius Archiduci per literas consilium suum: is tamen eam rem Targoni arbitrio reliquit: seu quia de machinis nullius censebat æquius, quàm Machinatoris, iudicium: seu quòd cœpta felicia de simili progressu spem faciebant; & quidem, uti se dabant initia, non temere. Quippe sex alijs eiusdem generis molibus aquæ iniectis, paucos intra dies ad alueum peruentum est, magno cum eorum gaudio, plausuque, qui vel muralium tormentorum, vel marinæ tempestatis quid posset impetus, minimè reputabant. *Felix earum successus.*

Et iam maior illa moles, quam à proceritate, formâve Arcem alij, seu Castellum appellabant: alij verò per iocum Babylonicam turrim; ad absolutionem peruenerat: & propè erat, ut ad locum destinatum pertraheretur: cùm Ostendani, quasi tùm primùm id intelligerent periculi, quod impendebat; directis tormentis undecim aduersùs eas, quæ productæ fuerant ad alueum, lignorum strues, reciprocante maris æstu vehementer illas concutere aggressi sunt. Et principio quidem parum inde, aut nihil accipi detrimenti videbatur. At continenti bombardarum impressione moles illæ quassatæ, diffractis earumdem impetu ligneis commissuris, quæ fasces complectebantur, quæque lateres intra eos coërcebant; disijci, dissoluique cœperunt. Accessit à maris æstu maior pernicies. Augescentes quippe aquæ lateres eduxerunt è fascibus: hi verò eorum pondere leuati, vento vehementiùs flante, in varias partes dilapsi, ac maris ipsius vi dissipati, multorum dierum, sumptuumque labores breuissimo tempore ad nihilum redegerunt. Igitur ligneæ structuræ tam infestæ aquæ, quàm ignes palàm fecere; quàm leues illæ spes forent, quæ materie tam fragili niterentur. Aderat id temporis Præfecto Castrorum Ripæ Ioannes Mediceus, super ingenij sagacitatem, ac militarem prudentiam in Hungarico spectatam bello

Gaspar Ens. lib. 14.

Batteria.

Moles ligneæ ab ignibus, & aquis destruuntur.

Ioannes Mediceus obsidioni allaborat.

bello, cui pòst Carolum Mansfeldium præfuerat; Mathematicis etiam artibus eruditus. Is plures ſuggerebat rationes, ac vias, quibus Oſtenda poſſet ex latere Albertini munimenti expugnari. Eas ut inſiſteret Riua, magnopere ab Archiduce commendatum fuit. Verùm ubi cogitata deducebantur ad rem, inſuperabiles ſeſe difficultates obiectabant; in Milite præſertim alueum tranſducendo, tantâ tormentorum copiâ, varijs è partibus fulminantium, ab Hoſte cuſtoditum. Scilicet tantæ molis opus, tot undique obſtaculis obſitum, tantique momenti ad exiſtimationem utriuſque partium; uni præ cæteris debebatur, ex omnibus ad id muneris eligendo, cui iamdiu decretum erat è Cælo, ut victoriâ cum primis memorabili militiæ ſuæ tyrocinium nobilitaret.

1603. Thuan. lib. 130.

Nouum Archiducis cōſiliū de Administratore obſidionis.

IGITUR Albertus hinc tædio tam diuturnæ obſidionis, quæque tantum exhauſerat ſuæ, regiæ, Prouinciarumque pecuniæ; tantum exſorbuerat ſanguinis: hinc deſiderio Oppidi conſequendi, pro quo tam immane pretium perſoluiſſet: nonnullo etiam pudore, quòd ſupra duos annos circa raras domos, & loci ruinas iuſti Exercitus occuparentur: tot quaſi compunctus ſtimulis, conſtituit aliquando tandem, ad ſupremam operi manum imponendam, neruos omnes contendere. Quamobrem eâ cogitatione dies, noctesque ſollicitas habere, ut unum aliquem ex omnibus, qui tunc eſſent militaris Imperij capaces, Oſtendanæ præficeret obſidioni, ad eandem felici exitu abſoluendam. In plures diuidebatur eius animus veteranos militiæ Ductores, ut annis, ita meritis graues, bellicâ prudentiâ nobiles, rebus & fortiter, & feliciter geſtis in magnam exiſtimationem euectos; regijs præterea obſequijs per multos annos aut in Belgio, aut alibi continuatis dignos, qui huic adminiſtrationi imponerentur. Verùm antiquis hiſce promeritis, annoſæque militiæ in æquisſimo Archiducis iudicatu opponebat ſe magnanima indoles, & ſpiritus ad bellum ingentes, quos in Ambroſio Marchione Spinulâ prudens ipſius ſagacitas animaduerterat, & generoſa probitas adamabat. Non tamen deerant, quæ ab hoc uno cæteris omnibus anteferendo Albertum retardarent. Non parum quippe negotij faceſſebat Friderici Fratris ingenium multis in rebus exploratum, & vix unquam ſatis approbatum Archiduci: cui licet diſſimilis Ambroſius eſſet, & naturâ lenior, & in agendo dexterior, & docilior diſſimulandi; ex eodem tamen utero eoſdem ferè mores proficiſci, nimis naturale mortalibus eſt. Ipſius quòque Marchionis tum ætas, quæ trigeſimum quartum haud ſuperans annum, nequaquam par apparebat

Multi, qui poterāt eligi.

Spinula Marchio in primis.

Rationes ad eum non eligendum.

oneri

1603. oneri tanto: tum rerum bellicarum adeo recens, & breuis exercitatio: ut dici posset Ductor antè, quàm Miles; & præter omnem prudentiam militarem, Veteranis esset imperaturus Tyro. Quamobrem & magnæ timeri poterant complurium militiæ Præfectorum offensiones; qui superiores annis, belli peritiâ clariores, administrationibus alijs ad hanc aptiores facti, eam suo sibi iure deposcebant.

His tamen omnibus in contrariam sententiam incitantibus argumentis prior, & potior apud Albertum fuit spes ingens de Spinulæ Marchionis virtute, prudentiâ, industriâque concepta. Nouerat, hunc (quod plures scriptum reliquere Auctores) *Virum esse omnibus naturæ donis cumulatum*: adeoque supra inuidiam, offensionemque aliorum futurum, si cunctis anteferretur. Opum quòque affluentia, quâ præ reliquis erat instructus, Obsidioni promouendæ tunc ut cùm maximè necessaria; quemuis alium Competitorem vel cupidissimum, ab eius muneris ambitione retardabat. Æui maturitatem, bellique experientiam supplebant animi magnitudo, ingenij solertia, rerum gerendarum capacitas, aliæque virtutes hæreditariam generosæ stirpis æquantes gloriam, an potiùs superantes? Friderici Fratris memoria, nulla consequentis æui obliuione delenda, ob mortem in Regis, atque Archiducis obsequijs non minùs gloriosè, quàm fortiter obitam, haud immeritò postulabat, ut in Marchione Fratre ad tantum munus adhibito, haberet virtus extincta, vel operis mercedem, vel desiderij solatium: atque in eo quodammodo reuiuisceret. Simul in memoriam redire poterat Archiduci è maioribus suis recentissimus, idemque prudentiâ, felicitate, gloriâ facilè primus, Carolus eo nomine Quintus: qui victoriarum suarum tot habuerat Italos homines Administros, ac velut ingentis fortunæ Machinatores: in primis verò Genuensem Ciuem Andream Auriam; cuius peritia singularis naualium præliorum Caroli geminatum, atque immensum imperium, vel in ipso instabili elemento constabiliuit. Hoc igitur exemplum, præter alia momenta rationum, sequutus Albertus, Genuensium in re militari præstantiam nouo statuit experimento habere compertam. Quare Marchioni Spinulæ Ostendanæ obsidionis imperium destinauit.

Gaspar Ens de Obsidione Ostendana. Beyerlinch an. 1603. Leonis Belgici Contin. Grotius lib. 12. Thuanus l. 130. Bentiv. l. 7. Bote eius l. 11.

Argumenta pro illo.

Archidux Obsidioni Marchionē præficere statuit.

Ne tamen à consuetudine Principum aberraret, qui beneficia parui æstimari putant, nisi precum empta pretio, carè steterint: ne-ve repulsæ periculo exponeret maiestatem: non ipsemet Ambrosio id munus obtulit; neque antè conferri voluit, quàm per aliorum tentamenta eiusdem eâ super re animum exploraret.

Eius animum explorari iubet.

rer. Itaque unum, aut alterum è suis Administris iussit cum Aloysio de Laurentijs, Pauloque Francisco, Marchionis domesticis, eiusque rerum Administratoribus, in colloquium venire, non Principis nomine, sed suo. Hi singillatim congressi proponebant: *Ostendanum obsidium iam ultra biennium prorogatum, cum tantâ ex utrâque partium opum, ac sanguinis profusione, terminum adhuc nullum inuenire. Rationes multas, ac vias excogitatas; tot genera machinarum inuenta, fabricata, admota multo dispendio, nullo fructu. Laborare propterea Regis, Archiducis, Catholicorum non tantùm rem, sed & existimationem. Vnum reliquum videri, ad finem assequendum tam ardui operis, adminiculum: si nouus aliquis ei praeficiatur Administrator belli, sagax in vijs ad victoriam indagandis, potens in opportunis praesidijs adhibendis, in re ad exitum perducendâ fortunatus. Priores duas laudes in Marchione Spinulâ cum primis elucere: tertium decus ex earum complexione posse non temere sperari. Eius igitur & virtutem, & felicitatem habituras in eo campo tam libero, amploque ad gloriam, quàm concluso undique angustijs ac periculis, spatium ingens sese ostentandi. Deposceret illam sibi ab Archiduce Marchio curam, plenam quidem laborum, & sumptuum, sed immortalis nominis, atque honoris feraciorem, quam ipsius merita suo iure, & iudicij communis adstipulante suffragio postulabant. Neque verò denegaturum dignissimo Ductori tam aequum illius humeris imperium optimum virtutum, ac Virorum aestimatorem Albertum. Praecepisse iamdudum animo sapientem Principem eximiam quamdam de illius praestantiâ existimationem. Illum frequenter in priuatis sermonibus, illum in publicis conuentibus collaudasse. Verùm id in ea re cauendum maxime, quod tam eligenti, quàm electo fraudi esse possit: Competitorum nempe offensionem, caeterorum inuidiam. Nonnullos in Exercitu, plures in Belgio esse, quorum virtuti, rerum bellicarum, ac Belgicarum peritiae, multisque annis in obsequio Regis, Archiducisque traductis, id muneris debeatur. His omnibus posthabitis, ac reiectis, si unus praeficiatur Marchio, tam recens in bello, ac Belgio, & magna quidem spe, sed nullâ re adhuc gestâ spectabilis: quas in iras exarsuros nobiles Aemulatores? quas obtrectationes in Aulâ cum Belgicâ, tum Hispanâ futuras? quos in Militum campo tumultus? quas turbas in Populis? Hos quippe de Popularibus, illos de veteranis Praefectis, ac Ductoribus suis, omnes de Viris optimè meritis neglectis, ac tantâ spe fraudatis, publicas in Caelum querelas iactaturos. Ad hanc inuidiam, offensionesque declinandas, nihil accommodatius, quàm si non unus Spinula obsidioni Ostendanae praeponatur: sed ei non indignandus associetur in tanti ponderis administratione Collega; quicum conferre consilia, deliberationes expendere, dubijs in rebus*

1603.

Aloys. & Laurent. ad March. 31. Aug. & 2. Septembr.

Marchio ad Ioann. Medicid. 3. Sept.

Agitur de adiungendo Collega Ioanne Medices.

1603. *bus decernere, in difficultatibus dijudicare, curas demum omnes, atque ingens onus partiri, non magis securitati suæ, quàm bono publico, possit. Morari iamdudum in Exercitu ad Ostendam præstantissimum Virum Ioannem Medicum: quem ad id munus, vel sinè Socio, pro dignitate sustinendum eueherent & generis, familiæque splendor toto terrarum Orbe præclarus, & militaris prudentia tot annos in Hungarico bello exercitata; & Mathematica in machinis præsertim scientia: & si alia desint omnia, Ostendanæ obsidionis ab usu, & commoratione tot mensium absoluta cognitio. Quamobrem sinè Archiducis notâ, sinè Ioannis ipsius, Magnique Ducis Hetruriæ Fratris, ac totius Medicea Gentis, affiniumque Principum offensione, vix eum posse ab eo munere prorsus excludi. Quòd si cum Spinulæ magnanimitate, solertiâ, diligentiâ coniungatur Medicei prudentia, peritia, auctoritas; iam in manu victoriam esse, iam expugnatam Ostendam.*

His Aloysio expositis ab Archiducis Administris, atque ab eo per literas Marchioni renunciatis; de ipsius mente factus responsione certior, ex eiusdem sententiâ sic ille respondit. *Ambrosio Marchioni nihil magis in votis esse, quàm Archiducis Alberti obsequijs & opes, & vires, & vitam, si sit opus, impendere. Neque quidquam eum sibi ducere vel iucundius ad labores Militum tolerandos, vel ad conciliandam existimationem illustrius, quàm tanti Principis nutibus obtemperare. Ostendanæ verò obsidionis Imperium, quamquam tam arduum sit, tantisque difficultatibus obseptum, ut non modò Marchionis vires, bellandi, nedum administrandi belli, rudis: sed veteris, ac peritissimi cuiusque Ductoris absterrere animum possit: non tamen ab eodem detrectatum iri, cui prior sit obsequendi cura, quàm viuendi; quique Regis Hispani, Archiducisque tum commodo, tum honori (cuius utriusque tanti ea expeditio refert) iampridem se, suaque omnia dedicauerit. Animos etiam illi ad tam graue suscipiendum onus sufficere paratam in proximo Classem, quàm paulò antè Rex eius imperio subiecisset, ex obitu Friderici Fratris. Eam quippe à Slusensi portu traductam ad Ostendanum, quà nauibus Hostium eò contendentibus opponi; quà mœnibus Oppidi ad mare spectantibus prætexi posse: ut idem esset uno tempore terrâ, marique circumsessum. Atque eiusmodi prærogatiuam momenti non parum habituram ad eam leniendam inuidiam, quæ in Marchionem, tot veteranis Ductoribus prælatum, accenderetur. Quod verò pertinebat ad Socium gloriosi laboris Marchioni adiungendum; quid illi contingere honorificentius posse, quàm in Imperio habere Collegam Magni Ducis Hetruriæ Germanum, & maiorum suorum immortalibus factis, & suorum accessione meritorum in Europa luce clarissimum! Hoc tamen ipsum, quod Ostendanæ obsidioni tum efficaciùs urgendæ, tum determinandæ feliciùs maxi-*

Marchionis responsum.

Munus oblatum accipit, sed sine Collega.

q mum

mum adiumentum primâ fronte videretur; rem accuratiùs inspicienti, atque omnis anteacta memoriæ experimenta sedulò reputanti, certissimum potiùs impedimentum deprehensum iri. Quid enim in bellicis deliberationibus perniciosum magis, quàm deliberantium discordes, aduersasque sententias? Eas verò tales plurimùm futuras, ubi plura sint capita. Quæ si suprema fuerint, à quibus omnino pendeat summa rerum; nullam superesse spem eas conciliandi, aut ex eis optimam eligendi: quandò nulla superior in Exercitu sit potestas, quæ definiendi ius habeat. Hinc illa tam decantata prudentiæ scita pro unius imperio aduersùs parem plurium dominatum. 1603.

Cognoscit à Marchione per se, & per alios statum obsidionis

His, atque talibus ultro, citroque iactatis inter Archiducis Administros, & Domesticos Marchionis: noluit hic antè tam arduam, & plenam aleæ prouinciam suscipere, cum impendio non leui fortunarum, periculoque existimationis; quàm diligenter expenderet ipse, perque alios sapientes, ac peritos, sibique fidissimos rerum æstimatores expendendum curaret: quis demum tunc esset obsidionis status, quæ spes Oppidi expugnandi, quæ defensoribus vires, quæ prompta Subsidia: quod Obsessoribus contrà robur aut ad inuadendum Hostem, aut ad auxiliares Copias intercludendas; quantum fiduciæ collocandum in Milite, quantum in machinis. Hunc ad finem adijt ipse non semel Castra ad Ostendam posita, per speciem curiosi, verèque militaris spectaculi, de quo tanta undique fama percrebuerat, suismet oculis cognoscendi. Situm loci omnem circumspexit, eius munitiones perlustrauit: quâ parte firmior, quâ debilior esset, animaduertit: maris etiam, & alueorum opportunitatem, ad importandum militem, commeatum, bellicum instrumentum, ad exportandam inutilem turbam, est sedulò contemplatus: simulque an ullâ ratione, & quâ præcipuè prohiberi aditus possent, animo agitauit. Neque minore diligentiâ obsidentium Castrorum positum, frequentiam Militum, eorumdem industriam, ardoremque animorum obseruauit. Labores ad eam diem exantlatos, laborumque profectus cognoscere studuit: opera, machinasque, præsertim Targonianas, inspexit omnes: multa cum eo, multa cum alijs Militum, Operarumque Præfectis de re totâ disseruit. Imò verò quasi non satis haberet suis oculis, auribus, consilijs credere, ac tantæ rei susceptionem iudicio suo soli committere (siquidem in parte magnâ prudentiæ est, aliorum quòque prudentiæ magnam partem concedere) duos elegit ex omnibus & rerum earum peritiâ præstantes, & quorum consilia sibi salutaria experimentis alijs deprehenderat: ut ad Castra Ostendam circumsidentia profecti, rebusque omnibus diligenter

Hæreus an. 1603. Pōpeius Iustinianus lib. 2. Thuanus l. 130. Bentiu. l. 7.

1603. ter inuestigatis, atque perspectis; quid spei foret de expugnatione, quid aduersùs eam faceret, sedulò animaduerterent; deque cunctis ad se statim referrent. Quò verò sinceriorem eliceret ab eorum unoquoque sententiam, seorsim eos misit adeò, ut ignotum esset alteri, quid alter moliretur. Pompeius Iustinianus unus ex ijs fuit, Legionis, cui Marchio præerat, supremus Instructor, & iam olim in Belgico versatus bello sub imperio, præfecturâque Parmensis Ducis: animi vir magni, solertis ingenij, maturique iudicij. Alter verò Iacobus Franciscius Legioni Vallonum à Friderico Spinulâ Tribuni nomine impositus (uti suprà indicauimus) qui, quas à patriâ Florentiâ nactus fuerat, sagacitatem consilij, efficacitatem facundiæ, ad rem militarem nouis inuentis acuendam, dicendi ardore promouendam, opportunè traduxerat. Iustinianus Ostendanâ obsidione in omnem partem oculis, auribus, ac præcipuè sedulâ cogitatione exploratâ; hæc demum Marchioni renunciauit oratione militariter graui, quæque non minùs ipsius deceret ingenium, quàm Ambrosij genio, rerum, quàm verborum amantiori, arrideret.

Sergente maggiore.

Dissimulare se nec velle, nec posse, quod palàm omnibus res ipsa loqueretur. Oppugnationem Ostendæ unam esse ex arduis, laboriosis, ac propè desperandis expeditionibus; quæ ullo unquam tempore fuerint à temerarijs, nedum magnanimis, Ducibus susceptæ. Satis id exploratum fecisse nunquam satis celebratam Parmensis Alexandri prudentiam, rerumque bellicarum peritiam: qui ab hac obsidione cohibuerat animum, cæteroqui maximè pronum ad aggressionem magnarum rerum, ac difficilium: neque ibi spargere voluerat immensas opes, plurimum sanguinis, temporis, ac laboris; unde vix ulla spes esset optatam victoriæ segetem colligendi. Ostendam per se tentare nunquam ausum, nè partam tot secundis expeditionibus gloriam in discrimen obijceret: per suos verò permisisse quidem inuadi, sed tam exiguâ suâ spe, quàm improspero euentu. Quippe non cum flumine Scaldi (quem penè habuerat in vinculis) rem sibi videbat fore: sed cum mari, quod absorbere quidem rerum omnium copiam potest; expleri verò nunquam potest. Alueum verò à mari pertingentem ad Oppidi mœnia, unum antea, iam geminatum, quânam ope, aut molitione interclusum iri? Aggere-ne maximo ad eum finem excitato: qui tanto antè tempore cœptus, nondum perduci ad exitum potuerat? cuius quantum unâ die, vel nocte extruebatur: tantumdem alterâ, quà hostilium tormentorum impetu, quà maris aut reciprocantis appulsu, aut procellâ exagitati, ruinâ destrueretur. Magnam sanè spem ingressûs hostilium nauium, subsidijque prohibendi, vulgò positam in machinis Targonianis. Sed multum eas laboris, atque operæ ab Opificibus exegisse ad fabricam

Pompeij Iustiniani cõsilium de re suscipienda.

Muneris difficultates.

bricam magnitudinis immensæ: plus verò è Principum ærarijs exhausisse pecuniæ; debitaque Militibus stipendia in ludibria ventorum, ac maris, ipsorumque Hostium interuertisse. Quinimò ad eadem opera destinatis locis collocanda, tutandaque à primo impetu hostilium tormentorum, multum quòque impensum sanguinis, animarumque militarium. Nec suam defuisse partem mari, æstibus, aut tempestatibus absorptam. At quis solertium inuentorum, laborum, sumptuum, periculorum fructus extiterit; satis edocuisse frequentia mensium aliquot experimenta: breuemque horam multorum dierum operam perdidisse. Quare subsidij prorsus intercludendi viam omnem esse præclusam. Vnam tamen adhuc videri reliquam spem obtinendi Oppidi in acri, validâque oppugnatione. Sed neque hanc suis vacuam esse difficultatibus. Namque & receptus extrui ab Obsessis facilè posse interiores, atque interiores: quibus aggredientium impetum defendant: & licèt hi longo processu temporis perrumpantur, idipsum fieri nequire sine ingenti iacturâ opum, & Copiarum: quibus citiùs integra Belgarum prouincia reciperentur, quàm unus ille, & solis cladibus nobilis Piscatorum recessus. Hæc se pro eâ, quam deberet Moderatori suo, sinceritate, quamque ab naturâ nactus esset, ingenuitate animi, diffiteri non ausum: neque eleuare dicendo voluisse difficultates, ac discrimina, quæ tantò grauiora futura essent experienti, quantò minùs grauia exhibita prænoscenti. His tamen ita propositis, & patefactis; adeò se magnitudine animi, constantiâque Militum confidere: adeò rebus Oppidanorum in angustias adductis, tum peste interiùs grassante, tum Hoste exteriùs cædibus nunquam parcente, animari: ut si Dux Exercitui præficiatur generosus, industrius, accuratus, quem à vijs omnibus tentandis inopia pecuniæ minimè retardet: polliceri se nequaquam dubitare, post aliquid temporis, & laboris, de tam longâ obsidione victoriam Archiduci, supremo verò Ductori gloriam per omnes Europæ partes, & consecuturas ætates.

Vt suscipiat, suadet.

HAEC ad Spinulam Iustinianus, multum antea timoris animo generoso, sed & cauto insinuans: non nihil ad extremum instillans bonæ spei: quæ ut suauior, atque ad res magnas gerendas efficacior, faciliùs multò descendit in pectus animæ plenum. Iam olim Marchio cupiditate gloriæ militaris exarserat: acriores deinde subdiderat faces domesticum Friderici Fratris exemplum: eiusdem verò mors non absterruit, sed acriùs inflammauit. Ostendana quòque obsidio supra biennium continuata, tot utrinque viribus sustentata, tam prompta materies bellicæ ostentandæ virtutis, gloriæ comparandæ, incredibiles in eiusdem animo excitarat ardores. Eos tamen innatâ prudentiâ dissimulabat: nè vel ambitiosus haberetur in eo affectando imperio, vel te-

Marchionis propensio ad eam curam.

1603. temerarius in tali expeditione sibi arrogandâ. Vbi verò compertum habuit, eam diuinitus iniectam Archiduci mentem, ut Ostendanæ summam obsidionis sibi committeret: tùm ut cùm maximè bellicosi spiritus exarserunt, non antè sedati, quàm opere suscepto exercendi sui materiem nacti sunt. Adiecit currenti calcar postremâ oratione Iustinianus. Verùm acrioribus multò eum stimulis incitauit Iacobus Franciscius, ex ijs alter, quos explorandæ rei præmiserat Marchio. Is, quo erat ardore animi, quâque linguæ facundiâ, ut oblatam prouinciam alacriter amplecteretur, in hunc ferme modum hortatus est.

Iacobi Franciscij oratio, ad curæ susceptionem suadendam.

Si cum alio Militum Ductore, quàm tecum, agendum esset mihi (Vir & maiorum tuorum gloriâ, & indolis tuæ præstantiâ generose) vel diu, multumque dubitarem, an ei Ostendanæ obsidionis imperium suscipiendum suaderem: vel ut id facilè persuaderem, difficultatibus, ac periculis eleuatis, prona omnia, atque expedita ad referendam victoriam demonstrarem. At quandò cum eo mihi res est, cui magis ardua maiores animos faciunt, quem discrimina alliciunt, quæque inclinata sunt, ac desperata in spem erigunt: omnino diuersâ reor incedendum viâ ab eâ, quæ vulgò mortalibus ad deliberandum patet, quæque à dicendi Magistris passim teritur ad persuadendum. Pugnantia tibi loqui videbor, magnanime Marchio, & in causâ prauaricari; imò meo ipse me gladio confodere, dum ijs utar ad suadendum, quæ dissuadere sunt solita. Sed ita tua me virtus, & perspecta generositas hortantur, ut eis te argumentis ad propositum munus amplectendum impellam, quibus alij retardari solent, atque absterreri. Aio igitur, idcircò te Ostendani obsidij administrationem suscipere sine cunctatione debere: quòd opus fuerit à Parmensi Duce fortissimo, ac sapientissimo intentatum per se, atque inausum: quòd ab alijs inceptum, ac sine fructu, non sine notâ destitutum: quòd ultra duos annos nullo emolumento, detrimentis innumeris prorogatum: quòd periculis undique circumuallatum, nihil promittat aliud, nisi cædes, incendia, alluuiones, procellas, iacturam infinitam opum, Militum, laborum, temporis, existimationis: quòd omnium ferè opinione sit de consequendâ victoriâ desperatum: quòd demum ipsius victoria (si quasi per miraculum cælitus concederetur) nulla futura sit utilitas in Oppido, quod & antea nihil fuerit, nisi Piscatorum rara tuguria; & iam vix quidquam sit, præter aceruos ruderum, & ruinas. Hæc, inquam, cæteris suscipiendæ prouinciæ efficacissima obstacula, tibi nunc, generose Marchio, propono, tanquam incitamenta validissima. Vt ubi meta fuit, sed intacta alienæ virtuti, & gloriæ: ibi militaris curriculi tui carceres sint.

Et sanè quod attinet ad Parmensem; parum-nè tibi gloriosum pu-

Farnesij Ducis exemplum non retardat, sed incitat.

tas id aggredi, quod ille visus est reformidare? Eum æmulari, à quo 1603.
vel superari decorum est? Cum eo de magnanimitate contendere, cuius animi magnitudo Europam vniuersam impleuit? Ostendam tibi finge campum ingentem, virtuti maximi cuiusque Ducis explicatum. In eo decurrere Farnesij virtus non audet, audet Spinulæ. Et tamen ille in bello, ac Belgio Veteranus, hic Tyro. Ille victorijs assuetus, hic adhuc insuetus prælijs. Vtrius igitur animus generosior? At enim generositas ista temeritas est: ut illius non formido, sed prudentia. In militiâ si recedendum à medio est, præstat ad eam partem propendere, quæ plus animorum præfert. Laudabilius ducitur Bellatori nimium audere, quàm nihil. In Antuerpiâ obsidendâ quot obiectæ Alexandro difficultates? At omnes animi magnitudine superatæ. Ibi non semel fortem se magis probare, quàm cautum voluit. Quod Antuerpia Farnesio fuit, id esto Spinulæ Ostenda. Iniqua verò comparatio tam amplæ, tam nobilis, tam opulentæ, augustæque Vrbis cum Oppido, quod pro exiguitate, ac tenuitate suâ nè Vrbis quidem nomen rite sustineat. Sed non solâ magnitudine ambitûs, multitudine Ciuium, aut opum, antiquitate originis, ac dignitate æstimandum est, quanti momenti sint loca. Situs eorum quòque, & iuuandi, nocendi-ve opportunitas eis pretium facit. Vniuersis plerunque Prouincijs vel tuendis, vel infestandis Oppidulum unum commodè positum maximi ponderis est. Talem Ostendam esse, sensere Flandria, Artesia, cæteræque Belgij partes Catholicæ: quæ toties ab Archiduce, toties ab Regijs Præfectis enixis precibus, oblatis auxilijs, promissisque ingentibus efflagitarunt, ut Ostendanam infestationem, tanquam spinam (sic enim loquebantur) è pede Belgici leonis euellerent. Hostes ipsi sensere, qui post incredibilem opum, hominumque iacturam, Oppidum semirutum Obsessoribus cedere adhuc abnuunt: & malunt Fœderatas omnes prouincias, quàm unam Ostendam detrimentum pati. Non igitur Antuerpiensi obsidione minor est Ostendana: non opportunitate sitûs, non consequentium pondere, non magnitudine, ac numero difficultatum. Quamobrem quantùm Antuerpia debellata illustrauit Alexandrum: tantumdem Ambrosium expugnata Ostenda nobilitet. Hanc militaris gloriæ partem Italico nomini accumulandam tibi reseruare Farnesius visus est: ut haberet Genua quòque Alexandrum suum.

Aliorum vana tētamenta non obstant, sed promouent.

At enim Ostendam capere, tentatam sæpiùs, nunquam occupatam, hoc opus, hic labor est. Galli eam inuasere, Alenconio Fœderatas Belgij prouincias moderante: sed quàm rapidè aggressi, tam facilè repulsi. Valentinus Pardiæus Motta Dominus, & Greuelinga Præfectus, eòdem, concessu magis, quàm iussu Parmensis, irrupit; atque ut ex inopinato adortus, vetus Oppidum repentè cepit: sed quà segnitie Centurionum, quà Militum culpâ prædæ [illegible] igis, quàm pugnæ insisten-

Gaspar Ens Annal. Gallobelg. tom. 2 lib. 3. Fam. Strada de bello Belgico Dec. 2. lib. 6. & 10.

1603. *stentium, & eo, quod sperabat, deiectus est, & quod tenebat, amisit. Iterum eamdem fortunam tentare ausus; iterum ab eâdem delusus. Ideo-ne verò abstinendum tibi ab huius aggressione operis, quòd Gallis semel, quòd non semel Motta improspere successit? Num quia non rara sunt in mari naufragia, cessant commercia Generis Humani; aut desinit Mundus, cum tanto Gentium omnium emolumento, ultro citroque portari? An propterea bello absistunt sapientes, ac magnanimi Ductores, quòd pluribus aduersis prælijs dimicarunt? Infeliciter cessisse alijs hanc oppugnationem, maximo tibi sit incitamento ad eamdem alacriter suscipiendam. Quippe fortuna belli Domina non diu sibi similis est, & constans. Quare, si antehac infensa Ostenda Obsessoribus fuit: sperari debet in posterum amica. Demum, quicumque sit exitus administrationem armorum tuam sequuturus, existimationi bene vertet. Nam si (quod Deus abnuat) Ostendâ non expugnatâ soluatur obsidio: neque nouum id erit, quod antè non semel accidit; neque mirum & situ, & subsidijs, & acri defensione perspectis; neque Duci criminosum, aut pudendum, quandò alijs haud aliter successit. Sin contrà (quod & à Deo precor, & spero) tam insigni victoriâ potiaris; quam ubique terrarum immensitatem gloriæ consequeris? ut immortale nomen in omnem posterorum memoriam propagabis? quòd tam arduum opus ab alijs frustra tentatum; ab alijs egregie cœptum; infeliciter destitutum, gloriosissimo fine coronaueris.*

Sed fortè præsentium conditio temporum, atque Ostenda post illas obsidiones multis, ac magnis aucta munimentis, & rebus omnibus abunde instructa te deterret. Hinc duos iam annos, & ampliùs postrema hac obsidio prorogata. Hinc tot opes, & Copiæ in mare planè proiectæ. Quantum sanguinis, etiam illustris, fusum? Quantum malorum exhaustum? Quid non ingenio, industriâ, viribus tentatum? Sed incassum omnia. Stat adhuc Ostenda, & sub imperio Fœderatorum perstat. Adhuc spina illa altè infixa manet in plantâ leonis Belgici: an veriùs in corde Belgarum Catholicorum? Quis ergo consequi se posse confidat, quod toto biennio & ulerà tot Copijs, tot sumptibus, tot conatibus confectum haud est? Scilicet nondum Troianæ obsidionis decennium euoluit sese: nondum vigesimus annus Numantinæ, non Azotiæ undetrigesimus. Obsidionis verò diuturnitas animos addit, non adimit ad oppugnandum. Quàm enim debilitati processu temporis Obsessi, quàm numero diminuti, quàm redacti paulatim ad rerum omnium penuriam? Et quamuis non defuerint, aut desint, quæ subinde per mare sufficiantur, subsidia Militum, armorum, commeatuum: longè plus tamen esse censendum est, quod intùs pestis, aliique morbi, foris Hostis exhaurit; quàm quod aliquot naues, vix à tormentis nostris incolumes, subministrant. Ut Oppidi editiores partes

Longa obsidio animare debet.

Thucydides lib. 1. Strabo l. 3. Herodot. l. 2.

quassatæ,

quassata, ac diruta? Ut ædificia ferè omnia labefactata? Ut mœnia, & propugnacula malè subsistunt? Unum videri potest munimentum Ostendæ validissimum, quod & mollissimum, & instabilissimum est: aquarum nempe. Quibus si pontibus iniectis, inductis aggeribus, impositis machinis, aliisque adminiculis imperemus; vix est, quod ingressum in Oppidum nobis occludat. Verùm eadem producta obsidionis mora non mediocriter Obsessores lassauit, attriuit, propè ad desperationem adegit. Hoc ipsum eosdem incitare vehementer debet, ad finem aliquando quærendum tot laborum, discriminumque; ad vires, ac neruos omnes contendendos; ad supremos adhibendos conatus: ut vel eximiam ab Hoste tam pertinaci victoriam, vel à morte generosâ immortale decus reportent. 1603.

Pericula fortes Viros alliciunt.

Neque verò aut illos, si bellatores Viri, non imbelles animulæ sunt: aut te, si Spinularum Gentis magnanimæ sanguis es; deterrebunt pericula numero plurima, pondere maxima, quæ Ostendam circumstant, & firmâ quâuis munitione potentiùs custodiunt, ac defendunt. Nihil de Militibus dico, qui supra duos annos inter ea discrimina versati, eisque assueti, ita continuo usu obcalluerint oportet, ut familiaria iam habeant, quæcumque cæteris solent esse terrori. Te verò à periculis adhuc integrum, num æstuans, aut procellosum mare perterrefaciat; cuius imperium toties obtinuere Maiores tui? Quod illi tantâ cum potestate suis classibus subiecerunt, ac seruire Genuensi gloriæ iusserunt; tu nunc experiare refractarium, ac formidabile?

Spinularum Illustrium victoriæ.

Vbertus Folieta in Clar. Ligur. Elog. & Genuens. Histor. Aubert. Miræus in Elog. Spinul. Hieron. de Marinis in Genua descript.

Inclyta te corroboret Thomæ Spinulæ fama: qui (ut optimè nosti) ante annos trecentos in Pisano bello ab sapientissimâ suâ, tuâque Republicâ quatuor supra triginta triremibus, magnisque Copiis instructus, Planasiæ Tyrrheni maris Insulæ Oppidum cepit, exarmauitque munimentis; atque Hostibus deuictis, multas eorum naues, captiuos plurimos, prædamque ingentem in Patriam retulit. Petrus quòque te ad unius Oppidi aggressionem inflammet: qui bello Veneto nauibus quatuor & viginti præfectus, Corcyram præruptis scopulis, Arcibusque munitam oppugnare non timuit: suburbia cepit, atque incendit: Insulas Ægei maris duas Naxon, & Andron Genuensium imperio (quamuis non futuro diuturno) subiecit. Nec minores subdere faces debet Gaspar ille; qui triginta triremium classe inuectus in Venetos, Iustinopolim, & Polam eorum ditiones Urbes præcipuas expugnauit, diripuitque: Tergeste verò in deditionem redactum Aquileiensi Patriarchæ dono dedit. Præluceat tibi Francisci Spinulæ virtus in Patriâ tuendâ ab imminente Mediolanensis Ducis iugo; & liberandâ Caietâ ab Alphonsi Aragoniæ Regis obsidione: Lanfranci in Africanâ Urbe Septa defendenda: Quirlei in Corsica Oppido Caluio à Turcis obsidentibus seruando. Spem denique, atque animos faciant ad expugnandam Ostendam

Corfù. Niesia. Trieste.

1603. *dam capta à Vidone Spinulâ Ptolemais in Syriâ: Corsica à Zachariâ Patria recuperata: ab Augustino Sanctis Florentij Oppidum in eâdem Insulâ; & in orâ Ligusticâ Sauona recepta: aliaque multa Spinularum Heroum victoria; quas tibi recensere non est opus. Tu ergo, magnanime Marchio, vestigijs tam luculentis insistens, perge Stirpem clarissimam, & nobilissimam Patriam nouis augere splendoribus, atque ingenti accessione gloria cumulare. Addatur tot alijs triumphalibus titulis utriusque Ostenda, post diuturnam obsidionem, imposito Exercitui Spinulâ, oppugnata ferè simul, atque expugnata.*

Desperauerint alij, vel scientissimi militaris rei, de tam arduâ victoriâ: suaserint Archiduci, ut prudenter ab opere desistat, quod prosequi temerarium iudicatur. Aliorum hac ipsa desperatio spem tibi magnam faciat infinita inde gloria reportanda. Quando enim Medentium doctrina, peritiaque apparet illustrior: nisi cùm actum est de agrotantis salute; & iamiam efferendus, integra valetudini restituitur? Industrium verò Gubernatorem quid magis, quàm in extremum discrimen adducta nauis, & cuncta prorsus desperata, commendat? Quis ergo campus aperiri poterat amplior, liberiorque, in quo se longè, latèque iactaret, ostentaretque virtus tua, quàm hic, qui spe proficiendi vacuus, propè iam est ab omnibus destitutus? In desperato negotio infelix euentus excusationem habet: fortunatus verò gloriam tantò maiorem quantò minus expectatam. In re desperata sperandum.

Denique ad rem tam arduam aggrediendam illa te stimulet maximè cogitatio, qua solet alios retardare. Tantum exantlandum esse laborum, tot subeunda discrimina, non ut prouinciâ quapiam potiaris, aut regno: sed ut breuem Flandria lacinijam teneas, ut angulum occupes ora litoralis, atque instabiles cumulos sterilium arenarum. Nam de Oppido, quod dicitur obsideri, vix hoc tempore reliquum nomen est: adeò sunt omnia tormentorum assiduâ impressione pessumdata. Iam nunc Ostenda quaritur Ostenda. Quid cùm extremis oppugnationibus, si quid supererit, ad nihilum redigetur? Vix erit, ubi victoria vestigia relegantur. Hic ergo fructus erit, hoc pramium tot sumptuum, tot conatuum, tot arumnarum? Quod principio afferebam (generose Marchio) idem postremâ oratione confirmo. Tecum mihi colloquium est, tecum negotium: hoc est cum magnanimo Principe, qui emolumentum omne infra pedes habet, qui utilitatis momento non inclinatur. Certandum tibi erit, non pro mœnibus, qua frequenti concussione sternuntur; non pro Arcibus, qua vel proditione, vel vi veniunt in Hostium potestatem; non pro ditione, ac finibus terrarum, qui multis aduersis casibus obnoxij sunt: sed ad existimationem comparandam, qua magnanimo pectori unica merces est. Mouere etiam debet nulla utilitas.

Ergo age, Ductor egregie, diuinitus designate, humanitus electe,

Imperator antè, quàm Miles: aggredere alacribus animis, fo tunatis auspicijs, opus, magnis quidem Ducibus intentatum; sed quod tentasse, vel sine successu gloriosum erit ab animi magnitudine, ab alijs inchoatum, ac destitutum, ut tibi perficiendum Diuina prouidentia munere reseruaretur; prorogatione biennij magis ad felicem exitum preparatum; difficultatibus, ac periculis obsitum, ad victoria gloriam amplificandam; complurium opinione desperatum, ut qualis, & quantus et nouissimè Ductor imponatur, palàm omnibus fiat; nullius denique à direptione, ac prædâ utilitatis, ut solius gloria cupiditas omnem impleat ingentis istius animi capacitatem. 1603.

ORATIONIS huius hortatibus, & postremis Iustiniani verbis, omnium verò maximè ardore bellicæ gloriæ, quo Marchio flagrabat; constituit demum Ostendanæ obsidionis imperium accipere. Quamobrem nullâ interiectâ morâ, Bruxellas se contulit ad Archiducem. Exceptus ab eo maximis honoris, ac beneuolentiæ significationibus. Muneris verò suscipiendi conditiones, & conuenta commisit Albertus pertractanda Ioanni Richardoto, sanctioris Senatûs sui Præsidi, & Conrado Schetsio Hobocheni Domino. Illis igitur utrinque propositis, & constitutis, adeòque in scripta relatis; datæ sunt de re uniuersâ literæ ab Archiduce ad Regem Hispanum: quibus ipse disertè profitebatur: nisi eam administrationem Spinula suscepisset; futurum omnino fuisse ut obsidionem soluere cogeretur. Vnde quanta consequutura esset existimationis tum regiæ, tum suæ iactura, quantumque ad bellum Belgicum detrimenti, facilè Regem posse prudenti æstimatione percipere. Hæc ubi Albertus peregit, Bruxellis profectus est ad liberandam obsidione Syluam-Ducis: uti suprà narrauimus. Comitatus eum est Marchio Ruræmundam usque: quo in loco datis tertio Calendas Octobris publicis literis declarauit eumdem Archidux totius ad Ostendam Exercitûs moderatorem. Verbisque amplissimis testatus est: *Partibus eum omnibus insignitum, quas id muneris postularet. Regij, suique obsequij plurimùm interfuisse talem Ducem eligere: celeremque ab eo, ac felicem obsidionis exitum sperari. Quare Tribunis Militum omnibus, cæterisque cuiusuis ordinis, aut generis copiarum Præfectis seuerissimè ab se iuberi, ut cunctis in rebus vel ad belli, vel ad iustitiæ, ciuilem-ve administrationem spectantibus, eius imperijs tam voce, quàm scripto prolatis, non aliter parèrent, quàm si ab ipsomet Archiduce prodirent.*

Archiducis opinio de Marchione.

Ex lit. patentibus Archiducis 29. Septemb.

AD Exercitum Ostendæ obsessorem peruènit Spinula octauo Idus Octobris: eiusque cum publicis acclamationibus initâ præfecturâ; primas eò curas intendit, ut ad opera militaria materies

1603. ries copiosa suppeteret. Hanc, & annonam, & bellicum omnem apparatum multò, quàm ante ipsum alij, viliore pretio consequebatur, quòd præsenti pecuniâ transigebat: soluebatque minus, quia citiùs. Multa quòque in obsidione præter opportunitatem gesta animaduertit: quæ magnâ diligentiâ correxit. Quà terram spectat Ostenda, solum omne non modò arenosum est, sed frequentibus etiam riuis, canalibusque passim irrigatur, præter maiores duos alueos in mare aquas euoluentes: de quibus uniuersis antea mentio facta non semel. Exæstuans præterea statis temporibus pelagus Agrum illum ita obruebat ubique, ut nullus omninò excitandis aggeribus locus relinqueretur. Quare quò via Militibus aliqua ad oppugnationem, in aquoso illo situ sterneretur, congerendæ erant lucanicæ, suprà etiam memoratæ; & rates illæ, seu strues lignorum ingentes adhibendæ, quas Pompeius Targonus excogitauerat. *Marchionis in omnibus diligentia.* *Salsiccie.* *Flotte.* *Pompeij Targoni machinæ.*

Ex his unam ab eo ædificari iussit Marchio quinquaginta passibus longam; eamdemque Buquoij aggeri adiungi. Mari verò reciprocante, Pompeio Iustiniano mandauit, ut cum suis Militibus eam communiret, erigeret, ac reliquo aggeri adæquaret. Exequutus ille imperium, intra sex omnino dies opus absoluit. Extructæ moli tres imposuit bombardas, ad ingressum hostilibus nauigijs prohibendum. Neque verò labor ille ab ingentibus tum periculis, tum damnis immunis fuit. Hostis quippe septem directis in eam partem tormentis, aduersùs laborantes illa displodere non cessabat. Et quia Milites generosi assiduis ictibus non absterrebantur ab opere, quod crescebat in dies: nouam & huic, & illis perniciem moliti sunt. Namque igne grauidos globos, seu pyrobolos eisdem tormentis immittebant: qui statim flammas in opportunâ materie suscitabant. Hostium quòque conatibus obsecundabat ventus, qui vehementiùs aspirando amplificabat incendium. Hoc extinguere perarduum erat: tum quià ventilatum, magis, ac magis augescebat: tum quòd in eam partem, ubi maximè gliscebat, ad vetandum accessum, septena illa tormenta fulminabant. Ea tamen fuit Iustiniani, & Sociorum virtus, atque constantia: ut intrepidi aduersùs flammas, mortemque præsentem ierint, atque incendium aliquando tandem extinxerint: in quo priùs extincti fuere Milites quinquaginta. Tam carè stabat Obsessoribus vel aliquot passus propiùs ad obsessum Oppidum accedere. *Bassa marea.* *Contra eas Hostium industria.*

Ea dum fortiter in Bredenensi statione geruntur: nequaquam otiosè torpebant Milites in Albertinâ. Siquidem non minùs exacuit pugnantium industriam æmulatio Sociorum, quàm aduersa vis Hostium. Igitur ut ex hac etiam parte progressus fieret

ad oppugnationem; Catricium Vallonum Tribunum iusserat Spinula supra terrenum aggerem procedere, qui ad angulum munimenti, loricæ ultra fossam positæ interiecti, porrigebatur: eâque viâ lunatum propugnaculum aggeri imminentem, Foliamque appellatum, inuaderet. Hispanæ verò Legioni mandauit, ut alium aggerem excitaret, deduceretque ad maritimum propugnaculum. His operibus cunctis tantâ sedulitate Marchio instabat: ut Belgici belli Scriptor Hispanus affirmare non dubitarit, similem diligentiam nullo tempore visam: eique parem solam illam fuisse, quam in Antuerpiensi ponte fabricando Parmensis adhibuit. De rebus verò ab se institutis, atque imperatis certiorem maturè fecit Archiducem (qui iam Syluâ-Ducis Bruxellas redierat) per Aurelium Spinulam, ex Hispaniâ reuersum: rogauitque, ut in Tribunatu Legionis Italicæ pro se Iustinianum substitueret, Legionis eiusdem Instructorem, eoque munere dignissimum, tum ob recentia militiæ promerita, tum ob antiqua sub Alexandro Duce. Probauit Albertus quæcumque gesserat Marchio; idemque ipsi per literas significauit: Tribuni munus Iustiniano concessit. 1603. *Camerus l. 15.c.10.*

Pompeius Iustinianus Marchioni succedit in Tribunatu.

Eius Elogium.

Locus hic postulat, ut pauca de tanto Viro perstringantur: qui partem hanc Historiæ non præclaris modò facinoribus suis, sed editis quòque Commentarijs illuminauit; sincerè scribens, quæ fortiter gessit, ac pertulit. Patriam Pompeius habuit Genuam, quæ cùm perpetuis non seruiat Dominis, ipsa perpetuò dominatur. Ortus ex Iustinianâ Familiâ, quæ Insulâ Chio diu possessâ, de Cæsarum stirpe senos protulit Genuensi Reipublicæ Duces: ternos Romanæ Ecclesiæ Purpuratos: & quod gloriosissimum est, octodecim simul Cælo decennes Pueros Martyrum purpurâ decoros. Parens eius Franciscus bellicâ virtute præiuit: sed ut Solem Aurora. Is cum Raphaele Fratre Cyrnum (hodie Corsicam) & Cretensem Caneam à Turcarum oppugnatione defendit. Pompeius verò annorum quatuordecim Equitum Signifer eamdem Corsicam adiuit. Mox in Belgio quingentorum Peditum Ductor sub Alexandro Parmensi militauit. Quique cùm hoc tyrocinium posuit, Ambrosium Marchionem Spinulam sequutus est veteranus, Legionis ipsius supremus Instructor; ac deinde in eiusdem Tribunatu Successor. Eius prudenti consilio, accuratâque operâ Marchio frequenter est usus. In Ostendanâ obsidione ictu mosqueti sauciatus in pede, vetustum illud renouare potuit: *Ut quoties gradum faceret, toties virtutis suæ recordaretur*. Et paulò pòst ictu simili adeò vulneratus in dextero brachio, ut illud abscindere oportuerit, ac ferreum reponere: unde celebre Brachiferrei cognomentum ei calamitas fecit. Et qui-

De bell. Belgico lib. sex.

Mich. Abb. Iustin. Epist. Memorabil. P.2.

Bened. Mellini Epistol. ibid.

Cic lib. 2. de Orat.

1603. quidem æneo cordi ferreum brachium congruebat. His manûs, ac pedis infortunijs inhiberi non potuit anima magna, quin expugnatis à Spinula Oldenſaliæ, Lingæ, Vachtendonchæ, Grollæ, Rhenobergæ, multisque in Friſiâ locis vigore mentis eximio præſtò eſſet. Inducijs verò constitutis in Belgio, poſt Friſiam aliquandiu gubernatam, in Italiam regreſſus, à Venetâ Republicâ Cretenſi Regno moderando præficitur. Indè ad Foroiulienſe bellum Venetorum cum Archiduce Ferdinando ab iiſdem miſſus ſupremus Caſtrorum Præfectus, Florianum cepit, Lucininſum, Faræ Arcem, aliaque Hoſtium loca. Dumque cum Exercitûs Principibus regionis ſitum circumſpicit, ad munimentum extruendum; hoſtilis moſqueti globus renes traijciens, generoſam vitam abrumpit. Quo audito, Ferdinandus, contra quem pugnabat, Auſtriacâ ſinceritate pronunciauit: *Id bellum non tanti eſſe: ut tanti Ducis vitâ ſtare debuerit.* Veneta Reſpublica, bene de ſe merentibus gratiſſima, literas dedit eius laudibus refertas: translato Venetias corpori funus duxit honorificentiſſimum, ipſo Senatu cum Principe comitante: equeſtrem ſtatuam poſuit cum magnificâ inſcriptione: Vxori, & Liberis magnâ liberalitate proſpexit; qui honores ex Senatuſconſulto ſapientiſſimè decreti. Ex nobili Coniuge Hieronymâ Nigronâ duos Pompeius ſuſcepit Filios, Franciſcum, & Raphaelem, præſtantiæ militaris hæredes: uti Belgium, Venetiæ, Creta teſtantur. Raphaëli nupſit Hieronyma, præclara Filia ſapientiſſimi Viri Raphaëlis de Turri, optimè meriti de ſuâ Genuenſi Republicâ, varijs pro eâ legationibus: de Venetâ, Apologiâ pro eius libertate: de Iuris-prudentiâ, doctis de Cambijs libris: de Hiſtoriâ, Neapolitanis tumultibus enarratis: de re Politicâ, Cornelio Tacito tam ſcitè, quàm ingenioſè defenſo. Pompeius erat naturâ ſubtriſtis, taciturnus, & *verborum Vir paucorum*: ac tantùm ſub mortem hilaris fuiſſe fertur, & facundus: in bellicis rebus excogitandis acutus, exequendis velox: magis quàm expediret, animoſus, & periculorum contemptor; in quæ toties uſque ad extremum incurrit: & quia præ gloriâ negligens vitæ, glorioſè viuere dignus in memoriâ hominum ſempiternâ.

Fauſt. Moiſeſſus de bello Foroiul. l. 1. c. 6.
Petr. Io. Capriata Hiſt. lib. 4. & 5.
Abb. Iuſtin. Epiſt. P. 1.
Ennius l. 7. Annal.
Moiſeſſus c. 54.

IAM verò Targonus noui Ducis diligentiâ, atque ardore inflammatus, alijs, alijsque operibus architectandis inſudabat. Alteram extruendam curauit ratem priore longiorem: paſſuum ſcilicet octoginta. Verùm ubi cœpta eſt ab Iuſtiniano communiri, & iam ad palmos ſexdecim altitudinis, ſexaginta latitudinis adducta; tertiâ operis die atrox in mari tempeſtas conſurrexit, atque in erectam molem impetum fecit: quæ quamuis diu, multùmque obniteretur; ad extremum tamen iteratis undarum im-

Flotta, ò Trozzo.

Machinæ Targonianæ ruina.

impressionibus quassata, laxatis compagibus, disiectis lignis, 1603. materie omni diuulsâ, ac dissipatâ, aquarum fuit, ventorumque ludibrium. Ægrè tulit Spinula, non tam ingentem sumptuum, laborum, temporisque iacturam, quàm spem oppugnationis retardatam. Sed ut erat animo infortunijs omnibus maiore; non eo languidior factus, aut lentior ad artes alias bellicas attentandas. Pollicitus illi Targonus fuerat, pontem se fabricaturum passus ducentos longum, adeòque latum, ut quini homines in seriem dispositi eum commodè perambularent. Hunc affirmabat, se per noctis umbras, & silentium in maris recessu aluei ripæ admoturum, atque ad Ostendanum quoddam propugnaculum proiectum: idque tam celeriter, tam occultè, ut antè iniectum videret Hostis, quàm inijci posse suspicaretur. Ingentia promissa Marchionis animum diu tenuere suspensum: utpote non ignarum, ingeniosa, ac noua commenta plus habere plerunque speciosi, quàm solidi. Frequentatis tamen eiusdem precibus, ut experiri nè grauaretur, quod si minùs succederet, minimum detrimenti afferret; sin feliciter eueniret, Ostendam sine dubio in potestatem redigeret: adductus tandem est, ut manus operi sineret admoueri. Igitur ad pontem sustentandum, ac proijciendum, ædificauit principio Targonus immanem currum, cui rotas subiecit viginti quinque palmos altas, quatuor crassas. Ante currum pro temone, triremis malum præfixit, rudentibus aliquot obligatum, qui ad varias currûs partes erant adnexi. Octo deinde pontes è funibus texuit viginti quinque passuum longitudine, opere reticulato, quò minus haberent ponderis. Ad latera minoribus antennis sustinebantur, alijs in transuersum stipitibus explicati. Vnum ex his experimenti causâ ad temonem alligatum suspendit funibus eidem axi deuinctis. Quibus perfectis rebus, periculum facere Targonus voluit, an facilè promoueri machina ingens posset: adeòque ei pertrahendæ frequentem hominum numerum applicuit. At vix loco moueri cœpit; cum ex oneris grauitate multa tum lignea, tum etiam ferrea instrumenta perfracta, palàm fecerunt, vasta machinamenta magis aspectu admirabilia esse, quàm usu commoda. Imò pons ipse textilis, pensilisque ita fluitabat, nunc in unam, nunc in aliam vergens partem: ut si currus ulteriùs aliquantò processisset, pons omnino fuisset resupinandus. Vnde conijcere licuit, quid futurum, si septem reliqui pontes adnecterentur. Ad opus usui meliùs aptandum, multa Targonus superaddidit, multa detraxit: sed omnia frustra; mole (uti fit) laborante magnitudine suâ. Currum, & pontem hunc militaris licentia pigrum à tarditate motûs appellabat; ab horrendâ verò vastitate Tartareum.

Gaspar Ens de obsid. Ostendæ. Pōpeius Iustinian. l. 2. Thuan. lib. 130. Baudart anno 1604. Carner. lib. 15. c. 10. Bentiuolus lib. 7. Haræus anno 1603.

Pōs ingens à Targono construitur.

Eius descriptio.

Eiusdem exitus infelix.

DE

DE BELLO BELGICO LIBRI DECIMI SEXTI

SVMMA.

De obsidione Spinulæ demandatâ hominum sensa. Ipse suæ vitæ negligens: quod Amicis, & Militibus improbatum. Obsidioni Militum supplementum. Disciplina militaris viget. Oppugnatio præparatur. Nouæ machinæ excogitantur. Quid sint, & quales Blindæ. Cuiusmodi candelabra bellica. Hispanorum, atque Italorum virtus. Ab ignibus damna: & ab aquis utrique parti. Catricius occiditur. Catholici potiuntur propugnaculis Cangrego, & Viridi. Fœderati Ostendæ valde metuentes magnas Copias cogunt. Mauritius incassum tentat Traiectum ad Mosam. Eiusdem Classis ad Slusam. Iustinianus, & Aurelius Spinula prouidi. Catsandam Insulam, & Slusensem alueum Classis ingreditur. Iustinianus solers, & Copijs auctus prohibet Hostium descensionem. Marchionis sedulitas. Slusæ positio, eiusque alueus describuntur. Spinulæ cum Velasco controuersia dirimitur ab Archiduce. Seditiosorum excursiones per Brabantiam. Albertus eos compescit. Mauritiani Coxiam Insulam tenent. Velascus extruit Diui Iacobi munimentum. Mauritius Isendicâ, & vicinis Oppidis potitur. Pugnans cum Fœderatis Velascus superatur. Ad alueum iterum pugnat: & supplementum ac-

accipit à Spinulâ. Cum eodem Copias iungit, ſed nullo fructu. Mauritius obſidere Sluſam ſtatuit. Georgianam Arcem capit. Incendij periculum. Spinulæ conſultatio in bellico Senatu. Mittit Subſidium Sluſam. Oſtendæ propugnaculum capitur ab Hiſpanis. Sluſa circumuallatur à Mauritio: nec miſſum Subſidium accipit. Iuſtiniani induſtriæ. Conflictus cum Fœderatis: ordo in receptu. Archiducis conſultatio. Oſtendani extremas adhibent vires. Propugnacula amittunt. Spinulæ, ac Iuſtiniani generoſitas. Sluſa propè eſt ut capiatur: & Spinulæ curæ committitur. Hic eò Copias ducit, modicâ ſpe. Diuæ Catharinæ munimento potitur. Certamen ingens cum Fœderatis, in quo plures inſignes Viri cæſi, vel ſaucij. Sluſæ fames, & deditio. Magna eius iactura. Oſtendæ obſidio periclitatur. Marchionis induſtria, & Militum obſequium. Italorum, atque Hiſpanorum ſtrenuitas. Munimentis captis, nouum obſtaculum obijcitur. Eruptio ultima, & inanis. Tractatur deditio, & conditiones. Demum deditur. Spinulæ erga Victos clementia. Quanta hæc victoria: & quid de ipsâ Scriptores. De eâdem numiſmata, & dicta. Admiranda in illa euenta. Ignes venenati. Literæ per aërem miſſæ. Plura Oppida in uno. Spinulæ gloria. Oſtenda cum Tyro comparata. Archiduces obſidionis veſtigia viſunt. Iſabellæ lacrymæ. Militum remuneratio.

DE BELLO BELGICO LIBER DECIMVS SEXTVS.

1603.



IAM per Europam fama vulgauerat, Ostendani summam obsidij Marchioni Spinulæ demandatam: omniumque animos in euentûs expectationem arrexerat. Multi eidem per literas tam excelsa militaris rei primordia gratulari. Alij preces ad Deum, Deique Parentem Virginem pro felici operis exitu assiduè fundendas illi sponte offerre. Plurimi verò, quasi fatidico quodam instinctu ducti, propè indubitatam victoriam polliceri. Archidux Isabella ex his fuit, quæ asseuerare Aurelio Spinulæ non dubitauit, pro certo se habere, Marchionis industriâ, diligentiâque captum iri Ostendam. Nec absimili præsagientis animi significatione Fratrem eius Philippum Regem, velut oraculi voce ferunt pronunciasse aut Marchionem Spinulam, aut mortalium neminem Ostendâ potiturum. Communis denique tunc erat omnium sententia (quæ plurimùm falli non solet) huius unius Ducis manu, imperioque tam insignem, tam expectatam relatum iri victoriam. Tanta iam tùm insederat humanis mentibus de ipsius consilio, ac virtute existimatio. Eam Hostis ipse, quo nullus certior testis, nullusque laudator fide dignior, comprobauit. Mauritio siquidem, atque uniuerso nomini Fœderato nihil accidisse dicitur in eâ obsidione tristius, nihil maiorem incussisse formidinem Oppidi amittendi, quàm nuncius obsidentis Exercitûs imperij Spinulæ commissi. Tunc enim despondere cœperunt animos, ac de defensione propemodum desperare.

De Obsidione Spinulæ commissa fama, & expectatio.

Ex literis diuersorũ ad Marchionẽ.

Aurel. Spinula ad Marchionem 5. Nouembris.

Nicol. Vernuleus in Troph. Spinulæ Or. 1.

De eadẽ Hostium sensus.

Simõ Antunez ad Marchionem 23. Nouemb.

VNVM tamen in Marchione desiderabant ferè omnes: ut cautiùs custodiret salutem suam. Generosus quippe animus, totusque imminens in res magnas, atque arduas, vix ullo habebat numero, aut loco sui corporis curam. In laboribus primus, in vigilijs frequens, in periculis intrepidus; exemplo magis, quàm imperio ad opus quodcumque alacriter aggrediendum Milites inflammabat. Quaternas, aut senas horas nocturnas æquè, ac diurnas ad opera, quæ fieri iusserat, recognoscenda circumire: quamuis hostilia tormenta continenter in ipsum, ac socios intonarent. Cadebat antè ipsius oculos, imò pedes modò hic, modò

Suæ vitæ neglectus in Marchione.

Ang. Grillus Abb. in lit. impressis ad Alphonsum Comitẽ Beccariam.

1603.

ille Militum ictu bombardæ stratus: imperterritus ipse, non solùm ab incœpto non desistere, sed vix se loco mouere. Insomnes ferè noctes agebat, stationibus perlustrandis, aggeribus circumspiciendis, Excubitoribus obseruandis: id verò tùm maximè, cùm ingruentibus pluuijs, ad ea peragenda maximè intempestiua tempestas videbatur. Namque, ut ingenio sagax, tunc potissimùm ab Hostium subitis eruptionibus metuendum dicebat, cùm obscurus, atque impeditus aër obtegebat insidias. Vbi verò debitam, ac necessariam lasso corpori quietem concedere cogebatur, ritu planè militari, vel nudo solo incubabat, vel instratis paleis, vel supra carrum aliquem, aut etiam capite supra bombardam inclinato. Hanc animi magnitudinem non modò laborum, sed periculorum quòque omnium contemptricem, Marchioni quidem gloriosam, at Exercitui, bonoque publico noxiam, coërcere sunt aggressi prudentissimi rerum æstimatores. Infans ipsa Isabella non potuit, quin eum per literas seriò commonefaceret: nè tam promptè vitam suam objiceret in discrimen, uti ore omnium vulgabatur. Se quippe molestissimè laturam affirmabat, si quid ei grauius accideret. Hæc eadem Aurelio Spinulæ testata est. Albertus quòque multò antè hunc Marchionis neglectum vitæ præsenserat, ac Regis ipsius nomine cohibuerat. Idem officium per literas præstitit Paulus Franciscius pro eâ, quâ erat illi deuinctus familiaritate, ac fide. Referebat is Marchioni, *Scriptum sibi ab Inghij Domino* (qui unus erat è Proceribus Aulæ Bruxellensis, Archiduci carus in primis, & Spinulæ amantissimus) *Catholici Belgij communem esse querelam: Marchionem nihili omnino facere vitam suam, quandò eam tam frequenter obiectabat exitio. Ægerrimè ferre omnes, in uno capite salutem cæterorum periclitari*. Quam obrem eum Franciscius enixè rogat: *Vt in se uno publicæ consulat incolumitati: neu velit, conceptam ab omnibus victoriæ spem tam turpiter, quàm infeliciter aboriri*. Duo quòque subdit consilia ad tuendam vitam peropportuna. *Alterum, ut vestes atque insignia corporis identidem commutet: cùm usitatum admodum in bello sit, contra Ducem, tanquam animam Exercitùs uniuersi, cunctorum Hostium tela destinari. Alterum, nè temerè se locet, aut diu maneat, ubi non summa necessitas præsentiam Ductoris requirat*. Hanc beneuolentiæ plenam monendi libertatem superauit Militum omnium generositas in salute sui Ducis à periculo summouendâ. Statuerat Marchio locum quemdam inspicere præsens, ac sedulò perlustrare, qui tormentorum hostilium ictibus multùm erat obnoxius. Aggressi sunt Præfecti, aggressi Milites, quà validis argumentis, quà infinitis precibus illum ab eâ

Ab Amicis improbatur.

Aurelius Spinula ad Marchionē 9. Nouēb.

Paul. Francisc ad Marchionem 10. Nouemb.

Cautiones ad vitam Ducis tuendam.

Marchio à Militibus amica vi coercetur.

Ang. Gallus ubi sup.

1603. eâ mente deducere. Verùm ubi vident parum dissuasiones, parum preces proficere: impetu in eum facto, sed amoris impetu, non irarum, versisque contra ipsum hastis, ad eius tutandam vitam, non perdendam; Marchionem consistere coëgerunt, aperte vociferantes, nolle se tanti Ducis iacturam facere. Ita suam habet violentiam amor, eâque armatur, ut rem amatam custodiat.

ALBERTVS vero rerum à Spinulâ diligenter, accuratèque gestarum conscius, atque ex hisce initijs meliores progressus, ac tandem optatos exitus sperans: iussit Copias omnes, quas ex Italiâ conduxerat Marchio, ad Ostendanam obsidionem roborandam proficisci, quæque Herentaliæ, quæque Liræ morabantur, Militibus adiungi ab Lucio Dentice Tribuno deductis. Burgundiones præterea, duasque centurias Italorum Melzio Equiti subiectas; & Germanos, quibus Billius Comes præerat, eòdem properare mandauit. Equitum quòque duas illuc destinauit Cohortes. Hispanorum vero numerum aliquem pollicitus est se missurum, ubi constituisset, è quibus locis deducendi forent. Quoniam verò Marchionem inter, recèns impositum Exercitui, & Aluarum Suarium Pignonem Hispanorum Tribunum, tam Belgicæ militiæ, quàm militaris præfecturæ veterem, graues quædam exortæ fuerant de bellicis rebus agendis controuersiæ: idemque Aluarus quiddam à Marchione imperatum exequi recusarat: iussit Archidux, ut ille omnino sui Ducis pareret imperio; nè pessimo exemplo bellica disciplina detrimenti quidquam acciperet. Quæ Alberti deliberatio eò pluris facienda, quòd non deerant in Aulâ, qui Suarij partes acriter tuerentur, atque apud Principem gratiâ plurimum possent. Vicit tamen in animo æstimatoris optimi fauorem aulicum omnem, & merita diuturnæ militiæ, necessaria Moderatori Exercitûs auctoritas, & militaris obedientiæ vis in suâ integritate seruanda.

Obsidio Copijs augetur.

Archid. Spinola ad Marchionem 12. Nouemb.

Archidux, Io. Mansfeld. ad Spinulam 13. Nouemb.

Disciplinæ militaris obseruâtia.

OSTENDA interea transuecti sunt in Zelandiam trecenti ferè partim ægri, partim saucij. Ex his compertum fuit, obsesso in Oppido Militum numerum admodum imminutum quotidianâ vel cæde ab Hostium ictibus, vel morte ab incommodis, & peste grassante: vix ut mille sexcenti superstites recenserentur: ijque parum ad pugnam, ac defensionem idonei. Destinauerant quidem illuc Ordines Fœderati septem bellicas naues, eisque impositos Pedites octingentos. Sed hoc maximæ necessitati exile Subsidium existimauit, qui præsens aderat rebus, præ-eratque Ostendæ. Quare è Centurionibus unum Hagam Comitis legauit ad Ordines, Comitemque Mauritium: ut ab his sum-

Ostendæ statum Spinula cognoscit.

Iiid.

 mis

mis precibus extorqueret haud pauciores quatuor mille Militibus, & qua poterat maximâ celeritate mitteret illos. Eorum quippe copia, roboreque validam fieri posse eruptionem in aliquam è Stationibus Hostium: quas numero Militum valde debilitatas in proelium foret superare. Commeatuum quoque, & bellici apparatûs vim tantam importari quamprimum, quanta in anni dimidium satis esset, Gubernatoris nomine postulauit: siquidem quidquid congestum antea fuerat, vel absumptum iam erat, vel corruptum. Ex eodem Centurione cognitum fuit, licet pestifera lues in Oppido latè saeuiret, multosque mortales in dies extingueret: non tamen animis cadere Defensores, spe sustentatos vicini, properique Subsidij.

Preparatio ad oppugnandum.

Haec è Zelandiâ per internuncias literas Marchioni patefacta; ad celerandam oppugnationem, quæque ad eam faciebant, præparationes efficaciùs imperandas eumdem incitarunt. Itaque ad Albertinam munitionem ipse se contulit, ut præsentiâ suâ inchoatum à Catricio urgeret opus: tantumque animorum conspectu, verbis, exemplo Militibus addidit, ut pòst paucos dies proposito sibi ad occupandum lunato propugnaculo potirentur. Inde nouis conatibus, ut fieri solet, aditus patuit. Processum quippe ad propugnaculum aliud inuadendum, quod Viride nominabatur, proximumque Hostibus fossæ labrum custodiebat. Hispani contrà suum & ipsi aggerem producentes, tot offendère obiectas difficultates: ut consultius Spinula iudicarit id operis missum facere. Quamobrem iussit, ut aggerem alium extruere aggrederentur in editiore loco, atque Italorum Stationi viciniore, eumque deducerent ad aliud eiusdem lateris fossæ munimentum, cui ab Erinaceo nomen. Nè verò minùs de Italiâ suâ, quàm de Vallonicâ, Hispanâque virtute sibi polliceri videretur; tertium quòque aggerem Italis imperauit, deducendum ad tertium propugnaculum, quod Cangregum appellabant. Ita tripartito trium fortissimarum Nationum progressu, tribusque propugnaculis occupandis, viam sibi ad oppugnationem Oppidi aperiebat: duplici consilio prudenter utens: & multis uno tempore partibus Hostem lacessendi, ut viribus diuisis minor esset ad singulas propugnandas: & inter præstantes illas diuersarum Gentium Legiones, æmulas ferme semper virtutis, & gloriæ, contentionem fouendi; atque ita studium, ardoremque militarem magis ac magis inflammandi.

Verum haud segnior erat in his operibus disturbandis, & infringendis conatibus Ostendanorum industria. Imposita namque mœnium propugnaculis, loricæ, lateribusque tormenta, fer-

1603.

i di fer- ... all'ine. ... arare. ... ar gabbionate. ... oprirsi da i colpi.

ferreis talis, minutisque globis referta, displodebant, nocturno præsertim tempore, aduersus Milites laborantes. Eorum pleros-que aut perimebant, aut grauiter sauciabant. Nec poterat vel bombardis contrà exoneratis ea pernicies coërceri. Quare con-stituerunt Obsessores per noctem quidem corbium seriem di-sponere pro loricâ: interdiu verò, ab eâ protecti contra ictus mosquetorum, in opus incumbere. A maioribus autem tormen-tis eo tutior erat diurnus labor, quòd eorumdem ora directis è regione tormentis obstruebantur. Alia quòque noua machina-menta in hac Ostendanâ obsidione necessitas extudit; quæ ad re-rum inuentionem acriter exacuere solet humana ingenia. Are-nosum quippe maximâ ex parte, uti sæpè diximus, solum; & duodecimâ quâque horâ æstuante mari, superfusis aquis occu-patum; effodiendis è terrâ, atque erigendis aggeribus ineptum erat. Igitur horum loco opus quoddam excogitatum fuit, quod vulgus Blindas appellabat: atque in hunc fere modum extrueba-tur. Reciprocante mari, longiores pali altè defigebantur in are-nam. His alij transuersi adnectebantur. Tùm virgas crassiores, exutas frondibus, quindecim ferme palmorum longitudine, constipabant in fasces: easque rectas, & funibus constrictas pa-lis illis alligabant, ac mosquetorum ictibus opponebant.

Imboccare. ... ustinamus. Carcerus. ... lta marea. Bassa marea. Garde.

In hac obsidione nouæ machinæ inuentæ.

Blindarum structura.

ALIVD quòque tunc usurpatum ferunt inuentum, cui can-delabri nomen inditum à similitudine formæ. Perticæ erant duæ (siuè longurij) quindecim pedes longæ, duos verò palmos in-ter se distantes, transuersisque affixis lignis coniunctæ. Ad eas rectè sustinendas, quasi pes addebatur in imo è duobus lignis decussatis. Ita verò disponebantur, ut alteræ decem pedibus ab-essent ab alteris. Mox onerabantur ligneis illis lucanicis, quæ fuerunt à nobis suprà descriptæ. Hæc verò candelabra congere-bantur pro magnitudine operis, quod necessarium erat ad mo-squetorum ictus defendendos. Atque ut huiusmodi machina-menta in opportuna loca traducerentur; suppositis trabibus in-figebantur. Cumque in æstu maritimo aquæ inundarent, subij-ciebant trabibus doliola, quorum beneficio machinas fluitan-tes, funibus, ac rudentibus in quamcunque vellent partem, fa-cilè pertrahebant; atque ubi eas sistere decreuissent, pendenti-bus ab extremo funium anchoris iactis, subductisque doliolis statuebant. Quoniam verò etiam refluente mari, aquæ solo su-perfusæ stagnabant: ut ex uno in alium locum commeare lice-ret; lucanicis iniectis via sternebatur: ac super eisdem aggeres plerunque surgebant. In operibus hisce fabricandis magna la-borantium pars, vel aquarum periculis, vel tormentis hostilibus

... crociati. ... ccse. Rifflere à i colpi. Tinelli. ...

Candelabrorum militarium forma, & usus.

Periculain his machinis adhibendis.

ex-

extinguebatur: ut vix eorum dimidium incolume superesset. Quare venales animæ quærebantur, quæ pro tam certo vitæ discrimine grande pretium paciscerentur. Hi homines frequenter in medio labore intercidebant, auiditatem pecuniæ nimium graui supplicio luentes: eisque substituendi erant alij, ut affectum opus ad exitum perueniret. Ab his tamen auaritiæ sordibus integri præ cæteris erant Hispani, atque Itali: qui non aliâ mercede quàm existimationis, & gloriæ ad suprema pericula trahebantur. Vbi enim in locis suæ Legioni commissis deficerent, qui laborarent, statim alij succedebant operibus, spontaneâ ducti magnanimitate, non pretio ullo conducti. Quamquam ipsorum Tribuni moderantes prudentiâ suâ Militum alacritatem profusam; eò parciores erant tam generosi sanguinis, quò illi largiores.

1603

Hispanorum, Italorumque magnanimitas.

Iustinianus.

Tolli.

QVONIAM verò artificiosis præsertim ignibus utebantur Obsessi, ad opera obsidentium, ipsosque sæpè Operarios absumendos: Marchio quòque decreuit eadem arma in eos adhibere: quasi non iam bellicis instrumentis, aut machinis, sed totis elementis pugnaretur. Has igitur artifices flammas tam assiduè, scienterque tormentis vibrari iussit in Hostium muniniones, ut in parte loricæ, quæ labrum exterius fossæ tutabatur, ac Bredenensem Stationem spectabat, magnum excitatum fuerit incendium. Cui restinguendo cùm ingens factus fuisset Ostendanorum concursus; multùm, ac diu laboratum, & graue detrimentum acceptum, eorum plerisque haustis incendio, qui sedare illud ipsum moliebantur.

Ignium missilium cautio.

Contrascarpa.

NEC minor ab aquis, quàm ab igne pernicies, sub ingressum Anni millesimi sexcentesimi quarti. Maris namque tempestas, ingenti ventorum impetu commota, Obsidentium opera magnam partem euertit, disiecitque; præsertim, quæ moliti fuerant Hispani, marinis fluctibus magis obnoxia. Eadem Buquoij aggerem medium abrupit, ac partem eius passuum ferè quinquaginta subtraxit; qui eum custodiebant, Militibus in loco à continente auulso relictis. Ostendanis verò longè infestior procella, eam penè totam quassauit munitionem, quæ spectabat Orientem Solem. Hanc Hostium ruinam Spinula duxit opportunitatem suam. Iamque oppugnationem adornans, Militem recensebat. Verùm in eo censu minorem deprehendens numerum, quàm qui operi tanto par esset; id consilij dimisit. Tutiusque censuit moles diffractas, disiectasque reconcinnare: & paulatim potiùs ad aggrediendum Hostem procedere, quàm uno impetu suas Copias in discrimen adducere. Igitur refici iussis aggeribus,

Anno 1604.

Ab aquis etiam utrinque parta detrimenta.

1604. *Attaccare.* bus, primi omnium Burgundiones, & Vallones hostile propugnaculum, cui Viridi nomen, inuaserunt. Suum quippe aggerem expeditissimè instruxerant, tum quòd breuior alijs erat, utpote in angustiore aluei parte: tum etiam quia maris æstuantis minores impetus patiebatur, eòque minùs validè firmandus fuerat.

In oppugnando munimento multum impendendum roboris fuit, Ostendanis egregiè locum tuentibus; multumque nobilioris sanguinis antè, quàm caperetur, profundendum. Lamentabilis præ cæteris facta ibidem est iactura Nicolai Catricij Vallonum Tribuni, Viri virtutis, atque experientiæ præclari; neque minoris apud Principes usûs, quàm apud Milites existimationis. Spinula præcipuè sagax in obseruandâ, & prudens in exercendâ eius præstantiâ, tanti Bellatoris tum consilio, tum operâ frequenter utebatur. Eiusdem Tribuni constans fuisse fertur sententia; expugnatum iri Ostendam, si ab Albertino latere triplex institueretur oppugnatio; uti factum fuit. In eius locum, ac munus substituit Archidux Reinerum Cabilonum, nobilem Belgam. *Catricii Tribuni cædes.* *Eius consilium de Ostēdæ expugnatione.*

Primvm illum oppugnandi ardorem æmulâ contentione prosequuti sunt Itali, qui sub Tribuno Melzio militabant. Hi patriæ virtuti stimulos adijciente supremo Ductore Nationis eiusdem, tantum adhibuere laboris, atque industriæ, ut breui propositum sibi munimentum, Cangregum appellatum, attigerint. At Hispani, quorum virtus, & studium aliarum Gentium nulli decedere solebat; duplicem hìc offenderunt ad progrediendum moram: alteram ab aggere validiùs, atque operosiùs muniendo, ob maiorem impetum maris æstuantis: alteram ab ingenti amplitudine aluei, atque altitudine, eodem superiecto aggere implenda. Has ob causas ad munitionem destinatam difficiliùs, ac seriùs accesserunt. Qui verò iam accesserant Burgundiones, Vallones, Itali tot in eis propugnaculis recessus ab Hoste præstructos inuenere, multùm ut fuerit quà ligone, quà irruptionibus desudandum antè, quàm illa occuparent. Neque eis solùm potiti, sed parte quòque fossæ aduersâ mœnibus, utrique munimento interiectâ. Hîc tormenta disponi pluribus locis Marchio iussit: ut munimentorum frontes, ac latera infestarent, vetarentque ingressum fossæ ab tormentis hostilibus intercludi. *Itali potiuntur Cangrego propugnaculo.* *Burgundiones, & Vallones Viridi.* *Ritirate.* *Contrascarpa.* *Piatar batterie.*

Iam sibi multum Catholici de victoriâ pollicebantur, partemque multò maximam videbantur suscepti operis, ac laboris exantlasse; aluei tantâ parte transmissâ, captisque propugnaculis validissimis. Neque exigua spes erat, cum reliquas aliquot superandi difficultates, tum præcipuè fossam traijciendi, quæ in-

tia

tra occupatas munitiones non erat amplissima, & pelago reciprocante penè arida relinquenda. At Spinula, qui diligentiùs expendebat, an pares operi perficiendo suppeterent vires; valdè diminutum Exercitum animaduertens, extinctis alijs, alijs grauiter sauciatis; necessarium Militum supplementum ab Archiduce postulauit. Targoni verò laboribus ad Bredenensem Stationem intermitti iussis, ad Albertinum propugnaculum omnem belli molem traduxit. Paucos antè dies euocauerat Slusâ Ioannis Menesij Copias, ut opem ferrent Hispanis: Turrio deinde mandauit, ut cum quinque centurijs sese Vallonibus adiungeret: Dentici autem, & Iustiniano, ut Italorum subsidio geminas quisque centurias è suâ Legione transmitteret. 1604.

Fœderatorum timor de Ostendæ iactura.

Haec Spinulæ Marchionis sedulitas, & cœpta felicia cùm ignota non essent Ordinibus Fœderatis, magnum ijsdem incussere metum, nè tandem Ostenda caperetur. Et quamquam pariter norant, Obsessos nulli ad se tuendos industriæ pepercisse: recessus adornasse tutissimos, validissima interiùs munimenta, lunata exteriùs propugnacula, fossasque prouidè præstruxisse: hunc tamen apparatum uniuersum suspicabantur noui Ducis solertiæ, diligentiæque cessurum. Quare ad eum locum, in eoque non modò multiplex emolumentum, sed summam quòque existimationem conseruandam, neruos omnes contendere decreuerunt. Compertum id Spinulæ fuit, atque à Spinulâ per Nuncios Archiduci significatum; simul rogando, ut idoneas contra Hostem vires suppeditaret. Igitur ingentem Exercitum Hollandi contraxere, qui cùm ignoraretur quò demum vergeret, vehementem varias in partes terrorem distulit. Hermannus quidem Comes Thserembergius Geldriæ prouinciæ sibi commissæ ab eâ procellâ impendente metuebat. Grobbendonchius contrà Syluæ-Ducis Gubernator huic potiùs Vrbi eam minari rebatur. Ex Hollandiâ perlatus Antuerpiam nuncius erat, in hanc tanti momenti Vrbem tantum belli apparatum adornari. Neque minor inuaserat, aut vanior formido Hulsti, Sassiæque Arcis Præfectos, nè in eam regionem tanta calamitas deuolueretur. Ita dum anceps in medio pendet malum; quisque sibi timet, ac rebus suis. De his periculis uniuersis factus certior Archidux, suas quòque subsidiarias vires censuit suspendendas, ac paratas in Præsidijs seruandas: nè si quam in partem immitteret, ab eâ, ubi futuræ essent magis opportunæ, distraheret. Neque incustoditæ relinqui prouinciæ poterant, ob excursiones frequentes Seditiosorum.

Ridotti. Baloardi reali. Mezelune.

Magnus ab eis conflatur Exercitus.

Archiducis quòque, & Marchionis præparatio.

Guarnigioni.

Par prouidentia Marchionis fuit, tum in hostilibus consilijs

per

1604. *Spie.* *Dell' Esclusa.* *Forte di San Giorgio.* *Guardie.* per certos Exploratores indagandis; tum in rebus omnibus maturè præparandis aduersùs imminentem Hostis incursum. Quare Slusensi Præfecto, eisque, qui Georgianæ Arci, quique Blancobergæ præerant, mandata dedit, ut perpetuos turribus Custodes imponerent; qui longè prospicientes, ubi primùm magnum nauium numerum ingruentem conspicarentur, sibi extemplo significarent. Iustinianum quòque in Bredenensi Statione diligentes adhibere iussit excubias: promptumque esse cum lectis Peditibus mille, & quadringentis eiusdem Stationis Equitibus: ut statim atque ab ijsdem Præfectis renunciaretur, hostilem aduentare Classem; *Blācbenberghe.* Blancobergam cum eo Milite properaret: ibique consistens, Hostem ab appulsu distineret, donec ipse subsidio maiores Copias immitteret. Paruit Iustinianus imperijs; atque ut certiùs de illo aduentu doceretur, eorum Equitum Præfecto Botbergio mandauit, ut ad Arcem Georgianam, *Sentinelle.* & Blancobergam Vigiles destinaret, qui ad primum aspectum nauium, commonefacerent.

At Mauritius velut Hostium prouidentiam omnem eluderet, locis ijs, quibus maximè timebatur, omissis; Traiectum ad *Mastrich.* Mosam, ubi nulla hostilis incursionis suspicio tùm erat, per noctis tenebras, opportunum insidijs tempus, occupare tentauit. Ductis igitur secum quatuor Peditum, duobus Equitum millibus, magno silentio ad Vrbem propiùs accessit. Non tamen hic, quantumuis veterani Ducis, astus Traiecten sis Gubernatoris vigilantiam fefellit. Erat is Antonius Grenetus Verpæ Dominus, è præcipuis unus, qui tunc in Belgio armorum experientiâ, gloriâque florerent. *Mauritius intercipere molitur Traiectū ad Mosam, sed frustra.* Cùm itaque ad huiusmodi casus imparatus haud esset; cùm primùm de Hostis aduentu cognouit, ad arma Ciuitatem exciuit, Militem instruxit, ad defensionem idoneam comparauit. Neque urbanas modò Copias ad eam opportunitatem coëgit: verùm etiam ut finitimos Populos ad subsidium euocaret, aliquot displodi tormenta iussit, quod inter eos signum accurrendi conuenerat. Quo strepitu Mauritius intelligens suas insidias patefactas, incœpto destitit. Cùmque iam esset in procinctu Fœderatorum Exercitus, Peditum nempe quatuordecim millium, Equitum trium millium; eum supra naues impositum maiores, minores-ve sexcentas, ac Flandriam versùs deduxit.

Septimo Calendas Maias Flissingense fretum Classis intrauit. Quàm ut Georgiani Vigiles prospexere; Iustiniano statim enunciarunt. Is certiore facto Spinulà, designatis Militibus collectis, magnoque instrumento bellico carris imposito, Blanco-

bergam properauit. In itinere comperit, inimicam Classem ad ostium Slusensis aluei consistere: supra quadringentas naues è Flissinga portu egressas, & adhuc plures egredi. Quod & Blancobergæ Præfectus confirmauit, cum primùm eò Iustinianus peruenit. Opportunius itaque is censuit ad Arcem Diui Georgij transmigrare. Namque inde facilius posset Hostes à Slusensi litore arcere, siquidem illuc appellere voluissent: sin pergerent Blancobergam, haud segniùs ipse, quàm illi eòdem accurrere potuisset. De his omnibus consulto Marchione, ad munitionem Georgianam aduolauit. Aurelium Spinulam ibi cum triremibus reperit, qui eadem die non sinè magno conatu ad ostium Slusensis aluei processerat; & cum Hoste vicino aliquot inuicem tormenta disploserat. 1604.

Fœderatorũ Classis prope Slusam.

Bocca del Canale.

Iustiniani, & Aurelii Spinulæ diligentia.

IAM hic Classem appulerat ad Insulam Catsandam, quæ propemodum est è regione Slusæ, inter varios amnes in mare decurrentes. Duarum leucarum ambitu conclusa, Oppidum eiusdem nominis habet. Duo quòque munimenta in eâdem Catholici seruabant: quæ post aliquot ictus hostilium bombardarum, cùm aduersùs tantam vim defendi minimè posse, in aperto esset; deditionem æquis conditionibus fecerant. Compertum præterea fuit ex eodem Aurelio, & Georgianæ Arcis Præfecto: quæ ad ostium aluei starent Hostium nauigia, vacua Militibus esse: unde licebat conijcere, postero die, intumescente mari, eos alueum ingressuros, ac per eum traijcientes, allaturos subsidium Ostendanis. Eum traiectum nullâ ratione intercludere se posse profitebatur Aurelius: adeòque sibi opportunius videri Slusam se recipere cum triremibus, antequam Fœderati, iam Catsandâ potiti, dispositis tormentis certo quodam loco, quem præteruehi necesse erat, eas ingressu portûs prohiberent. Hæc uniuersa perscripsit ad Marchionem Iustinianus; sibique constitutum adiecit, ibidem persistere, & conatum omnem adhibere, ut appellere Hostem vetaret. Qui cum iam Catsandam teneret; verendum erat, nè Blancobergam, aut aliam eius oræ partem inuadere cogitaret. Tum Trosi Dominum, Vallonum Centurionem, cum ducentis Peditibus ad receptum quemdam transmisit, Diuæ Annæ appellatum, & Georgianæ Arci, Slusæque interiectum, Catsandæque Oppido aduersum.

Fœderati Catsandam Insulam tenent.

L'Esclusa.

POSTRIDIE mane, feruente æstu pelago, naues Fœderatorum ingredi alueum cœpere: atque antè Oppidum modò memoratum stare. Mauritius ad litus cum Exercitu contendit: & statim atque nauigium aliquod adlabebatur, inscendere Milites iubebat. Non cessabat interea fulminare tormentis Georgiana, *Imbarcarsi.*

Slusensem alueum intrant.

quam-

1604. quamquam ob amplitudinem aluei, perleui Hostium detrimento. Quatuordecim bellicæ naues inuectæ sunt, bombardis obarmatæ, planâ carinâ, ut aquâ vel minimè altâ ferrentur: triremes duæ: pontones ingentes viginti, quadringentorum ferè hominum singuli patientes: aliaque trecenta cum oneraria, cum diuersi generis nauigia. Dum illa prætereuehuntur, instruit se,

Sbarco. suosque Iustinianus ad descensionem prohibendam. Locum eligitè regione Hostium: aggerem extruit, quo protegatur: fossas quasdam inter eum locum, & aluei ripam interiacentes compleri iubet, ut expeditum sit iter Militibus ad impediendum egressum irrupturis. Receptus præterea duos exiguos ad dexteram, ac sinistram munitionis Diuæ Annæ, Militibus instruxit. Trosioque, cui munitionem eam dederat (uti diximus) custodiendam; mandauit, ut Hosti venienti, atque appellere conanti vehementer obsisteret, mox maioribus Copijs roborandus. At Mauritius reliquum Exercitûs tùm non imposuit in naues: fortè quòd antequam illæ omnes præstò essent, mare iam recedebat: imò remigrare in Insulam iussit, qui iam conscenderant. Iustinianus in Diuæ Annæ receptu, loricâ, quæ semiruta erat, refectâ, tectâque viâ instructâ; de omnibus certiorem Ambrosium fecit: ab eo enixè postulans & maiorem Militum numerum, & bina saltem tormenta; sinè quibus se posse negabat intercludere Hosti descensionem. His accuratè peractis, relictâque in eo receptu opportunâ custodiâ, & perennibus in Statione ignibus; cum Militibus per solidum illum diem ieiunis, residentibus aquis, ad procuranda corpora se recepit in proximas quasdam ædes, ad quas conuehi iusserat alimenta.

Iustiniani prouidentia.

Ridotti.

Metter di guardia.

Parapetto. Mezo rouinato.

Bassa marea.

Rinfresco.

NON tamen eam capere potuit, quâ tantùm opus habebat, quietem impiger Tribunus cum Commilitonibus. Quippe vicinus, atque imminens Hostis peruigiles in armis esse cogebat: cùm præsertim occursaret animo haud vana suspicio, eum per nocturnas tenebras, æstu accedente, tentaturum appulsum. Quare Iustinianus exilium suarum virium conscius, eas astu supplere in hunc modum instituit. Tympanistas aliquot procul ab socijs silentio dimisit: iussitque, dum ad eos regrederentur, tympana, castra mouentium ritu, pulsare. Tum cuique Militum, siue hastato, seu sclopetario edixit, ut quatuor, vel quinque funes è fomite succensos præferret. Eos omnes ad stationem, in quâ perpetuos ignes reliquerat, procedere iussit; & quidem super aggere, quò conspectiores Hostibus forent. Hac specie rerum imponere Fœderatis voluit, atque opinionem inijcere, nouas Iustiniano Copias subsidiarias aduenisse.

Sbarco.

Tamburini.

Stratagema ad celandam Militum paucitaté.

Suonar la marchiata. Picche. Micci.

Argine.

Gëte di soccorso.

AT Marchio literis eiusdem, & postulatis perspectis, de his omnibus retulit ad bellicum concilium. In eo communis ferme omnium sententia hæc fuit: ut decem centuriæ Militum ad illum submitterentur, quarum ope posset, Hoste nauibus descendente, recedere Blancobergam. Bombardas verò transuehendas negabant, certi de illarum iacturâ. Neque enim posse, aiebant, à bis mille Militibus tantum Exercitum descensione prohiberi. Slusensem verò alueum tam esse angustum, ut transmitti nullo negotio possit. Vtrique tamen petitioni annuendum Spinula censuit, & curauit: cùm diceret, in re tanti momenti paruo æstimandum unius, alterius-ve tormenti periculum. Igitur nullâ morâ interpositâ, supremum Instructorem Olmedum cum Peditibus mille ad Iustinianum transmisit. Eodemque tempore Lucio Marchioni Pallauicino mandauit, ut ex Bredenensi Statione bombardas duas ad eumdem conueheret. Vtrique celeritatem subsidij magnopere commendauit. Iustiniano verò vehementiùs iniunxit, ut viribus, neruisque omnibus Hosti appulsum intercludere conaretur. Quod si omnino fieri non posse animaduerteret; secederet Blancobergam, eamque tutaretur; quingentis priùs Militibus subsidio Slusam immissis. Vbi ad Iustinianum peruenere Olmedus, ac Pallauicinus; tormenta statim illa disposuit in aggere paulò antè memorato, ut Milites ponè stantes defenderent.

1604. *Consiglio di guerra.*

Subsidium Iustiniano mittitur.

MAVRITIVS contrà, aquis æstu crescentibus, iterum naues conscendere Militem iussit: & pontones quidem quinos simul coniunxit, ut uno tempore appellentes, maiorem Militum numerum, atque Hosti obsistenti faciliùs repugnaturum, in terram exponerent. Quippe ijs quinque pontonibus homines supra mille quingentos vehebantur. Cumque nocte proximè superiori senas maiores bombardas ex aduerso receptaculi Diuæ Annæ collocasset; in idem magno impetu fulminabat: non sinè graui detrimento, quòd ad tantam vim tormentorum minus validum erat. Interea bellicæ naues propius terram accesserant, ingenti lemborum copiâ Militibus refertâ subsequente. Hinc etiam, atque è triremibus prorâ in litore positâ contra eum receptum tormenta displodebantur. Alueum verò medium pontones, cæteraque nauigia tenebant, parata statim appellere, simul ac locum Catholici desererent. Animum namque induxerat Mauritius, munitionem illam, quam imbecillam sciret, tam assiduos ictus bombardarum diu sustinere non posse. Trosius quòque Centurio testabatur Iustiniano, tantam ab eisdem inferri hominibus stragem, muris ruinam, ut iam eam defendere vanum foret.

Pezzi grossi. Ridotto. Battere. Esser' à proua di cannone. Vascelli da guerra. Fregate. Abbādonare il posto.

1604. foret. At Iustinianus, & Marchionis mandatorum obseruans, & virtutis Italicæ non oblitus; Regiæ rei, atque existimationis referre magni respondit, facere vitæ priùs, quàm eius loci iacturam. Simulque cum responso, subsidio misit Mosquetarios ducentos, ijsque præfectos Angelum Melgaram, & Octauium de Mari. Eosdem in digressu monitos voluit, *Vt pars ipsorum maxima tectam viam occuparet, cæteri extra receptum degerent: ut prono in terram corpore se ab infestis ictibus tuerentur: ut bellando fessis integri, recentesque succederent: ut denique infixum animo haberent, aut receptum tueri, aut vitam amittere*. Ad eos verò, quos præceptis animabat, inflammandos exemplo: cœpit ipse Iustinianus opportuno loco dispositâ bombardâ naues Hostium quassare tam felici successu, ut ob earum multitudinem ictus nullus incassum effunderetur. Acriter utrinque pugnatum per quinas horas: adeòque neque receptum deseruere Catholici, neque terram attigere Fœderati. Quippe, ubi animus abundat, non deficiunt vires quantumuis exiguum numerum Bellatorum. Sed neque Aurelius Spinula ab huius societate conflictûs abesse voluit. Namque triremibus ad aluei quemdam angulum eductis, direxit etiam ipse tormenta in Hostem, eique magnam perniciem intulit. Quibus perspectis, & præter ingruentia è varijs partibus damna, mare quòque iamiam recessurum animaduertens Mauritius, reduci nauigia iussit ex alueo, & Milites Carsandam in Insulam reportari. Desiderati sunt in eâ pugnâ è Catholicis ferè centum: atque in primis Trosius Centurio, qui in eo, quem defendebat, receptu ictu tormenti prostratus est. At longè plures è Fœderatis: quorum etiam bellica nauis ita labefactata, ut nulli fuerit in posterum usui. Quod ipsum penè acciderat receptaculo, globorum impetu, copiâque ad extrema redacto: nisi Iustiniani prouidentia subuenisset; hiatus, ac ruinas opportunè resarciendo. Aggerem quòque super aluei ripâ moliri cœpit: ut si traiectum denuò tentaret Hostis, ab eo protegerentur qui prohiberent. Certior de his omnibus ab eodem factus Marchio; ad ipsum locum sibi accurrendum censuit: tum ut suis oculis periculum metiretur, quidque foret opus, cognosceret: tum ut præsentia Ducis fiduciam adderet Militi. Indè cunctis partibus perlustratis, rebusque rite dispositis, opportunisque mandatis relictis, Slusam migrauit: ut aduersùs imminentem Hostem ab omni eam aditu præmuniret. Qui verò sint eò ferentes aditus, & quâ ratione præstructi, ut magis in aperto sit; præstat locorum situm, & circumiectam Slusæ regionem paucis exponere.

Iustiniani magnanimitas, & prudentia.

Andar' il colpo in vano.

Idem Hostium appulsum impedit.

1604

Slusæ situs, & descriptio.

In eodem Flandrico litore, ubi cum alijs maritimis Vrbibus, siue Oppidis iacet Ostenda, Slusa quòque spectatur; sed longiùs aliquantò, quàm illa, recedit à mari. Verùm ab hoc tam latè patens alueus ad eam porrigitur: ut cum sese pelagus in eumdem insinuet, velut in æstuarium, magnarum nauium faciat patientem. Is ubi ad angulum Oppidi, in quo Arx est, propiùs accedit, in duo dispertitur aquarum diuortia: quorum alterum ad maris partem aliam flectitur, prope litorale Oppidum, nomine Isendicam: alterum Slusæ mœnia præterlabitur; atque inde ad passus ferè quadringentos bifariam rursus diuiditur:& pars altera Damum, deinde Brugas influit; altera in plures adhuc discerpta riuos, flexuosis meatibus Slusensem omnem regionem intersecat. E priore quòque diuortio multa aquarum diuerticula sparguntur: quæ mille, & quadringentis ab Oppido passibus nouo atque ampliori excipiuntur alueo, Ardemburgum usque, & ulteriùs pertinente. Hic alueus, & quem modò diximus ad Isendicam influere, cum alijs minoribus mediam Insulam complectuntur, cui Coxiæ nomen. Ingens illa percurrentium regionem, ac terram omnem intercidentium aquarum vis opportuna quidém, ad se tutandos, Slusensibus erat; cum eis facilè possent Agrum suum uniuersum inundare, atque imperuium Hosti reddere: verùm quòd eadem vis, æstuante præsertim pelago, cumulata in ipsum Oppidum irrumpere, ac multa inferre damna consueuerat:aggerem excitarant inter Ardemburgum, ac Damum ad earumdem impetus coërcendos. Super eodem aggere dimidiâ leucâ procul Damo, aquarum emissarium, siue ingentem aquæductum extruxerant, cuius beneficio circumfluens humor relaberetur in mare. Vt verò Ardemburgo Damum pateret iter, æstuario pontem imposuerant.

Canale.

Rami.

Diramasi.

Brugge.

Igitur Marchio, ut ab eâ parte, quæ magis Hosti erat obnoxia, protegere Slusam aggrederetur; Coxiam Insulam petere, ac præmunire constituit; quem unum è locis omnibus nouerat minùs instructum. Namque ad Isendicam duo surgebant fabricata ab Hispanis munimenta; Diui Philippi alterum, alterum Diuæ Catharinæ nomine insignita. Ad utrumque maiore Militum numero tuendum, missi iam ab Archiduce fuerant Augustinus Herrera, Gandauensis Arcis Præfectus cum Copijs ex illâ ditione contractis:Theodorus Comes Triuultius cum Equitibus mille: Læliusque Brancatius cum suâ Neapolitanorum Legione. Verùm dum in Coxiam Spinula cogitat, iubetque Iustinianum tres cogere centurias ad eam custodiendam; nouum accidit, reique, ac tempori minimè opportunum ab Aloysio Velasco impedimentum.

Castellano.

Fve-

1604. *Iustinianus l. b. 3. Carnerus l. 15. c. 11.*

Spinulæ cum Velasco cõtrouersia.

FVERAT is ab Alberto delegatus, ut curam susciperet intercludendi Hostibus descensionem; simulque imperatum Spinulæ, ut idoneas ad hunc finem Copias eidem suppeditaret. Eas Marchio designauit, quas Iustiniano attribuerat, quæque nuperrimè fortiter appulsum vetuerant Fœderatis. Maiorem numerum postulabat Velascus; cùm diceret: *Potuisse illas tùm obstare Mauritio, quando conatus ultimos non adhibuerat. Iam verò & superioris repulsæ pudore, & indignatione, quod tantus Exercitus perrumpere adhuc nequiret, magis incitatum, vires omnes in unum redactas ad occupandam ripam adiecturum. Quare vi quòque maiore aduersùs eum obnitendum.* Contrà Spinula asseuerare: *Nullis Hostem conatibus pepercisse: nihil ad appellendum reliquisse intentatum. Sed eius propulsati deberi laudem virtuti Militum, vigilantiæ, diligentiaque Tribuni Iustiniani; simul'que constantia Trosij Centurionis, qui vitam antè, quàm commissum locum deseruit. Faciliorem exinde ripæ defensionem futuram: quòd in eâ Iustinianus aggerem excitabat; atque alia bina tormenta Slusâ deuecta contra Hostem collocarat. Caterùm maiores sibi, quas traderet, Copias non suppetere. Neque enim ullas posse ab Ostendanâ obsidione subduci: cùm vix in eâ satis Militum foret. Quòd si quid inde subtraheretur, valde metuendum, nè re compertâ, Mauritius per maris æstum septem, octo-ve Militum millia Ostendam transmitteret: qui Stationes obsidentium ex inopinato inuaderent, ac profligarent.*

HIS tamen rationum ponderibus haud acquieuit animus Aloysij: ut ferme rarò conuenit inter animas magnas, seu dignitate pares, siue æmulas gloriæ. Eam itaque ultro amplexus occasionem Velascus, fortè quòd parum bene de successu speraret; munus impositum recusauit, Damumque concessit. Marchio, nè quid in absentem se apud aures Principis, viciniori magis paratas, aut præsens calumnia strueret inuidiâ suggerente, aut varians ex longinquo fingeret fama; Brugas ipse se contulit ad Archiducem: eique sincerè quæcunque sibi cum Velasco intercesserant, enarrauit. Ex quibus intellexit Albertus, nè breue illud quidem Hostem appulsu prohibendi negotium duobus summis Administratoribus rectè mandari. Quare Spinulam ad Ostendanam obsidionem eius præcipuè curæ commissam, quæque præsentiam Ducis requirebat, remisit. Velasco verò creditam paulò antè contra hostilem Classem administrationem confirmauit: nè ulla leuitatis labes aspergeretur, vel Principi, qui elegisset, vel Administro, qui abdicasset. Simul etiam Iustiniano per literas egit gratias, ob rem bene gestam, Hostemque fortiter repulsum: ut eumdem eis finibus constanter arceret, magnopere

Archidux rem componit.

gnopere commendauit: iniunxitque, ut Velaſci eòdem venien- 1604.
tis paréret imperijs. Alias accepit à Marchione literas Iuſtinia-
nus, quibus iubebatur, ut quem inſederat locum, diligenter tue-
retur; neque tamen incuſtoditam linqueret Coxiam, ſed ad eam
propugnandam numerum Militum mitteret, quem Matthæus
Serranus Sluſæ Gubernator poſtularet. Iuſtinianus verò loci ne-
ceſsitate, atque Hoſtium multitudine perpensâ, plures quàm
poſcerentur conceſsit. Petitis quippe ducentis Militibus, tre-
centos miſit.

Quanti fuerit deſcenſionem Hoſti prohibere.

MAXIMI fuiſſe momenti ad expugnationem Oſtendæ, ſa-
pientes rerum æſtimatores duxere, diſtinuiſſe id temporis à de-
ſcenſione Fœderatos. Nullo namque negotio, ubi deſcendiſſent,
ſubſidium ingens Oſtendam importaſſent. Siquidem in Spinulæ
Caſtris octo dumtaxat Peditum millia recenſebantur, Equites-
que quingenti, Copijs etiam, quæ apud Iuſtinianum erant, ad-
numeratis. Hi verò Milites in duas erant diuiſi Stationes, hora-
rum quinque itinere diſtantes: quarum alteri opem ferre non
licebat, niſi alterâ deſtituta. Neque Blancobergæ Arx interie-
cta morari vadentem Hoſtem potuiſſet: quæ vix bidui ſpatio ab
eo ſe tueretur. Neque aliæ deerant ad Oſtendam viæ; per alueum
præſertim Brugas tendentem, alicubi vix quinquaginta paſſus
amplum, & pontium patientem; alibi vado tranſitu facilem:
eoque tranſmiſſo, nihil obſtabat, quin Oſtendam perueniretur.
Quòd ſi Fœderatis obſiſtere, cumque ijs manus conſerere Spinu-
la voluiſſet; ut ſumma eſſet tum eius diligentia, tum Militum
virtus; maiore tamen multò Hoſtium numero obrui facilè po-
terant, ac ſuperari. Neque demum intra Stationes tenere ſe
diutius licuiſſet: quandoquidem à Mauritianis circumuenti Ca-
tholici commeatibus fuiſſent interclusi; quibus illi, ut potentes
maris, abundaſſent.

Seditioſi Brabantiam infeſtant.

PER eos dies, quibus Mauritius in Flandriam nauigauit; Se-
ditioſi, qui Grauiæ (uti ſuprà memoratum eſt) hybernabant,
quietis impatientes, aut victum ſibi excurſionibus, ac depopu-
lationibus paraturi, acceptis à Mauritio in ſocietatem facinorum
Sclopetarijs mille, Equitumque ſexdecim turmis, tribusque ſe-
cum aduectis bombardis, Brabantiam longè, latèque percurſa-
bant: è Vicis, Pagis, villis pecuniam extorquentes, agentes præ-
das, rapinis, incendijs, vaſtitatibus regionem omnem infeſtan-
tes. Thenas quòque (ſeu Tillæmontem) inuadere, atque in
ſuam redigere poteſtatem tentarunt. Sed à Friderico Bergenſi
Comite, qui ibi præerat cum aliquot Copijs, ad defenſionem
Brabantiæ conſtitutis, propulſati fuere, non ſinè graui ſuorum
iacturâ.

1604. iacturâ. Cuius ultione, vel irâ rei infeliciter gestæ, sacrarum Deo Virginum Cœnobium in Thenensi suburbio concremarunt. Inde Bruxellis propiores facti, in conspectum usque mœnium venerunt, tantâ Ciuium trepidatione, ac tumultu: ut plerique iam eos Vrbem tenere suspicati, clausas domos munirent, obicibusque sæpirent vias. Illi tamen quod succedere prosperè nequibat, non audentes; Vrbem prætervecti, quod fieri potuit, non omisere: obuium quemque expilate, agrestes domos diripere, atque incendere. Montes denique, in Vrbem Hannoniæ principem, procurrunt, nulli flagitio parcentes. Diditus quòque rumor; eos per Flandriam grassantes, quæ Ostendam obsidebant, Castra oppugnatum ituros. Quibus tam multis difficillimo tempore damnis, periculisque circumuentus Archidux eò demum adductus est, ut cum ijs venire ad conditiones, & sancire concordiam optimum duxerit; in quos, ob tot, ac tanta scelera perpetrata, grauissimis animaduertere pœnis debuisset. Quippe haud facile erat tales geminos Hostes uno tempore sustinere: quorum alter extimus, bellandi simul, ac vincendi vetus, maximâ instructâ classe, vel solutæ obsidionis dedecus, vel non leuem aliquam iacturam minaretur: alter intestinus, tumultuarius, contumax, eòque infensior, quòd è subiecto rebellis; & quia rerum omnium conscius, magis timendus. Vt igitur hunc saltem à communi pernicie summoueret Albertus, Ruræmundanum Episcopum, atque Hermannum Bergensem Comitem ad Seditiosos misit: ut eos ad saniora consilia reuocarent. Atque in has tandem conditiones conuentum est: ut rerum præteritarum perpetua esset obliuio: utque stipendia omnia ternâ solutione penderentur: ipsi verò Hocstratam, & Carpiam Archiduci restituerent: eorum bis mille Slusensium subsidio contra Fœderatos irent: dum hæc omnia perducerentur ad exitum, pignoris loco Ruræmundam tenerent. Obsides ijsdem dati tres Principes Viri: Petrus Gironus Ossunæ Dux, Comes Fontanoius Marchionis Hauræi Filius, & Alphonsus Aualus Vasti Marchio. Eò usque procedit interdum improborum audacia, ut exigere non pudeat, quod pudor est memorare: &, quæ rerum humanarum conditio est, qui dominantur Prouincijs, ac Regnis, parère coguntur tempori, & seruire necessitati.

Bruxellis insultant.

Archidux eos cum conditionibus sedat.

MAVRITIVS interea, cùm in sinu Slusensi descensionem facere non liceret; in Insulam Isendicam, & Diui Philippi munimentum, quâ vado transiri poterant aquæ, maris æstu subsidente, migrare cum Equitatu decreuerat. At ubi promptum ad obsistendum cum suis Equitibus Triuultium animaduertit, nouum

consilium cepit. Coxiam namque procul perlustratam, parumque instructam Milite deprehensam, inuadere statuit potiùs, atque occupare. Slusensis enim Præfectus, quas ab Iustiniano acceperat, tres centurias, non ad custodiendam eam Insulam misit, ut imperatum à Marchione fuerat; sed tuendæ Slusæ retinuit: eâ semper necessitate acriùs urgente, quæ propiùs attingit. Quare Mauritius opportunitatem nactus, nocturno tempore pontones aliquot, ac nauigia cum Peditibus quadringentis in eum sinum immisit. Qui sexto Nonas Maij sub auroram appellentes, quadraginta solos Pedites in Insulâ offenderunt. Hi tantò maiore Hostium conspecto numero, locum eis sinè morâ cessere. Quamobrem eò descendere iussi Pedites quater mille: qui statim in ripâ aluei regionem intersecantis, & Coxiam à Slusâ dirimentis, munitiones excitarunt. Alteri quòque alueo Coxiæ, Catsandæque interiecto pons impositus: ut facilis, ac properus Militibus daretur ultro citroque transcursus. Pars alia Militum aggerem inuasit ad Diuæ Catharinæ munimentum ducentem. Hic Herrera, Triuultius, Brancatius, paulò antè memorati, loricam ingentem extruxerant: in quam nouem tormenta diem totum Fœderati exonerarunt. At obortâ nocte, inconcussam Catholicorum constantiam conspicati, eadem retraxerunt. Per eam noctem ijdem Præfecti Militum cum alijs conuenerunt, ut super re præsenti deliberarent. Cùmque magnam se die transacto fecisse iacturam agnoscerent: & Copias apud se admodum exiguas animaduerterent: siquidem regionis Incolæ partim fugâ dilapsi, partim animis omnino destituti: locum illum deserere, atque Isendicam se recipere statuerunt. Vnus in contrariâ erat sententiâ Brancatius, & persistendum ibidem aliquandiu censebat, ut quò vergeret Hostis, obseruaretur. Sed, in quo cæteri consentiebant, id actum est. Posterâ luce desertum locum videntes Fœderati, prosperam sibi sortem gratantes, eum raptim occuparunt. Tùm duabus iam captis Insulis Catsandâ, & Coxiâ, satisque instructis militari custodiâ, ad Isendicam pariter expugnandam animum adiecerunt. In itinere Diuorum Philippi, & Catharinæ nomine appellatis receptaculis parui momenti, adeòque parum munitis, promptâ deditione potiti sunt.

Mauritius Coxia insula potitur.

VELASCUS inter hæc missus ab Archiduce Slusam, supplementum acceperat Peditum mille, & quingentorum ex Legione Germanicâ, cuius Tribunus erat Egloffus Lucemburgensis. Nec temerè suspicabatur, Mauritium, ubi tenuisset Isendicam, iterum omni ope conaturum Slusensem alueum traijcere: vel Damum per Ardemburgum inuadere: vel ex Diuæ Annæ receptu adi-

1604. aditum intercludere Subſidio Sluſam immittendo. Quamobrem, ut his omnibus maturè proſpiceret; eius aluei ſitum muniuit, cœptam ab Iuſtiniano loricam perficiendo, eamque uno recepto, ac duobus lunatis munimentis ad latera roborando. Tùm Ardemburgum proficiſci Lucemburgenſem cum ſuâ Legione iuſſit, ligonibus, palis, cæteroque apparatu bellico inſtructum: ut Oppidum illud accuratè muniret. Nouum prætereà munimentum unà cum ponte impoſuit fluuio, qui Damo Sluſam prolabitur: cui munimento Diui Iobi indidit nomen. At Mauritius minoribus aliquot propugnaculis, uti diximus, occupatis; Iſendicam quòque in ſuam poteſtatem redigere moliebatur. Sed quòd Oppidum erat & naturâ, & manu ſatis validum, caſtra in proximo collocauit, ea diligenter muniȷt, ac tormenta diſpoſuit.

A Velaſco Diui Iobi munimentum extruitur.

Ad Oppidanos in fide retinendos, ſcripſerat Albertus, ut primos Hoſtium impetus conſtanter, ac ſtrenuè ſuſtinerent. Futurum enim ut intra quatriduum opportuno ſubſidio iuuarentur. Verùm hæ literæ à Mauritianis interceptæ, non Obſeſſis ſolatio, ſed Obſeſſoribus incitamento fuere, ut eos vehementiùs multò premerent, atque impetu magis aſſiduo quaſſarent. Neque tamen lenibus tormentis abſtinere Mauritius voluit; non minùs clementiæ famâ, quàm bellicâ virtute ſubijcere ſibi Populos amans. Tranſmiſſo namque Tubicine deditionem poſtulauit. At dum is propiùs accedit ad mœnia; è Præſidiarijs unus diſploſo illum ſclopeto tranſuerberat, ac proſternit. Exarſit ad eius rei nuncium Mauritius: & Obſeſſis extrema quæque denunciari iuſſit, niſi quamprimùm dederetur temerarius Miles. Decimam iam diem Iſendica tormentorum perpetuis ictibus quatiebatur. Et quamquam qui præerat loco Fordinus, cæterique Præſidiarij egregiè ſuas agerent partes: comperto tamen, Subſidium nullum ſubmitti poſſe, ac Defenſorum numerum in dies magis imminui, deditionem facere decreuerunt. Conditionum eius prima illa fuit, ut occiſor Tubicinis, tanquam violator iuris Gentium, ſeuerè puniendus traderetur: tùm ut cum ſolis armis Præſidiarij migrarent: ſigna, & omnem bellicum apparatum in Oppido relinquerent: quatuor menſium ſpatio aduersùs Fœderatos nè militarent. Digreſſis illis, & Sluſam profectis; Mauritius Oppidi ruinas reſarſit, ac nouis id munitionibus firmauit. Indè Ardemburgum mouit, quod ut inualidum ad defenſionem, ideoque à Lucemburgenſi deſtitutum, extemplo tenuit. Nec maioris negotij fuit Middelburgo potiri.

Camerus l. 14 c. 12.

Mauritius Iſendicam, & vicina Oppida capit.

Lvcembvrgensis cum ſuis Damum ſe recepit; quò mox

etiam Velascus concessit, ut eum locum retinendum curaret, 1604.
atque ad defensionem præmuniret. Eòdem illâ ipsâ die conuenerunt cum Equitatu Triuultius, cum suis Legionibus Brancatius, Achicurtius, Barlæmontius: & Pedites mille quingenti à Spinula ex Ostendanis Castris immissi. Hi simul omnes cum ijs, qui Diuæ Annæ receptum seruabant, numero censebantur quinque millia Peditum, Equitum duo. Cùmque probè nosset Velascus, Mauritianis, ut Damum accederent, transmittendum esse pontem, quem suprà diximus impositum aggeri, Ardemburgo Damum deducenti; ad eum inspectandum profectus, à Bletleueno, Legionis Achicurtij supremo Instructore cum octingentis Militibus adstrui munimentum iussit, ac sedulò custodiri. Hæc ubi perlata sunt ad Mauritium; nè spatium daret Hosti perficiendi operis, maioresque sibi obices interponendi, postero die cum primis Ordinibus ad pontem properauit, reliquum ibi Exercitum præstolaturus. De cuius aduentu factus certior Velascus, rapuit extemplo secum mille quingentos Pedites à Marchione missos, qui præ cæteris erant ad iter expediti: erant autem ex Legione Borgiæ, sub Instructore summo Ferdinando Olmedo: unàque duxit Sclopetarios Equites Nicolao Bliuio subiectos; quos ad custodiam sui corporis adhibebat: cumque his ad pontem accurrit. Triuultio verò Comiti, qui cum reliquo Equitatu, in circumiectis Pagis morante, duabus Damo aberat leucis; imperauit, ut eas Copias ad pontem perduceret. Quò postquam deuenit Velascus, animaduertit, munimentum ab se designatum vix ad palmorum quatuor altitudinem extructum. Quare magnam Militum partem illinc eductam super aggere aduersam Hosti collocauit: partimque in medio, partim ab lateribus disposuit. Tùm duas præmittens Mosquetariorum alas, Bliuij turmâ stipatus, velitari cum Fœderatis cœpit. Hi quadrato, instructoque agmine contrà moueri; & fiduciâ, quam dabat numerus maior, audacter manus conferre. Non deerat Catholicis Militibus virtus, non Ductori prudentia belli: sed copia deerat Bellatorum, quâ possent multitudini Hostium obsistere; cùm penè illorum singulis horum deni responderent. Quippe nondum cum Triuultio maior Equitatus aduenerat: nec sinè huius præsidio Peditatum uniuersum in discrimen, imò in cladem certam obijcere, sapientis esse Ducis Velascus rite censuerat. Egit ipse quidem egregiè omnes non Præfecti modò, sed etiam Militis partes: tantumque Hostium, ultra unius horæ spatium, tam suâ, quàm suorum virtute sustinuit. Sed ad extremum in Equites impetum ab latere faciente Equitatu Mauritij; facilè illi disiecti,

Velascus cū Mauritianis pugnat, & vincitur.

1604. iecti, fusique sunt. Quorum tutelâ nudati Pedites, defendere se diutius nequierunt. Quà cæsi, quà saucij ferè quadringenti: capti trecenti; quos inter Centuriones aliquot, & supremus Instructor Olmedus. Saluti plerisque fuere vicinæ paludes, in quas se coniecere; atque inde Damum versùs enatarunt.

DAMVM quòque repetijt Velascus cum ijs, qui superstites erant, stipatoribus suis. Extra mœnia tamen quartâ ferè leucæ parte Slusam versùs cum eisdem substitit; alueo inter ipsum, atque Hostem interiacente. Alteri verò, qui ad tergum erat, alueo pontem iniecit: ut si qua vocaret ad Ostendana Castra opportunitas, usui foret. Iustiniano verò per literas mandauit, ut duas ad se mitteret bombardas: utque cum reliquis Copijs ad se migraret. Fecit hic statim imperata: dumque Slusam prætergrederetur, ab eius Gubernatore rogatus fuit aliquem Militum numerum, ad obsidionem sustinendam, quam à Fœderatis metuebat. Enixis precibus, & simul imminenti periculo deesse Iustinianus non potuit: adeòque tres centurias reliquit, præter alteras totidem, quas antea miserat. Postquam verò Velascum conuenit, ab eo iussus est illam ripæ partem custodire, ad quam alueus vado transiri poterat. Locum is cum suis extemplo occupauit: utque ab Hostium ictibus tecti essent, aggerem ibidem excitandum curauit. Et opportunum utrumque consilium fuit. Etenim Fœderati paulò pòst, mari prorsus subsidente, duo Peditum agmina in vadosam illam partem immiserunt. Qui statim atque ripam aluei tenuere, paratos in alterâ ad obsistendum Catholicos prospexerunt. Igitur displosis utrinque sclopetis, atque mosquetis aliquandiu dimicatum est. Neque tentandum censuit Mauritius vadum, quod tam prouidè præmunitum fuisset, ac tam strenuè defenderetur. At alijs locis posse alueum vado transiri, succurrit perito regionis Velasco: præsertim verò, quem Slusæ scissuram appellant. Non tamen, quibus tutanda illa committeret, Milites suppetebant: quinetiam ita sparsim diuisi, facilè opprimi ab Hoste potuissent.

Noua pugna ad alueum Slusensem.

Cortadura.

INTER has animi angustias Aloysio constituto lux aliqua opportunissimè affulsit à Spinulæ prouidentiâ. Is quippe cautè prospiciens: si traijcere Slusensem alueum Mauritianis permitteretur; in sua Castra perniciem illam omnem, atque ruinam deuolutum iri, atque idcirco de Ostendanâ expugnatione actum fore: sua quòque referre plurimùm intellexit, eam traiectionem penitùs intercludi. Quamobrem ad Velascum (condonatis publico bono priuatis cum eo, recentibusque dissensionibus) octingentos Pedites misit: ipsumque vehementer orauit: *Vt omni ope,*

Velasco mittitur à Spinula supplementum.

atque industriâ conaretur ab aluei transitu Hostem arcere. Maiores etiam Copias se transmissurum, adiecit, *si postularet. Imò ipsum se cum maximo quem cogere posset Militum numero, si opus esset, adfuturum auxilio, & pro communi re militaturum. Eâ gratiâ, quò illi vicinior foret, atque ad eius accitum promptior, Oldemburgum se migrasse cum centurijs decem. Interea dum illic moraretur, eum se locum ad defensionem instruere.* 1604.

Oppidum est Oldemburgum in viâ situm, quæ Brugis Ostendam fert: euntibusque tam in Albertinam Stationem, quàm in Bredenensem necessariò peruium. Exiguum inibi munimentum erectum Spinula validiùs muniuit: & magnum aggerem, Exercitûsque capacem ante ipsum duxit. Quippe si Brugensi via moturus esset Castra Mauritius, ad inferendum Ostendanis subsidium: illic eum opperiri statuerat; ac transitu quantum posset, prohibere. At Velascus, eo supplemento Militum roboratus, Iustiniano mandauit, ut cum suis ad scissuræ vadum pergeret, atque ab eo traijciendo Fœderatum Militem distineret. Ad exequenda iussa promptus ille iam erat: cùm superueniens idem Velascus imperauit Instructori Centurionis Melgaræ, ut adiuncto sibi socio alueum transmitteret; exploratoque, quid Hostis agitaret, ad sese statim referret. Paruit is, & Mauritianis excubijs penetratis, cuncta perlustrauit; compertisque Hostis consilijs, Velasco renunciauit: eum cum ingentibus Copijs, tormentisque Slusam contendere. Tùm Aloysius Iustinianum iussit, maiore Militum numero subsequente, per alteram ripam aluei progredi: Equitatum verò per alteram; ut demum ad scissuram conuenirent. Pompeius morem gerens, vix quartam leucæ partem processerat: cum hostilium Equitum turmam venientem obuiàm videt: qui tamen ubi Catholicorum agmen obseruarunt, maiore, quàm venerant, celeritate retrocedunt. Tantumdem verò progresso Iustiniano, Velascus adfuit, dixitque: *Vadum transisse iam Hostem, ac locum occupasse. Industriam suam omnem in irritum recidisse. Iam sibi consilium esse, Oldemburgum contendere, ubi tùm Spinula moraretur: nè fortè præcurrens Mauritius, intercluderet iter, impediretque quominus arma coniungerent: ut ab Archiduce imperatum. Præiturum se, ut primi Ordines se in viam darent. Cum extremis ipse subsequeretur: caueretque, nè Hostis nouissimum agmen carperet. Accursurum se subsidio, si foret opus. Pontem ubi transmisisset, interrumpendum curaret, & Brugas deducenda nauigia.* Peregit Iustinianus omnia; secutusque est Aloysium, qui eodem die peruènit Oldemburgum, & cum Spinulâ Copias sociauit.

Mauritius Slusam inuadere cogitat.

Dar'allacc. lib.

Velascus Copias cum Spinula coniungit.

His

1604. Pōpeius Iustinian. l. 3. Camer. lib. 15.

His ita gestis; nonnullorum opinio fuit, elabi sibi de manibus siuisse Catholicos præclaram lædendi grauiter Hostis occasionem. Namque dum is alueum traijcere aggressus esset, maris æstus redundauit: ideoque pontem struere coactus est, quo reliquus Exercitus traduceretur. Verùm hic, ut festinato, ac tumultuario factus opere, statim sub pondere tantæ multitudinis perfractus est. Quare ad eum reficiendum tres necesse fuit horas insumere. Quo interuallo cùm pars altera hostilium Copiarum totâ amplitudine aluei seiuncta esset ab alterâ; si tùm eam Velascus cum suis fuisset adortus, facilè illam fundere, ac profligare potuisset. Sed multa in bellis accidunt, quæ uti prænosci, ita disponi rectè non possunt. Ac tùm præsertim patuit, quanti momenti sint Exploratores, qui res Hostium & solerter indagent, & maturè renuncient. Albertus de improspero successu rerum suarum, transituque Mauritij certior factus, Velascum ad se Gandauum reuocauit: & utramque prouinciam tam Ostendanæ obsidionis continuandæ, quàm Fœderatorum Exercitûs coërcendi Spinulæ unius curæ, ac diligentiæ commendauit: eumque per literas monuit, ut in omni administratione deliberationes eas caperet, quas è regiâ, ac suâ re magis esse iudicaret. — Vincendi occasio elapsa Catholicis.

Mauritius ponte restituto, reliquas Copias transduxit: & Diuæ Annæ receptum aggressus, quem quadraginta Milites ab Iustiniano relicti tuebantur, nullo negotio tenuit. Biduum ibi transegit, donec impedimenta omnia transueherentur. Georgianam exinde Arcem oppugnaturus, quia maioris id opus molis cognoscebat; haud procul illinc Castra posuit, ac muniuit inter captum receptaculum, alueumque; opportunitate aggeris usus, qui Slusam indidem ducit. Dum hìc ageret Mauritius, eiusque naues per portum Slusensem receptui proximum ultro, citroque commearent, nequicquam fulminantibus undique hostilibus tormentis; bellicum euocauit concilium, consuluitque: Vtrum aggredi opus præstaret: vicinam nè Slusam obsidione cingere, atque expugnandam curare; an Castra Hostium ad Ostendam inuadere, ac tam diuturnâ illam obsidione, si daretur, liberare? Multæ, magnæque difficultates in hac posteriore expeditione superandæ: contrà verò Slusæ vicinitas, atque aditus ad eam penè cuncti tot captis propugnaculis patefacti; & Oppidi huius non minor, quàm illius, ad Flandrici maris oram infestandam, opportunitas, persuasere demum Fœderatis, ut Slusensem obsidionem præhaberent. Quamobrem ad eam instituendam se accinxere: ac primùm Georgianæ Arci expugnandæ insistendum putarunt; quòd ea nauigijs alueum intrantibus ma- — Bellica Mauritij consultatio. — Slusæ obsidio decernitur.

magnum bombardis afferre poterat detrimentum. Præerat ibi cum Præsidiarijs centum ac triginta, seu quinquaginta Corduanus. Qui deditionem postulantibus principio magnanimè denegarunt. At ubi tormenta ad quatiendum expediri viderunt; eisdem, quibus Isendica, conditionibus in Hostium venere potestatem. Quæ properata deditio non impune fuit Corduano: sed Præsidiarijs Blancobergam commigrantibus, captus est, & morte damnatus. Ingresso Arcem cum suis Mauritio, eiusque partem omnem, ac munitionem perlustranti renunciat Militum unus, se fortè nitrati pulueris apothecam intrantem, deprehendisse in eâ succensum fomitem ita dispositum, ut parum abesset, quin puluerem ignis comprehenderet, atque ingentem extemplo Militum stragem daret. Se verò subducto fomite remouisse periculum. Ad eum nuncium commoti vehementer omnes, qui Mauritium circumstabant, ac detestantes indignitatem rei, clamare, adoriendos illico tanti facinoris auctores Præsidiarios, atque ad unum trucidandos. At Mauritius, cui non constabat, dolosâ magis operâ, quàm fortuito casu id euenisse: atque ut dolo malo factum fuisset; æquum non videbatur unius, aut alterius fortasse noxam omnibus imputare, ac luendam imponere; datamque in paciscendo fidem violare: incitatos Sociorum animos auctoritate sedauit: neque ullam pro tam incerto crimine sumpsit pœnam. Indè se totum contulit ad obsidionem adornandam, & Castra munienda.

1604. Gaspar Ens. Thuanus. Haraus. Carnerus.

Arx Georgiana capitur à Fœderatis.

In ea periculum incendij.

Interea Marchio non minùs de Slusæ defensione, quàm de Ostendæ victoriâ sollicitus erat: quandoquidem sibi utrumque onus impositum ab Archiduce videbat; atque ab utroque vehementer exigi sedulitatem, ac prudentiam suam. Itaque non ignarus, à multis clariùs, certiùsque, quàm ab uno dijudicari, quid optimum factu foret; bellicum Senatum coëgit. In eo paucis exposito præsenti rerum statu, rogatæ singulorum sententiæ mirum in modum variabant. Erant, qui *persistendum Oldemburgi*, censerent, *Oppido tamen undique probè munito: atque inde velut è speculâ, quò se conuerteret Hostis, obseruandum; & quò vocaret necessitas, accurrendum. Idipsum alij præstandum* existimabant *Blancoberga: cùm præsertim illac iter Hosti futurum appareret, Ostendam inferenti subsidium*. Opportunius alijs videbatur *Castra mouere ad Annæ receptaculum: atque ibi tergo Exercitus Damo, Brugisque; fronte verò in Hostem conuersâ, munitisque Stationibus, eum diutius tenere suspensum, ancipitemque consilij: si autem is inde recederet, nouissimum agmen carpere, & quàm maximo licèret, afficere detrimento. Sin verò ad hoc audendum non satis essent Copiæ, quas* pra-

Spinula Cōcilium bellicum consulit.

Variantes in eo sententiæ.

1604. *praestò haberent; eas omnes euocari posse, quae Bredenensem seruabant Stationem. Cùm enim Buquoij aggerem ulterius non producere decretum foret: cùmque Hostis prohiberi non posset mari ferre subsidium; frustra ibi Militem detineri.*

HAC sententiarum varietate nequaquam confusus Marchio animi perplexitate nutauit: sed potiùs quam optimam duceret, eligendi, aut commodiorem aliam insinuandi datam sibi occasionem amplexus est. Igitur singulis sententijs, dum dicerentur, ponderatis; eam primò reiecit, quae ad hostilem Exercitum propiùs accedendum suadebat. *Quippe ad aciem audendam contra tantum Exercitum*, ostendebat, *idoneas sibi Copias non suppetere. Sed neque recedentem Hostem graue posse damnum accipere: neque prohiberi obsidione Slusensi. Omnes quippe ad Oppidum aditus ab eodem iam occupatos: atque unius diei spatio posse ab Exercitu communiri, defendique à paucis. Quinetiam cùm alueum idem haberet in potestate, ac propterea liberum commeatibus iter; ubi Castra Catholica videret ferè uniuersa contra se collocata; facilè Copiarum partem Ostendam eum immissurum, ut paucos Obsessores in Stationibus relictos opprimeret: idque multò facilius factu fore, si Obsessi quòque ijs adiungerentur. Neque Oldemburgi consistere, ac se munire videri opportunum. Vereri namque se non frustra, nè Mauritius opem laturus Ostendae, Blancobergâ iter faceret, eamque priùs occuparet, quàm ipse ad eam propugnandam accederet: cùm illi & breuior eò pateret, & expedita obstaculis omnibus via. Denique Blancobergam ipsam cum omnibus Copijs insidere, se parum utile arbitrari, quòd longius Ostendâ distineretur.* Ob haec momenta rationum alijs reiectis consilijs; Triuultium Comitem cum Equitatûs parte, & Peditibus mille Blancobergam destinauit: eumdemque iussit Oppidum munire, & Equitibus circumductis Hostis deliberationes explorare. Ipse autem cum reliquis Copijs ad Bredenensem se retulit Stationem: inde facilè accursurus auxilio, siue Blancobergam, siue Oldemburgum Foederati aggrederentur.

Quae refelluntur à Spinula.

IBI moranti Spinulae redditae sunt à Slusensi Praefecto literae, quibus nunciabat: *Mauritium Classe in alueum inductâ, pontem supra illum moliri, ad Catsandam Insulam ferentem: sub Arce Georgianâ extruere aggerem: ad Dami scissuram, ad Diui Iobi, aliaque propugnacula Stationes communire: adeòque videri Slusam circumsidere, & claudere undique decreuisse.* Quare ad eam defendendam opportunas suppetias Militum postulabat. Misit extemplo Marchio lectos Pedites trecentos; qui per obtectam paludibus viam incolumes ad Oppidum peruenerunt.

Cortadurâ.

Slusam Subsidium mittitur.

ARCHIDVX interea Brugas concesserat, Vrbem medio ferè

ſpatio poſitam Oſtendam inter, & Sluſam: ut nempe magis ex propinquo conſuleret utriuſque opportunitati. Et quamquam optimè intelligebat, haud ſibi tantum ſuppetere Copiarum, ut ad alteram obſidionem prorogandam, ad alteram ſummouendam ſatis eſſet: omni tamen ope contendit, quàm maximum potuit Militum numerum ad utrumque finem conflare. Cùmque ad eum Marchio veniſſet, quò rerum geſtarum faceret certiorem; eidem iuſſit, ut alias centurias decem Sluſenſi Præfecto, illas enixè poſtulanti, tranſmitteret. Eas miſit illico Spinula, Iuſtiniano Ductore: cui etiam denas addidit ad iter explorandum, cum quingentis Equitibus. Profectus is per eaſdem paludes tutò ad Oppidum perduxit omnes: mille in illud Milites intromiſit; cum cæteris reuertit ad Caſtra. Magno quòque opere commendauit Albertus Marchioni: *Cunctis ut viribus conniteretur ad Oſtendam celeriter expugnandam: curæ ſibi interim fore, ut Geldriâ, & Syluâ-Ducis Præſidia deducerentur: collectus è prouinciâ Equitatus commigraret: Ruramundæ collocati qui ſeceſſionem fecerant, maximo numero conuenirent: conducti ex Leodicenſi Agro ab Iacobo Franciſcio Pedites mille quingenti ſe cæteris adiungerent: undique omnes Sluſam ingenti ſubſidio roborarent.* 1604

His ita conſtitutis, ad Oſtendana Caſtra Spinula redijt, & obſidionem feliciùs aliquantò progredi deprehendit. Iam enim Hiſpani munimentum tenebant, cui ab Erinaceo nomen. Validiſſimum id erat, & quà terrâ farciebatur, altiſſimum; aggere præterea ſatis amplo, editoque protectum: quin & Hoſtium ictibus, & marinis æſtibus, ut quod maximè obiectum. Quæ cauſa extitit, ut (quemadmodum antea diximus) ſeriùs fuerit occupatum. Tandem verò duobus ſubter effoſſis cuniculis, ſuccenſique pulueris impetu eiuſdem Defenſoribus diſſipatis, eo potita eſt Hiſpana virtus, atque conſtantia quinto Calendas Iunias. Præter multos extinctos captus Centurio, eiuſque Locumtenens: & via tecta Obſeſſoribus facta obnoxia.

Ad Oſtendam Hiſpani propugnaculo Erinacei potiuntur.

Porcoſpino.

His feliciter geſtis ab Hiſpanis, iuſſit eos Marchio foſſam traijcere Helmontis propugnaculo omnium maximo circumductam. Idem imperauit Italis, & Vallonibus: qui foſſas antea tranare nequiuerant, propterea quòd Erinacei munimentum eis auerſum erat, unde tormentis peti eorum terga potuiſſent. Illo verò iam à Catholicis occupato; trans foſſam progreſſi Vallones, ſub propugnaculo ſibi deſignato, quod Templo proximum erat, cuniculum ſuffoderunt. Qui ubi flammam in pyrio puluere concepit, impoſitumque murum ſuccutiendo diſiecit; idoneum ad oppugnationem hiatum aperuit. Irruperunt illico *Breccia.*

Val-

1604. Vallones; sed ubi propugnaculum ascenderunt, medium offendère nouo receptu obstructum. Itaque in parte, quam ceperant, insistentes, receptui propiores fieri, effosâ se tuentes humo, eumque bombardis quatere aggressi sunt. At inter hæc Ostendani nouâ munitione perfectâ clam Obsessoribus, decem ei tormenta imposuere, & contra maius planæ formæ munimentum directa, tanto in id impetu displodere cœperunt, ut suas inde subducere bombardas cogerentur Obsessores: quamquam eas postmodum reposuere.

Munimentũ aliud pené capiunt Itali, & Vallones.

Piattaforma.

Dvm ad Ostendam obsidionem promouent Catholici; non otiantur ad Slusam Fœderati: quasi par pari referrent, ac damnis damna rependerent. Iam propugnaculis ferè omnibus circumiectis potitus Mauritius; cunctos ad Oppidum aditus, quibus inferri subsidium poterat, intercludere instituit. Non paruæ id molis, ac laboris fuit: quando leucas quatuor, & ampliùs in ambitum oportuit occupare. Sed paludes tamen, & aluei aquarum in eo situ frequentes interpositu suo multum operis, atque impendij minuerunt. Hunc igitur apparatum prospectans Slusensis Gubernator, Oppidoque vehementer metuens; nullam sibi tantam immitti Militum copiam videbat, quin maiorem adhuc, & maiorem in dies postularet. Quippe necessitas modum in exigendo, pudorem in petendo non habet. Quare rursus per literas Archiducem obtestatur: ut alios mille minimùm Pedites Slusam adduci iubeat, unàque bellicum apparatum conuehi, atque instrumenta Fossorum: cùm sibi sit opus multa munimenta exstruere suburbana; neque suppetat satis, quo perficiat. Imperauit hoc quòque subsidium Spinulæ Albertus, Spinula Iustiniano. Is Equitibus mille, totidemque Peditibus ad explorandum iter acceptis; mille alios Milites deduxit, quorum quisque sacculum nitrati pulueris, & ligonem, & palam gestabat: eamdemque, quam antea non semel, instititit viam. Obuias in eâ turmas aliquot Hostium habuit, exploratum præmissas: sed quia quadrato, & rite disposito agmine incedebat, illæ ab eo lacessendo abstinuerunt.

Iustinianus lib. 3. Carner. lib. 15. Bentiu. l. 7. Thuanus l. 130.

Mauritius Slusam obsidens aditus omnes occupat.

Guastatori.

Nouum eò subsidium mittitur.

Andar' in ordinanza.

His auctus subsidijs Gubernator Serranus, propè certam accepit securitatem Oppidi oppugnatione minimè capiendi. Namque & situ validissimum erat, & satis munitum, & supra quater mille Militibus instructum. Verùm post paucos dies animaduertit, crescente numero Defensorum copiam decreuisse alimentorum: eaque vix in Iunium mensem totum suppeditare. Iterum ergo scribit ad Archiducem: commeatus ut submittantur, summis precibus rogat; simulque bellicum instrumentum,

cuius nempe vis ingens absumatur in dies. Vtrique necessitati maturatè subueniendum curauit Albertus: Præfectoque rescripsit: ut post biduum, quo tempore maris æstus reciprocaret, duo Peditum millia, & triremium Remiges, & quicquid in Oppido degeret imbellis turbæ, mitteret ad locum alueo imminentem, qui vulgò Teruerda dicebatur. Ibi eos, quæ poscerent, inuenturos. Tum bis mille sacculos pyrio puluere, totidemque farinâ oppleri iussit: ad quos comportandos duo Peditum millia, Equitesque mille quingentos à Spinulâ postulauit. Is eum numerum extemplo transmisit eiusdem ductu Iustiniani. Cui Archidux imperauit, ut cum eis Copijs farinam, & puluerem perferendum ad Teruerdam curaret: ibique res eas expectantibus Slusæ Militibus distribueret: imbellem verò multitudinem, quam ibidem reperiret, omnem Brugas perduceret: nè Slusæ inutiliter morando, alimenta consumeret eiusdem Defensoribus destinata. 1604.

Iustiniani solertia in subsidio ferendo.

In viam statim se dedit Iustinianus, sacculis supra carros impositis: nè Militum manus ijs impedirentur, si fortè dimicandi se in itinere offerret occasio. Cùmque deuenisset ad pontem, ubi Velascus inijt cum Hoste certamen, paulò antè memoratum, misit Ardenburgum, qui cognoscerent, an ibi consueto maius Præsidium esset. Cùmque hi non esse renunciassent: Equitatum ibi reliquit, præfecto Guillelmo Verdugo; Peditesque trecentos, quos Ioanni Antonio Rellæ Legionis suæ Centurioni commisit: eumque subesse voluit Verdugo. Huic verò iussit: *Vt cum eis Copijs ibidem consisteret, atque accuratè, quid Hostis ageret, obseruaret. Quòd si eum videret cum turmis, quibus ipse posset obsistere, contra se venientem; locum illum constanter ad suum usque reditum tueretur: sin eumdem longè superiorem viribus, instructumque bombardis animaduerteret; omisso certamine, Damum versùs se reciperet, flumen cum Equitatu trayceret, atque in alterâ ripâ ad pontem, qui Ardenburgo ducit Brugas, sese præstolaretur. Id namque itineris facere in regressu se cogitare. Quodcumque consilium caperet, id sibi maturè per certum hominem aperiret, & accurrendo promptum, & cuncta renunciandi callidum.*

Eiusdem prudentis monita.

Non censuit Iustinianus Equitatum omnem secum deducendum. Quippe si discrimini expositus profligaretur; ingens profectò acceptura erant Castra Catholica detrimentum, quibus paulò plùs Equitum superesset. Neque via inter eum pontem, ac Teruerdam interiecta erat admodum commoda Equitatui. Valde autem credibile videbatur, Mauritium Castris ab omni parte adeo communitis, ut vel leui Præsidio defendi possent; ubi de aduentu Iustiniani cognouisset, cum duplò maiore Militum numero aduersùs eum iturum ad ipsius Copias delendas.

1604. lendas. Harum verò numerum nequaquam incompertum eidem fore: ſiquidem eis permeandus agger erat in conſpectu hoſtilium Excubiarum. Maluit ergo in diſcrimen venire cum Peditibus mille ac ſeptingentis, & Equitibus Sclopetarijs, ad cuſtodiam corporis Archiducis, ſupremique Exercitûs Commiſſarij deſtinatis; quàm uniuerſa, quæ deducebat, agmina periculis obiectare. Quòd ſi cum viribus longè maioribus aduentare Hoſtem comperiſſet; aliam, quam optimè nouerat, inſiſtens viam, eum vitaſſet.

Vbi Teruerdam Iuſtinianus aduènit; Sluſenſem multitudinem minimè reperit. At in aluei vado, quod tranſmiſſurus erat, duas deprehendit Hoſtium naues, æſtu recedente, in ſicco deſtitutas. Extemplo Sluſam miſit, qui venturos urgerent. Dumque Milites expedit, ut naues illas aggrediantur; ecce à Verdugo Nuncius, qui docet Hoſtem cum pluribus Equitum turmis aduentare. Nec multò pòſt alius refert, Peditatum quòque deduci, & carros, ut credere erat, tormentis onuſtos. Hoc audito Iuſtinianus, Sluſenſibus monitis, ut venire ſuperſederent; celeritate maximâ retroceſſit ad pontem, ut eum antè quàm Hoſtis, teneret. Verdugus interea tantam Hoſtium multitudinem conſpicatus; ex præſcripto Iuſtiniani, ſe cum Equitatu recepit. At Peditum Ductor, vel audaci conſilio, vel potiùs neceſſitate adactus ad pugnam, quòd recedendi ſpatium non haberet, manum cum Hoſte conſeruit; & aliquandiu fortiter dimicando virtutis ſuæ clarum ſpecimen dedit: ſed mox tantò ſuperiore numero obrutus, oppreſſusque, cum quinquaginta ſuorum in poteſtatem Hoſtium venit, alijs quinquaginta peremptis, cæteris per paludes Damum uſque dilapſis.

Pedites aliquot Catholici a Fœderatis victi.

Praemiserat ad pontem Iuſtinianus, qui ſe mox adfuturum nunciarent: ſed ab ijſdem extemplo regreſſis accepit, multa conſpecta Hoſtium ſigna, multas Equitum turmas, & frequentem Peditatum contra ſe contento curſu ingruentem. Vbi Iuſtinianus id comperit, rectè opinatus, in tutum ſe recepiſſe Verdugum; ipſe quòque cum Copijs retroceſſit; iuſſitque Bleileueno ſupremo Instructori: *Ut primum agmen duceret ad exiguum pontem Liuiæ fluminis, Damo Gandauum decurrentis, eumque occuparet. Quòd ſi reliquum Exercitum conſiſtere, & confligere audiret; non tamen ipſe à ſuſcepto curſu deſiſteret. Neque iuſſis parêret ſuo nomine perlatis, niſi ab altero perferrentur è duobus Equitibus, quos prope ſe habebat*. Eidem peritos præbuit viæ duces. Poſt eum Germanos, qui medium tenebant agmen, immiſit, iiſque carros adiunxit. Ipſe demum cum Hiſpanis, atque Italis nouiſſimum cepit locum.

Iuſtiniani prudentia in receptu.

Vanguardia. Far'alto. Battaglia. Retroguardia.

cum. Hoc ordine recedens, habuit in conspectu repentè hostilem Equitatum sese gradario, atque effuso cursu consectantem: simulque ad læuam tympanorum audiuit sonitum alijs Militibus præeuntium. Erant hi Pedites mille Ardenburgo profecti, quibus pridie Mauritius (uti postea cognitum) de misso Subsidio certior ab Exploratoribus factus, imperauerat, ut cùm primùm viderent hostiles Copias Teruerdâ recedere, prodirent, ac Middelburgensem viam insistentes, eis ad pontem occurrerent. Se namque alio itinere eòdem aduersùs illas irrupturum. Existimauerat quippe illac eas regressuras, ubi ipsum viderent Slusensi viâ venientem. 1604. Di galoppo.

IVSTINIANVS Hostium Equitatu conspecto, qui nouissimum agmen carpebat, non abrupit susceptum iter: sed iussit ut Sclopetarij Angelo Melgaræ subiecti, & Mosquetariorum Cohors, cui præerant Centuriones Franciscus Rodericius Hispanus, & Pantaleo Spinula, ambo Legionis suæ, fronte in Hostem conuersâ, simul ei dimicando obsisterent, simul se paulatim reciperent. Et scitè quidem usus est in rem suam locorum situ. Cùm enim via esset angusta, atque eius utramque partem, quà paludes concluderent, quà syluæ; non nisi pauci premi ab insequentibus poterant: neque spatium dabatur Equitibus in latera inuehendi. Mauritij quòque consilium non erat, ut Equitatus confligeret: sed ut velitando Catholicos moraretur, usque dum ipse perueniret ad pontem. Verùm eò maturiùs accessit Bleileuenus, & mox cum reliquis Copijs Iustinianus. Qui vix locum tenuerant, cùm ex alterâ parte Mauritium, eiusque Peditatum conspicantur: ex alterâ eos, qui mouerant Ardenburgo. Quamobrem Iustinianus extemplo iussit Italos, Hispanosque in Hostem arma conuertere: simulque Bleileueno mandauit, ut cum primis Ordinibus pontem transgressus Damum versùs procederet: & Mosquetariorum Cohortem collocaret ad quasdam lignorum strues, quas in ripâ fluminis Coloni erexerant, aliò cymbis transuehendas. Quippe cum ponè stantes Milites pectore tenus obtegerentur; poterant inde tutò mosquetis Hostem petere in aperto degentem. Scaramucciare. Eiusdem cum Hoste velitatio.

VBI Mauritius vidit Catholicos pontem diligentiùs occupasse, iamque in aciem eos dispositos: sui verò Exercitûs primos Ordines incompositos, ob acceleratum iter ad Hostem præuertendum, atque ob angustam viam quadrati agminis minimè patientem: qui verò Ardenburgo venerant, eisdem de causis minùs ad prælium ineundum idoneos: consultius duxit tunc abstinere conflictu, & reliquas Copias opperiri. Quam temporis opportunitatem Squadronati. Vdguardis. Sbandati. In fila.

1604 tem amplexus Iustinianus, Milites trans pontem duxit, cuius angustiæ singulos tantum capiebant. Sclopetarios igitur, & Mosquetarios transgressos iussit pòst memoratas strues consistere, atque illinc Hostem ferire: Hastatos verò vado transire fluuium, cuius aquæ pertingebant ad pectus. Mauritius Hostem impunè recedere animaduertens, ac dolens, tunc demum eum premere aggressus est, cùm Hastatorum postremus Ordo flumen intrabat. Quare ad eumdem lædendum seriùs, quàm par erat, arma se mouisse intellexit. Tùm verò plures ille vias ad eum finem, sed paruo cum profectu tentauit. Alios namque trans fluuium properare iussit: alios è citeriore ripâ mosquetis Catholicos petere: duo quòque tormenta tùm primùm eò peruecta in eosdem displodi: Equitatum verò propter fluuium gradario cursu pergere Damum versùs, ut iter Hosti intercideret, receptumque præcluderet. At Iustinianus ad illas lignorum strues Lucium Marchionem Pallauicinum, supremum suæ Legionis Instructorem reliquit cum Cohorte alterâ è Sclopetarijs, è Mosquetarijs alterâ; mandauitque ut Mauritianos moraretur, locumque defenderet, donec ipse quadringentis passibus processisset: tùm verò se quòque reciperet. Fœderatorum Milites flumen traijcere contenderunt; sed frustra, continenter eos infestante Pallauicino. Equites verò ad intercludendum iter præmissi, ubi Damo erumpentes Copias viderunt Catholicorum auxilio, substiterunt: adeòque spatium habuit Iustinianus in tutum perducendi suos: quamuis eum insectari non desineret ex alterâ ripâ triginta passus distante Mauritius, perpetuò velitando ad conspectum usque Dami; unde tormentis petitus, tandem abstitit. In hoc recessu Catholicorum ferme quadraginta quà cæsi, quà saucij: Fœderatorum longè plures, magnâ illatâ pernicie à Mosquetarijs lignorum ope protectis. Carri duo sic paludibus inhæserunt, ut extrahi nequierint; equis tamen abductis, & farinâ in aquas dispersâ, nè Hostibus usui foret.

Piccbe.

Mauritij iactura maior, quàm Iustiniani.

VIX Damum Iustinianus peruenerat, cùm ab Archiduce iussus est Brugas ipsum adire. Vbi venit in conspectum, voluit Albertus omnia, quæ nuperrimè gesta fuerant, ab eo singillatim edoceri. Quod ut planiùs, ac diligentiùs fieret, acceptâ Geographicâ tabulâ, in quâ erat eius regionis adumbrata descriptio; super eâ quærere cœpit: quæ loca, dum se reciperet, peragrasset: quibus-ve de causis aliam potiùs, quàm aliam inijsset viam. Rogauit præterea, cur Equitatum, ac Pedites trecentos reliquisset ad pontem: cur mandata cætera dedisset. Quorum ille omnium cùm rationem sapienter, ac plenè reddidisset; ob rem bene-

Archidux à Iustiniano cognoscit, quæ gesta erant.

ge-

gestam, laudibus, gratijsque cumulatus ab Archiduce fuit. 1604.

Postridie conuenire coram se iussit Albertus Buquoij Comitem, & Gastonem Spinulam Comitem Bruay, ipsúmque Iustinianum: eàdemque propositâ regionis descriptione; sciscitatus ex eis est: *An opportunum censerent, ad pontem ubi relictus fuerat Verdugus, aliquod excitare munimentum, ut immittendis Slusam subsidijs aditus ille pateret*. Commendarunt eiusmodi consilium primi duo, adijcientes: *Communiturum sibi Hostem eum locum, ni prior ipse muniret*. At Iustinianus, qui toties deducendo Slusam Militem, accuratè loca omnia circumspectarat: *Eum, de quo agebatur, haud magni esse momenti*, affirmauit, *vel ad Catholicorum, vel ad Hostium utilitatem. Quippe ad inferendum per aquosa loca subsidium, alios multos aditus patere; eumque præsertim, quem ipsemet inierat in regressu. Teruerdam potiùs videri sibi occupandam, ac muniendam antequam ipsâ Fœderati potirentur. Idque eos moliri, satis apertè significasse bellica illa duo nauigia iuxta eum locum ab se reperta*. Quæ cuncta in eâdem tabulâ Chorographicâ clarè, distinctèque monstrabat.

Consilium ab eo datum Archiduci.

His probè perspectis, Archidux Iustinianum ad Ostendana Castra remisit, uti Spinulæ muniendam Teruerdam suo nomine demandaret. Cùmque ad id operis senis Peditùm millibus opus esse Marchio cognouisset; iussit Balthassarem Lopezium, Castrorum Præfecti Locum-tenentem, omnium qui erant in Castris numerum supputare, atque ad se referre. Quo facto, exploratum habuit, eas abduci Copias non posse, quin obsidio solueretur. Quare statim ad Archiducem conuolauit: eique ita præsentem rerum statum ob oculos posuit; ut ille omnino statueret, de Exercitu obsessore nihil detrahere: sed eos, qui iam, ut diximus, cogebantur, Milites expectare.

Postquam se retulit ad Castra Marchio; Ostendani, qui Vallones viderant iam ad receptum fossionibus progressos; & parata simul ad quatiendum tormenta: iaculari continenter in Hostem aggressi sunt ferreos globos, pyrobolos, & saxa. Neque his contenti, spargere frequenter incendia in obliquos aggeres, quibus tecti Obsessores ad fossam accedebant. Hi cum è lucanicis, ac fascibus ramalium, maximis æstiuis caloribus, compacti fuissent, penitùs ab Sole arefacti, ignem subitò concipiebant. Vallonum in primis agger incensus, tam latè flammam effudit, ut quidquid in fodiendo elaboratum fuerat usque ad fossæ aquam, breuissimo tempore disperierit. Illas quòque machinas, quibus tormenta fulciuntur, incendium ita comprehendit, ut magnam earum partem absumpserit. Nón parum ea res negotij Spinulæ facessiuit,

Ostendanorũ conatus.

Bombe.
Approcci.
Salsiccie.
Fascine.

Obsidentiũ damna ab Hostiũ ignibus.

qui

1604. qui periculi sui contemptor, ut communi subueniret, eò statim accurrit; constanterque adsistens, nè malum serperet latiùs, impediuit. Biduo pòst iactatus ab Ostendanis ignis corripuit aggerem Italorum: Verùm Iustinianus, cui per eam hebdomadam commendata illius custodia erat; Vallonum periculo, damnoque factus cautior, eum statim excuti, ac summoueri iussit à suis: & felici quidem euentu; nisi quòd in eo discrimine quindecim è gregarijs extincti, & ipse ictu mosqueti in pede saucius, ad curationem se inde recipere necesse habuit.

Rifare l'approccio. *Alloggiare nel posto.* *Assalto.* *Far mine.* *Dar loro fuoco.* *Al primo assalto.* VALLONVM aggerem denuo excitari Marchio iussit: quo perfecto, eumdem, quem antea, locum ipsi tenuerunt. Itali verò, atque Hispani, fossâ traiectâ, in propugnacula sibi designata oppugnationem adornarunt. Acti interea cuniculi ad eadem fuerant: primusque succensus Italorum, eos ad oppugnandum, Brancatio ducente incitauit. Primo statim impetu propugnaculum captum, insessumque. Nec minore vel virtute, vel gloriâ suum Hispani paulò pòst occuparunt, altero cun culorum incenso. Erant hæc propugnacula receptibus intercisa: ut qui eis iam se totis expugnatis potitos rebantur; ubi conscenderant, vix dimidium se laboris exantlasse cognoscerent. Quippe receptus suâ erant fossâ muniti, suis ad latera cornibus contra impetum tormentorum protecti, ligneis etiam receptibus obsepti ad mosquetorum ictus retardandos. Ita prioribus, patentibusque munimentis captis, noua intra ea repentè consurgere munimenta videbantur, non sinè ingenti Oppugnantium tædio, ac desperatione: quasi labor ex labore nasceretur, ac belli moles incumberet infinita. Non eâ tamen inuictus Marchionis animus vel fractus, vel delassatus. Imò crescente per oppositas difficultates studio rem ad exitum aliquando perducendi, nullam omittebat industriam, nihil discriminis refugiebat. Nunc effossis cuniculis terram subducebat Hosti: nunc instructis impressionibus eumdem à propugnaculis, & loricâ murorum deturbabat. Et quamquam non id sinè suorum periculo, iacturâque moliretur, multis ab hostilibus cuniculis absumptis, alijs tormentorum ictu prostratis; non idcirco cessauit ab laboribus, sapienter animaduertens: inter mutuas illas clades gradum à suis maiorem semper accessu promoueri, ab Hoste nouis in dies receptibus reuocari.

Propugnacula capiuntur ab Obsessoribus.

Ritirate.

Ars in eis construendis.

Fiáchi à prona di cannone. *Cofani di tapoloni.*

Spinolæ magnanimitas.

Cauar mine.

Cortina.

IVSTINIANVS postquam à vulnere conualuit, ad aggerem Italorum reuertit, cuius eidem cura rursus incumbebat. Ibi dum cuniculis duobus effodiendis insistit; alium ab Hostibus instrui cognoscit. Misit ergo, qui, quam ageretur in partem, inuesti- *Iustiniani strenuitas.*

garent; ut ei maturè posset obstare. Sed cùm ab ijs in explorandâ re sibi non censeret factum satis; utque oculis magis fideret, quàm auribus; ipse per se voluit eam indagare. Quod dum animosè magis exequitur, quàm cautè; mosqueto repentè ictus in dextero brachio fuit, ac tam grauiter læsus, ut id abscindere, quâ humero coniungitur: oportuerit. Tam paruo habet in pretio salutem suam, qui sui Principis res habet in magno: ut curæ corporis deesse malit, quàm muneri commisso. Vbi tribus propugnaculis, muroque eis interiecto Spinula potitus est; ex eo editiore loco vertens in Oppidum oculos; nouam in eo munitionem instructam conspexit, amplâ fossâ, & aquis abundante custoditam, exteriore fossæ labro, lunatisque munimentis roboratam, adeoque ab omni parte validam, ut peritorum iudicio cum eâ, quæ fuerat occupata, de firmitate contenderet. Mandauit ergo Thomæ Vinguartio, rei tormentariæ Præfecti Vicario, ut in propugnaculis, muroque iam captis quinquaginta bombardas collocaret, ad eam munitionem quatiendam. 1604.

Contrescarpa. Meze lune.

MAVRITIVS quòque interea Slusam obsidione urgebat: iamque Teruerdam, & cuncta circumiacentia loca, per quæ traduci Subsidium poterat, ita suis Copijs intercluserat, ut ultro, citroque commeare sinè difficultate maximâ non licèret. Vix enim per unum, aut alterum Nuncium liberum fuit Serrano Gubernatori de statu rerum Archiducem edocere. Præ cæteris verò significauit, tantâ Oppidum alimentorum penuriâ laborare; ut nisi quarto Idus Augusti submissi commeatus fuissent, deditionem facere cogeretur. Iam è Præsidijs deductæ Copiæ, aliæque utcumque contractæ conuenerant. Soli desiderabantur Milites, qui tumultuati fuerant. Hi quippe clandestinâ se sponsione obstrinxerant Fœderatis, ad certum, & condictum tempus nequaquam se contra eos arma moturos: & quamuis eis Obsides vehementer instarent, aliâ tamen, aliâque excusatione proficisci morabantur, donec præstitutum tempus efflueret. Hoc animaduerso Albertus, qui magnum in morâ periculum prospiciebat; experiri statuit, an sinè illorum auxilio posset periclitanti Slusæ subuenire.

Vide Historici, qui de Ostenda.

Slusæ dedêda periculum.

IGITVR ad consuetum ex aliquo tempore tam consiliorum, quàm necessitatum belli perfugium se conuertit. Acciri è Castris ad se Spinulam iubet: *Slusensis rei angustias repræsentat: alium ab ipso negat esse opportuniorem, qui tam præsenti malo possit occurrere: Regiæ rei, suaque plurimùm ait interesse, ut eam ipse prouinciam capessat: militaris prudentiæ, virtutis, diligentiæ tam præclarum dedisse specimen in Ostendanâ obsidione, quam prope ad finem perduxerit;*

Slusæ defensionem Archidux demandat Spinulæ.

ut

1604. *ut maxima quaque, ac difficillima expeditio eius imponi humeris tutò possit.* Marchio contrà non his in altum prouectus laudibus, quæ vel timidis ingentes animos faciunt, Principum præsertim Virorum ab ore profusæ; neque alterius supremi muneris ambitione in arrogantiam geminandæ gloriæ sublatus: sed utriusque oneris vix uni tolerandâ mole perpensâ; superadditum hoc detrectare conatus est. *Quippe complures non deesse,* dicebat, *in Castris, in Aulâ, in Belgio longè se peritiores rerum bellicarum, atque adeò tanto munere digniores. Satis magnum incubare pondus viribus suis, Ostendanam obsidionem. Quid aliud haud minùs leue superimponere, Slusensem defensionem? Videret etiam atque etiam pro suâ sapientiâ, magnâque rerum peritiâ, Princeps optimus; nè utrumque summum, arduumque negotium uno tempore, unâ operâ, uno administratore complectendo, neutrum ad votum conficeret. Nè suas Copias, quæ sanè non abundarent, in duo simul Oppida diuidendo, alterum hostile è manibus, in quibus iam propemodum erat, elabi sineret: alterum suum in manus Hostium, quorum Exercitu erat ab omni parte conclusum, dimittere cogeretur. Nè denique dum se iuberet Ostendam penè captam destituere, ut Slusæ capi periclitanti subueniret; & Ostendâ non potiretur, & Slusam amitteret.*

Eam Marchio primò recusat.

NIHILO tamen minùs in suâ deliberatione perstitit Archidux: vel quòd ex rebus recentissimè gestis tantam de Marchionis prudentiâ, & felicitate animo ceperat existimationem, ut eum utrique expeditioni prosperè perficiendæ parem judicaret: vel quòd non magis optaret Ostendam consequi, quàm perdere Slusam doleret: uti grauius videtur suorum iacturam facere, quàm gratum alienis potiri: aut etiam de illâ victoriâ propè securus, de hac præsertim esset iacturâ sollicitus; atque à fortunatis euentibus Ostendanis animos sumeret ad bene de Slusensi obsidione sperandum. Igitur instare Spinulæ vehementiùs, ut eam curam omnino susciperet: quam si recusaret, insimulari posset in Aulâ Hispanicâ, per ipsum indefensam, ac proinde amissam fuisse Slusam. Ad hæc Marchio, quamuis cunctis rite perpensis optimè prouideret, in re planè desperatâ irritum fore conatum omnem; improsperique euentûs culpam, non in Principem, qui iuberet, sed in se Administrum, qui exequeretur, reiectum iri: cùm ferè semper in debiliorem partem hoc etiam pondus recumbat: ut suam tamen promptissimam præseferret & Regi, & Archiduci obsequendi voluntatem; *Paratum se esse,* respondit, *ad onus quodcunque, vel cum vita, atque existimationis dispendio subeundum, quod è regiâ, ipsiusque re foret. Vnum illud orare, ut in tam arduo, ancipitique negotio socios sibi non tam laborum, quàm consiliorum*

Deinde inuitus suscipit.

ſiliorum adiungeret peritiſſimos aliquot rerum bellicarum è Belgico Senatu: quibus-cum de capiendis in eâ expeditione deliberationibus rite conſultaret. Sapienter id quidem Marchio: ſiue ut munerum omnium uni ſibi, recentisſimo in bellis, impoſitorum eâ ſocietate declinaret inuidiam: ſiue ut quorum prudentiam in re gerendâ, vel ducem haberet, vel comitem; eorumdem conſilijs adhibitis, re (ut iure metuebat) infeliciter geſtâ, exiſtimationem ſuam tueretur. Itaque Socios expeditionis ei addidit Archidux Buquoij Comitem rei tormentariæ Præfectum, Riuam, Texedam, Gironum Legionum Tribunos, aliosque apud ſe morantes Conſiliarios. 1604.

His ita conſtitutis, ad Oſtendana Caſtra migrauit Spinula: ex quibus quàm licuit maximum Militum numerum contraxit; ijs tantùm ibidem relictis, qui ad occupata loca tutanda ſatis eſſent. Eiſdem verò vehementer iniunxit, ut aggeres nunquam desererent: eorumque Tribunis, ut quidquid tenuerant, retinere conarentur; & ſi quà etiam poſſent, promouerent. Decem verò tormenta ſecum euexit Sluſam versùs, bellicum apparatum, commeatuum copiam, pontes ad fluuiorum traiectum, cæterumque militare inſtrumentum, quo ſibi futurum opus proſpiciebat. Indè luſtrato Brugis uniuerſo, quem deducebat, Exercitu; ſex millia Peditum, Equites bis mille & quingentos numerauit. Cum his ad eum amnem perrexit, quem Iuſtinianus tranſmiſerat, cùm ſeſe ab Hoſte inſequente reciperet: impoſitoque raptim eidem ponte, tranſduxit Militem, & rectà Teruerdam versùs progreſſus eſt. Middelburgum ex itinere nullo negotio cepit, tum quòd parum munitum Oppidum erat, tum quòd inopinatò adortus. Cùm verò per nocturnas tenebras, anguſtamque viam incederent Copiæ, atque idcirco quadratum agmen ſeruare non poſſent: ſubſtitit Marchio, diligenter cuncta diſponens, nè quid nouiſſimum agmen detrimenti pateretur. Quippe non temere metuebat, nè impetum in illud faceret Hoſtis erumpens Ardenburgo, quod non longiùs quartâ leucæ parte diſtabat, & valido tenebatur Præſidio Fœderatorum.

Sluſam Marchio Copias ducit.

Primvm agmen Aluaro Suario Hiſpanorum Tribuno commiſſum, ubi Teruerdam propius acceſſit, in veſtigio ſtetit, expectauitque reliquum Exercitum: quem paulò pòſt eòdem Spinula perduxit; & Caſtra poſuit. Nullâque interiectâ morâ, locum illum omnem perluſtrauit; in quo Mauritius iam erexerat munimentum, & frequenti Pedite, ingentibusque bombardis probè inſtruxerat. Sub illo eâdem nocte Marchio excitari aggerem iuſſit, atque à bis mille Militibus cuſtodiri; quibus præfecit Ferdinan-

Vãguardia. *Far'alto.* *Accãparſi.* *Riconoſcere.* *Forte.* *Pezzi groſſi.* *Aprir trincicra.*

1604. *Fortificare ra posto.* dinandum Gironum Hispanorum Tribunum. Id muneris ut uni ex Instructoribus supremis demandaretur antè, quàm locus firmaretur validiùs; consilium Suarius dederat, nè Tribuni existimatio illic exposita periculum subiret. At ubi Tribunorum alteri, se posthabito, commissum animaduertit (ut inter pares maximè gliscit æmulatio) cogente ambitione mutare sententiam, indignari supra modum omnem: aciem repentè deserere: Archiducem adire. Apud hunc palmarem (ut aiebat) iniuriam acerbè lamentatus, abruptè se Tribunatu abdicauit. Ambitionis impetum, & plus quàm militarem iram iussit Albertus Antuerpiano carcere castigari.

At Spinula postridie quàm Teruerdam peruenerat, primâ luce clariùs internoscens hostilibus munimentis sua Castra nimiùm propinqua, ac proinde tormentis eorumdem obnoxia; submoueri iussit in longinquiorem situm, ubi minùs ab ictibus læderetur. Cùmque Mauritianas undique prospexisset munitiones validè firmatas, & paludosis locis ita vias superductas, ut ad illas inferri subsidia expeditissimè possent; de Slusâ obsidione liberandâ spem propè omnem abiecit. *Slusæ defensio penè desperata.* Mauritius contrà de suâ Castrorum dispositione securus, tantique Hostis accessione ferocior, collocatis in quâcunque parte tormentis, non modò suas diligenter tueri, sed hosticas simul vehementer concutere Stationes, vix unquam intermittentibus ictibus bombardarum. Non parum ab his accepere Castra Catholica detrimenti. Neque poterant hæc inde longiùs amoueri: quandoquidem fuissent pariter à suis aggeribus remotiora; quos si magnis viribus Hostis aggrederetur, accurri subsidio tempestiuè non posset. Sed neque sperandum erat, aggeribus iisdem promotis expugnarum iri priùs tam validè firmata munimenta, quàm deditionem faceret Slusa, ob summam alimentorum penuriam iam ad extremum redacta. Vna itaque spes, unumque consilium Spinulæ superabat: ut cùm primùm adessent, qui seditionem antea fecerant, cum iis, atque Exercitu reliquo ad Diui Philippi propugnaculum iter conuerteret: Catsandam intraret Insulam, quâ parte transiri vado alueus poterat: eâque subsidium importaret Obsessis. Namque à præmissis Exploratoribus cognorat: plura quidem illic Fœderatos habere munimenta, sed Milite haud satis instructa: siue quòd ex eo latere sibi minimùm timerent: seu quia Copias uniuersas in unum aduersùs Castra Catholica redegerant. Verùm noui consilij capiendi inexpectata sese præbuit occasio.

Ex hostilibus Castris Milites aliquot sponte se dediderunt in manus

Noua spes à transfugis, quæ mox euanuit.

manus Catholicorum: quos inter agnoscebantur Itali duo, qui 1604.
cum eis aliàs militauerant. Hi Triuultium Comitem conuenientes, ultro spoponderunt, eum se deducturos iuxta Diuæ Annæ munimentum, quà Hostium aggeres & humiliores erant, & paucis defensi; intraque illos eumdem, eiusque Copias inducturos. Rem ad Spinulam Triuultius detulit: qui cum eo, quid optimum factu foret, sedulò consultauit. Decreuit ad extremum Marchio, ut ipse Triuultius cum duobus Peditum millibus, atque Equitibus mille tentatum iret, quæ se offerebat, fortunam: cùm præsertim in re tam desperatâ nihil non videretur tentandum. Profectus est cum his Copijs, illisque itineris ducibus Triuultius. Verùm ubi ad locum destinatum peruènit (quâcunque id ex causâ contigerit) paratissimum ad aggerum defensionem Hostem reperit: eosque editiores, quàm fuerat renunciatum. Quare sine ullo fructu retrocessit.

Marchio Catsãda Insula potiri studet.

Interea qui tumultuati fuerant, subiunxere se Spinulæ: quod ab eo solum expectabatur, ut Catsandam immigraret. Igitur nocturnis sese intendentibus tenebris, Castra mouit, destitutis aggeribus ad Teruerdam nuper excitatis. Quò tamen ea discessio clam esset Hoste, accensos passim ignes reliquit. Et celeritate quidem summâ procedebat Exercitus ad Diuorum Philippi, & Catharinæ munimenta: sed quia per anni tempus, æstiuum nempe, breuissimæ noctes erant, nocturnæque umbræ parum deducendis agminibus opportunæ; & quas insistebant, viæ difficiles, atque angustæ; non potuit ad aluei traiectum maturè perueníre, hoc est maris æstu reciprocante, cùm vado transitus datur; quemadmodum & spes fuerat, & oportebat. Imò iam aquæ recurrentes intumescebant: & clarior dies clandestina consilia euulgabat. Non idcirco tamen aut mutauit sententiam, aut animum despondit Ambrosius. Quin paucis, sed efficacibus verbis ad institutum iter, atque opus Milites inflammauit: *Ibi plus gloriæ*, ostendens, *ubi plus esset difficultatis: nec defutura laboribus, ac virtuti opum, atque honorum præmia tam ab Archiduce, quàm ab Hispano Rege, se precatore, & cuiusque meritorum narratore.* Tùm oppugnationem contra Diuæ Catharinæ propugnaculum adornauit. Cuius Præsidiarij, suæ imbecillitatis conscij, ad primum tormentorum aspectum deditionem fecerunt. Indè in Catsandam Insulam cum parte maximâ Copiarum mouit: ac primo impetu erectum ab Hoste aggerem cepit. Ad alteram munitionem progresso, quæ aditum Insulæ tuebatur; non antè peruenire licuit, quàm ea hostili Subsidio communiretur.

Occupat propugnaculum Diuæ Catharinæ.

Mavritivs namque factus certior de Spinulæ digressu, atque

que

1604. que instituto ad Diuæ Catharinæ munimentum itinere, consilium eiusdem probè conijciens; ad instruendam Milite Catsandam, præmisit Guillelmum Comitem Nassauium, magnamque manum Gallorum, Anglorum, Frisiorum. Neque his contentus auxilijs, ipsemet eòdem se contulit cum ingentibus Copijs. Tanti esse ducebat, Insulam illam in potestatem Hostium venire. Conatum adhibuit omnem Marchio, ut, quod diximus, munimentum expugnaret. Verùm ubi primam oppugnationem admouit; iam hostile Subsidium introducebatur. Et impetum quidem facere nonnisi à fronte licebat: cùm à tergo auxiliaris Fœderatorum Miles adesset. Biduum tamen ibi Marchio perstitit, ut quid contra Hostem posset experiretur. Acriter à Catholicis pugnatum: haud segniùs repugnatum à Mauritianis. Multum utrinque cladis acceptum, ac datum; multum sanguinis fusum. Verùm ubi Spinula irritum laborem suum, ac suorum animaduertit: iacturamque Militum certam sinè ullâ spe potiundi apertè cognouit: animum inde, atque arma ad Sancti Philippi propugnaculum conuertit. Id nullo negotio in deditionem accepit; ac dediticios cum armis, & duobus vexillis dimisit incolumes. In oppugnatione modò dictâ desiderati sunt è Catholicis quadringenti: atque in ijs Centuriones aliquot, ac præstantes re bellicâ Viri. Præcipuè verò Renteij Marchio, magnâ indole, ac spe Iuuenis, atque ex nobilitate Belgij primariâ. Philippus quòque Taxius tam suâ, quàm suæ Gentis laude conspicuus. Nec pauciores numero saucij: quos inter Inicus Borgia Hispanorum Tribunus, mosqueto ictus in utroque brachio. Multi etiam è Fœderatis extincti, multi grauiter vulnerati. Comes ipse Guillelmus in discrimen incurrit: sed à Dortcho Tribuno tempestiuè protectus fuit. Mauritius verò tot bellis exercitatus, tot victorijs nobilis, asseuerasse tunc fertur: nunquam se tantum in Hoste pugnandi ardorem expertum: nusquam contra se tàm fortiter, scitèque bellatum; adeòque vehementer loci iacturam timuisse. Ab eo successu spes prorsus omnis adempta Slusensibus. Cùmque iam nè ad unum quidem diem alimenta suppeterent; necessitate ultimâ compulsi fecere deditionem. In conditionibus fuit, ut cum armis, signis, impedimentis, succensis fomitibus, tympanisque strepentibus, Milites, qui penè quater mille numerabantur, emigrarent. Quod tertio decimo Calendas Septembris peractum est.

Ingens conflictus.

Mors, & vulnera utrinque Virorum insignium.

Renty.

Catholicorũ fortitudo à Mauritio laudata.

Slusa ditur Fœderatis.

Hoc audito Spinula Diuorum Philippi, & Catharinæ munimenta; nè usui forent Hosti, diruit, atque incendit: Damumque cum Exercitu perrexit. Ibi magnam sibi præberi materiem

vidit

Spinulæ Charitas, & benignitas.

vidit Christianam exercendi beneficentiam, & Charitatem. Eòdem namque profecti Milites, qui Mauritio Slusam reliquerant; rebus omnibus, quarum summâ penuriâ laborabant, liberali eius benignitate sunt adiuti. Fames præsertim eos adeò attriuerat, atque extenuarat; ut spirantia cadauera, non homines, viderentur. Atque in ipso Slusâ Damum versùs itinere (quod tamen duarum spatium horarum non superabat) supra sexaginta exanimes cecidere. Alij Dami perierunt in dies, quòd eorum imbecillitas summa nullâ potuit ope sustentari. Tantam quippe alimentorum inopiam Obsessi tolerauerant, quantam unquam fuisse in celebri quâuis obsidione memoriæ proditum sit. Neque ab humanis carnibus eos abhorruisse, inde orta suspicio; quòd obseruatum est, pueros aliquot obsidionis tempore desideratos. 1604.

Slusæ obsessæ fames.

Quanta eius loci iactura.

Magni momenti ad res Hispani Regis, Archiducisque existimata fuit Slusæ iactura: tum quòd portu commoda erat, & positione, manuque validissima: tum etiam quia cum eâ triremes decem penitùs instructæ, ac tormenta quà maiora, quà minora centum amissa sunt. Fœderatis verò ad Flandriæ ingressum Slusa opportunior, quàm ipsamet Ostenda. Lætior tantâ fortunâ Mauritius, gloriatus est: *Trimestri tantùm spatio, nec magnâ sanguinis, pecuniaque iacturâ, alterâ se Ostendâ potitum: cùm alteram Hostis nè triennij quidem spatio, tot millibus animarum impensis, tamque immani auri profusione, cepisset.*

Archiducis de illa sensus.

Ægerrime contrà tulit Archidux amissam Slusam: & statim ab Ostendanâ obsidione se retulit Gandauum; eâ prorsus, ac penitùs Spinulæ imperio, ac moderationi relictâ. Expugnationi, quæ iamiam successura credebatur, non parum officere visa est Slusæ iactura. Quippe nemo sibi persuadere poterat, Mauritianum Exercitum, à victoriâ tam recentem, ac de more secundis rebus ferociorem, nouis quòque Gallorum, Germanorum, Anglorumque supplementis roboratum; non rapidè Ostendam versùs aduolaturum: eoque ardore Catholicos Obsessores valde numero diminutos, tam longâ, & laboriosâ obsidione iam fessos, ac nouissimâ suorum clade fractos, inuasurum. Periculum etiam ab intestino tumultu imminebat; cuius aliqua erat in Equitatu suspicio, non vanis indicijs confirmata. Quique tumultuati pridem fuerant, à Castris Ruræmundam repetere voluerant: concordiam iterum abrumpere, aliaque damna interminati, nisi extemplo, quidquid debebatur stipendij persolueretur. Accedebat postremò, quæ solet expeditionis cuiusque neruos incidere; pecuniæ ingens penuria: cùm quæ transmittebatur ex Hispaniâ, non satis esset magnis impendijs. His adeò causis adducti, qui

Periculum de Ostendana obsidione.

magis

1604. magis bellandi veteres erant, rerumque peritiores, in eam veniebant sententiam, ut obsidio solueretur.

Camerar. Haraeus. At Marchio non ita sentiebat: neque eis, alijs-ve difficultatibus obiectis consternari passus est animum suum. Imò maiorem exinde ardorem, impetumque concipiens; tam vultu serenus, quàm corde intrepidus, ad omnia, quæcunque opus erant, instruenda, atque administranda totus incubabat: & laboriosis diebus peruigiles etiam noctes in militares curas adiungebat. Pecuniam festinanter suis nominibus conquisiuit: & Seditiosis debita stipendia dissoluit. Quamquam hi, nè ab alijs facinoribus suis discreparent, vel eâ, quam postulabant, conditione acceptâ, manere noluerunt in Castris. Adeò qui longiùs aliquando aberrauit, ægrè redigi potest in rectam viam. Bina quòque stipendia Equitibus numerauit: totidemque Peditibus promisit, parte aliquâ in antecessum erogatâ. Nouas Copias ad Ostendana Castra submisit: mandauitque Tribunis, ut ad Oppidum quamprimùm expugnandum, diligentiam, ac vires omnes adhiberent. Equitatûs partem Blancobergam migrare iussit, Ductore Triuultio: cui vehementer iniunxit; ut eum locum probè communiret: ut Hostium consilia indagaret; ut ad se frequens regrederetur, ad renuncianda quæ fierent; deliberanda, quæ forent opus. Reliquum, quem apud se habebat, Exercitum ad Damum persistere voluit, eumque aggeribus, ac munimentis validè circumsepsit: Comitisque Buquoij spectatæ satis prudentiæ bellicæ commendauit. Illud etiam edixit: ut Milites cuncti, præterquam Ostendæ Obsessores, in euentum omnem parati essent: & siquidem Mauritiani Damum, aut Blancobergam inuaderent, utrumque locum constanter defenderent: sin aliam inirent viam, coactis in unum Copijs eos aggrederentur, atque ad pugnam lacesserent. Cùmque aliqui suggererent; optimum factu videri, si ad Mauritium viribus omnibus opprimendum, Miles ab ipsâ Ostendanâ obsidione euocaretur; non sinè graui indignatione respondit: *Id consilij qui darent, habendos esse sui Principis proditores. Ostendanum obsidium sua cura, cui demandatum esset, reseruandum. Spem sibi esse, breui felicem exitum habiturum: simulque repugnare se posse Hosti, si contrà ingrueret.*

In ea Marchio constans.

Eiusdem industriæ ad rem conficiendam.

Pōpeius Iustinian. l. 3. Et ex literis Archid. ad Regem.

Neqve verò his aut præparationibus, aut mandatis Marchio conquieuit: sed optimè gnarus, quid possit præsentia Moderatoris; modò Damum, modò Blancobergam, nec infrequentiùs ad Ostendana Castra se transferebat: ut (quod de hoc ipso Historicus ille scripsit) *Tres homines in uno corpore habitare crederentur*: ubique cuncta cognoscens, & circumspectans, ubique

Thuan. lib. 130.

quid opus facto foret, aut secum ipse, aut cum belli Consiliarijs deliberans. Vt humanus animus & in corpore uniuerso, & in quâlibet eius parte totus est: sic ille, quasi mens Exercitûs, & eum uniuersum regebat imperio, & singulas eius partes frequenter, atque assiduè perlustrabat. Acies verò circumiens, ex ijs, quos inueniebat militaribus operibus maximè intentos, huic minorem, illi maiorem pecuniæ summam, pro cuiusque labore, ac meritis, erogabat. Quinetiam saucijs stipendium unum in antecessum solui iubebat. Hinc amor in eum Militum incredibilis, & obsequendi studium adeo promptum, ut non labori, non periculis, non sanguini, ac vitæ parcerent, ad eius imperata celeriter, ac sedulò facienda. Atque his incitati stimulis Obsessores, ab omni parte magis ac magis promouebant in dies. Iamque duo lunata munimenta in conspectu posita Vallones: totidem Itali occuparant. Sed è posterioribus unum, inter muniendum, ab Hoste receptum est, ex inopinato adoriente Signiferum ei Custodem impositum. Ad idem recuperandum impetrauit is quidem à Melzio Tribuno centuriam: verùm ut maximè conaretur, acerrimèque pugnaret, nihil consecutus est aliud, nisi ut inde recederet vulneratus. Proximâ verò nocte ingenti factâ eruptione, Italos aggressi sunt Ostendani, atque ad tormentorum locum usque progressi. Sed eos contra tam fortis, ac strenua stetit Italica virtus; ut Hostem magnâ attritum strage repelleret. Nec multò pòst cuniculo succenso, qui subter munimentum erat modò memoratum; illud in suam rursus Itali redegere potestatem. Id verò dum communirent; ictu mosqueti percussus in tibiâ Melzius, illinc se recipere coactus est. In eius locum suffecit Spinula Iustinianum, qui iam ab accepto vulnere conualuerat. 1604.

Hareus. Carnerus. Iustinianus.

Militare obsequiũ erga Spinulam.

Lunatæ munitiones à Catholicis captæ.

Italorum virtus.

HAVD minor Hispanorum erat tam fortitudo, quàm gloria. E lunatis namque munimentis ipsi quòque alterum ceperunt, alterum capere conabantur. Animaduertit interea Marchio; ab alio, quod Hispani priùs occupauerant, propugnaculo ad maririmum quoddam munimentum breuem esse traiectum, nec valde tormentorum ictibus obnoxium. Quod si caperetur, in procliui futurum & vetere Oppido potiri, & portum Hosti adimere, & Subsidio aditum intercludere. His emolumentis stimulatus, eius expugnandi curam Germanis demandauit. Tentarunt illi quidem eò sibi viam facere suffosso cuniculo: sed quia sabulosum erat solum, ac minimè sustinens ruinam cameræ impendentis; iter ingressuris aperire non potuit. Quare Spinula oppugnationem instituit: ad quam Bellatores adhibuit ex omni Natione

Et Hispanorum.

Magni momenti propugnaculũ oppugnatione capitur.

1604. tione lectissimos. Hi tam acriter, strenuèque rem gesserunt, ut breui tempore cum ingenti Hostium cæde, ac Tribuni præsertim, locum ceperint. Aliud adhuc supererat ante fossam munimentum. Quò iisdem irrumpere nitentibus obstitere Germani, cùm dicerent, *Eum suæ curæ designatum locum, ad quem occupandum aliarum auxilio Nationum sibi opus non esse*. Quamobrem Marchionis imperio, recedentibus aliis, ipsi primò suffodère Cuniculum: tùm eo succenso ingentem edidere ruinam, per quam impressione factâ, propugnaculum tandem cum insigni Ostendanorum strage tenuerunt.

Fornello.

HIS ergo fortiter æquè, ac feliciter gestis; Itali primi omnium fossam traiecere: & nouæ munitionis propugnaculum sibi aduersum aggressi sunt. Duos sub illo cuniculos in magnam altitudinem effoderunt; eorumque beneficio ad illius fastigium euadentes, Hostem inde propulsarunt. Verùm dum eo se prorsus, ac penitùs potitos arbitrantur, hostiles artes, aliàs deprehensas, animaduerterunt. Intercisum videlicet in medio propugnaculum, cum alio receptu, aliâ fossâ, lateribus, & munitiunculis aliis. Quæ tamen omnia eodem impetu, atque alacritate recentis expugnationis, iræ quòque maioris incitatione, ob improuisum obstaculum victoriæ repentè oppositum; perruperunt, ac superarunt. Cæteras quòque partes recentis munitionis, è regione sibi obiectas, pari studio, nec dispari fortunâ Hispani, & Vallones occuparunt. Quare iam Oppidum in potestate se habere sibi Catholici persuadebant: cùm præter omnem opinionem noua ipsorum conspectui sese obiecit munitio: quæ spem victoriæ si minùs abstulit, distulit quidem certè, haud leuiore cum molestiâ: quandò æquè ferme discruciat animum dilata spes, atque ablata. Ingens erat Oppido ex eâ parte circumductus agger aduersùm ictus hostilium tormentorum: cui sua non deerant obiecta latera, non præiacens fossa, non lunata exteriùs munimenta. Repentinum hunc obicem victoriæ, quæ propè erat in manu, Spinula conspicatus, nihil ab re improuisâ deterritus; iubet extemplo Legiones omnes, ad impressionem in aggerem faciendam, è suo quamque latere, paratas esse: locisque iam occupatis disponi bombardas.

Fianchi.

Nouum obstaculum expugnationi.

Trincierone.

Mezelune.

INTER hæc fama percrebuit: Mauritium validè munitâ Slusâ, semel, atque iterum colligi sarcinas, & moueri castra iussisse, ad inferendum Ostendam subsidium, si quâ posset. Non tamen id efficere ausum, probè conscium, quàm rectè omnia præmunita fuissent à Spinulâ; quâque ille animi alacritate promptus esset ad pugnam. Eius virtutem, eiusque Militum robur expertus

Mauritius non audet ferre subsidia.

nuperrimè fuerat ad Catſandam: ſuique tot annos futuri in glorioſis belli laboribus, æmulatoris potiùs, quàm Hoſtis, in illâ arenâ prima fecerat tentamenta. Ibi periculo ſuo, ſuorumque didicerat, quantùm poſſet ille conſilio, quantùm Socij manu valerent: optimèque conuenire cum Ductoris ſolertiâ conſtantiam Bellatorum. Quare conſultius duxit Sluſenſi expugnatione gaudere: nec partam ex eâ gloriam in diſcrimen nouum obijcere. 1604.

At Catholici ad Oſtendanam toto pectore incumbentes, proficiebant in horas: perinde quaſi armorum quòque motus prope finem incitatior foret. Viribus namque omnibus, ex Marchionis imperio, conuerſis in nouum aggerem nuperrimè detectum; Antunius, ac Meneſius cum Hiſpanis lunatum ante eum munimentum iam penè totum occupauerant: totum alterum tenebat cum Italis Iuſtinianus, eiuſdemque aggeris foſſæ incubabat. Nec longè ab eodem aberant cum Vallonibus Turrius, Thoricurtius, Cabilonus. Iamque etiam Billius Comes, & cum ſuis Germanis Lucemburgenſis dimidio veteris Oppidi potiti erant: quod ita reliquæ parti ſuperimpendebat, ut eius quòque capiendæ, & portum, & ingreſſum ſubſidij intercludendi ſpes eſſet haud dubia.

Oſtendanorum [postr]ema eruptio va[na].

In hac propinquitate victoriæ nouam, eamdemque nouiſſimam eruptionem Oſtendani fecerunt: in quâ neruos ſuos omnes, & conatus extremos adhibuere. Germanos præ cæteris adorti ſunt. Eos tamen adeò promptos animis, paratos armis, virtute, conſtantiâque ſtrenuos offenderunt; ut breui tempore, ingenti acceptâ clade, retrocedere fuerint coacti. Nec minus paſſi ſunt paulò pòſt à marino æſtu, præter ſolitum aſſurgente, detrimenti. Quare partim ab inſtante inde periculo, nè quod modicum terræ ſupererat, inundantibus aquis obrueretur: partim ab Hoſtium virtute, qui magnâ iam parte Oppidi potiti, reliquæ animoſiùs imminebant; conſtantiâque tam indefeſſâ, ut neque dies, neque noctes ab operibus, armiſque ceſſaretur: ad extremas & ſpei, & animorum, & ipſius loci, quo ſe tuerentur, adducti anguſtias Oſtendani, aliquando tandem de faciendâ deditione cogitarunt.

Agitur de faciendâ deditione.

Igitur Daniel Hertranius Marqueti Dominus, Oppidi Gubernator, militiæ Præfectis in conſilium euocatis, rebuſque omnibus diligenter expenſis, de illorum conſenſu, datâque à Mauritio, Fœderatiſque Ordinibus facultate, poteſtati Hoſtium antè ſe permittere decreuit, quàm vel maris diſcrimen, vel eorum victoria plenior peiores ſibi relinqueret in paciſcendo conditiones. Eiſque dimiſſis, quos deditioni refragaturos cenſebat; duodecimo Calendas Octobris proclamari iuſſit ex eo latere, quod cum Hiſpanis Antunius oppugnabat, ut de deditione ageretur.

Farchiamata.

Ac-

1604. Accepta ea vox à Catholicis, quâ par erat, animorum alacritate, plausuque post tot, ac tanta plusquam triennalis obsidionis mala, continentesque labores. Vtrinque Obsides missi, qui que de conditionibus colloquerentur: ab Obsessoribus Thoricurtius Vallonum Tribunus, & Matthæus Ottannius supremus Instructor Antunianæ Legionis: ab Obsessis totidem Tribuni Achthouius, & Gueldrius. Res illico ad Marchionem perlata, qui tùm Brugis erat. Is è vestigio ad Castra reuersus, ut cum Tribunis, alijsque Præfectis Militum de conditionibus deliberaret. Postulabant Ostendani principio dierum aliquot inducias. Verùm illas omnino Catholici pernegarunt: aliàs in eo sibi fraude malâ impositum, exprobrantes. Tormenta quòque ut auehere secum liceret, rogantibus, duo tantum, vel ut alij tradunt, quatuor concessa. In hæc tandem conuentum est: ut Præfectus, & Milites emigrarent cum omni commeatu, ac supellectile, signis explicatis, tympanis sonantibus, incensis fomitibus, alijsque dari solitis Hosti à victore in argumentum rei fortiter gestæ.

Eius conditiones.

DECIMO Calendas Octobris profecti sunt Milites quater mille ac trecenti, ijque validi, vigentesque: ut inimico Exercitui prospectanti admirationem pariter, maioremque ex victoriâ lætitiam crearint: quòd pauciores ipsi numero superassent plures. Marchio verò, ut quos virtute deuicerat, humanitate quòque subiugaret; ubi Slusam versùs egredientibus transeundum per Obsidentium stationes fuit: Marquetum Gubernatorem, ac Primores Hostium lauto, splendidoque conuiuio accepit: magnâ omnes comitate affatus est: equos eisdem abunde suppeditauit: carros ad impedimenta supportanda commodauit. Quam eius, Principe dignam viro, magnanimoque Duce, benignitatem, ac munificentiam appositio contrarij conspectiorem fecit. Namque Seditiosi subsidio Slusæ ab Archiduce missi, in insidijs se perfidè collocarant, ut Ostendâ digressos adorirentur: & magnam his perniciem attulissent, nisi Buquoius Comes tam insanum, atque iniuriosum impetum cohibuisset. Ostendani Slusam ingressi à Mauritio liberaliter habiti sunt: actisque pro re fortiter gestâ gratijs, in varia Oppida, reficiendis à graui, diuturnoque labore corporibus, distributi. Hic demum Ostendanæ obsidionis exitus fuit: hoc Ambrosio Marchioni Spinulæ primum operum bellicorum, nouem ferè mensium spatio gloriosum ad finem perductum.

Deditur tandem Ostenda.

[I]ustinianus. Camerus.

Marchionis benignitas erga Victos.

[G]aspar Ens. [...]manus. Continuator [...]itsing. in [L]eone Belg. Botereius l. [...]

Seditiosorum inhumanitas.

HVIVS tam insperatæ fama victoriæ, quæque tamdiu mortales tenuerat expectatione suspensos; tum per omnes Europæ partes cum admiratione celebrata, tum etiam Scriptorum ferè cunctorum,

Talis victoriæ magnitudo.

Rodolph. Botereus l. 8. Beyerlinck an. 1604.

ctorum, qui varijs linguis eius æui memoriam poſteris prodiderunt, monumentis perennibus illuſtrata. Eorum unus affirmare non dubitauit: *Nullam unquam obſidionem contumaciorem fuiſſe: nullam Urbem maiore vi oppugnatam, nullam fortius propugnatam: nuſquam plus ſanguinis hauſtum: nuſquam plus artis, & induſtriæ adhibitum: nuſquam plus molitionum, munitionum, inſidiarum.* Alius in eamdem ferme ſententiam. *Nullam unquam antiquiorum Sæculorum obſidionem, quantumuis tempore longiorem, huic poſſe comparari: ſi continua diuerſi generis certamina, nouæ inuentionis munitiones, & machinas, innumeras tormentorum diſploſiones (quas unico menſe quinquagies mille fuiſſe volunt) & immenſum cæſorum utrinque numerum (qui ad centum quinquaginta ferè millia aſcendiſſe perhibetur) quis conſideret.* Nec defuere qui ſcriberent: *Hanc toto terrarum Orbe famoſam obſidionem veterum factis tenebras obduxiſſe: in quâ non de paruâ areâ, neque de tumulis, aut ſterili tantum puluere (ut poëticè dictum fuit) ſed de ſupremo dominatu, & gloriâ certatum eſt.* Eam plerique cum Carthaginienſi, cum Tyria, cum Troianâ obſidione contenderunt: adeòque Ambroſium Spinulam, qui eamdem tam fortunato exitu coronauit, palmaribus illis nominibus, Scipioni, Alexandro, Agamemnoni adæquare non timuerunt. Cuſa quòque in Belgio eâ de re, utpote maximè præclarâ, & memorabili, diuerſa numiſmata. Iactata dicta, quæ incœptæ, ac terminatæ obſidionis annos inclusis maioribus literis numeros ſignificantibus deſignarent. Aliud eiuſmodi fuit. OſtenDe nobIs paCeM. Vnde milleſimus ſexcenteſimus primus Annus, quo cœptum obſidium, ſupputatur. Aliud in hæc verba reddentia milleſimum ſexcenteſimum quartum, quo feliciter abſolutum. OſtenDaM InIſla paCIs. Neque inficetus verſiculus eodem artificio compactus per hominum ora vulgatus fuit, ad iocum reſpiciens aliàs à nobis memoratum, de ſpinâ pedi Belgici leonis infixâ.

OſtenDæ eraſIt fataLIs SpInoLa ſpInaM.

Ex quibus ingenij luſibus luculenter apparet, quantos ea victoria motus in humanis mentibus, quantos clamores, & plauſus in Belgicis potiſſimùm Populis excitarit.

Et multa ſanè fuere, quæ tam obſidionem, quàm victoriam inſignem facerent, atque in omnem futuram ætatem commemorabilem. In obſidione quidem accidiſſe non pauca feruntur, quæ morem uſitatum prætergreſſa & quamdam habent admirabilitatem, & nouitate ſuâ curioſas paſcere poſſunt legentium mentes. Tale id fuit, quod Militi contigit Oſtendano. Panem is Obſeſſoribus oſtentabat, ut Oppidum penuriâ minimè labo-

rare

Scriptorum de illa iudicium.

Vulgata de eadem numiſmata, & dicta.

Quæ in hac obſidione côtigerunt admiranda.

1604.

Iulius Cæſar Bulengerus Hiſt. ſui temp. lib. 11.

Henric. Spõdanus in cõtinuat. Annal. Baron. ann. 1604.

Auber. Miræus in vita Archid. Alberti.

Et in Chron. Belgic. anno 1601.

Carnerus.

Iuſtinianu[illegible]

Nic. Vern[illegible] leus in Tr[illegible] phen[illegible] S[illegible] nulæ O[illegible] A[illegible] Cont[illegible]

Anno MDCI.

MDCIIII.

Beyerlinch in Chron.

MDLLIIII.

Gaſpar Ens lib. 22.

1604. rare testaretur. Ecce autem excussus tormento globus in panem irruit, eiusque dimidium absumpsit. Ita militaris iactantia non sinè moderatione multata. Alium Ostendæ Ciuem bombardæ ictus ita perculit, ut statim exanimaret. Dum verò ut ad tumulum efferretur, pheretro imponebatur, alia tormenti pila cadauer simul, & pheretrum tanto impetu perfregit, ut in minuta frusta redigeret, ac dissiparet: quasi cui vitam bombarda dempserat, adimeret etiam sepulturam. Displosò pariter è castris obsidentibus tormento globus emissus Ostendanæ bombardæ os inuasit. Hæc onerata iam erat, & mox exoneranda. Succenditur ab hostili globo puluis: bombarda disploditur: eiusque pila una cum eâ, quæ missa fuerat è Castris, in Castra retruditur. Adeoque pernicies geminata recidit in auctores. Scilicet terrestre quòque fulmen, ad exemplum aërei, ludere plerunque solet, sed ludum crudelem. Et illud singulare in hac fuit Obsidione, memoriâque dignum: Ostendanos quotannis, dum obsiderentur, Obsidionis initæ anniuersarium celebrasse diem festâ displosione tormentorum: quasi se insuperabiles op[...]nando, ingenti suæ gloriæ ducerent, oppugnari iamdudum cœpisse, expugnari nondum posse. Notabilis præterea fuit immanitas sump[t]uum, qui (ut suprà indicatum) ex parte quidem Fœderatorum superasse dicuntur aureorum millia quadragies centena: à Catholicis verò longè maiores factos existimandum est in tot millia Militum, & eorum passim intereuntium supplementa; in opera tam multa, tam varia, tam frequenter vel incendijs, vel alluuione corrupta; in machinamenta, quæ tum fieri potuisse credebantur, cùm facta cernerentur. Vt apposite nonnemo Belgicis exercitatus bellis scriptum reliquerit. *In eâ obsidione Hispanum Regem palàm omnibus fecisse magnitudinem opum, ac virium suarum, potentiæque, cui parem vix amplectitur Orbis terrarum. Id verò conatum esse non ad imperij, vel ditionis accessionem, quæ nulla futura erat, sed in spem gloriæ amplificandæ: utque suorum Hostium retunderet vim, qui tot, ac tam potentes, quà apertè, quà tectè è varijs, ac præcipuis Europæ regnis cum Batauis conspirauerant, ad Hispanam potentiam coërcendam.* Quàm verò supremi Principes, atque ipsi belli Moderatores in erogandâ pecuniâ largi, splendidique fuere: tam se Milites prodigos exhibuere sanguinis, animæque profundendæ; adeò inusitato vitæ contemptu, ut (quemadmodum consignatum literis est) *de capite suo luderent: scientes, prudentesque ruerent in pericula: mortem ultro lacesserent: atque humanum ingenium exuisse, & naturam eiurasse viderentur.*

Idem in huius obsidionis compendio. Haræus anno 1603. Petr. Matth. Histor. Gall. l. 7. Narr. 3. Iustio libri 14. Quattro milioni. Gaspar Ens.

Flaminius de Cruce in Theatro militari Dissertatione Prima, cap. 27.

Bulengerus Histor. l. 11.

Eius anniuersaria celebritas apud Obsessos.

Ingêtes in ea sumptus utrinque.

QVOD autem spectat ad militaria opera, tum à Defensoribus,

tum

1604

Insuetæ machinæ in ea inuentæ.

tum ab Obsessoribus excogitata: ignes diuersis instrumentis emissi, atque artificijs attemperati, ultro citroque continenter volitantes, & hominum, rerumque stragem secum latè spargentes, eam aspectantibus faciem obiectabant, quam è Vulcanijs Insulis aliqua, cum maiora eructat incendia. Imòquasi parum naturâ suâ noceret ignis confector, & consumptor omnium; addidere voracitati flammarum veneni malignitatem: ut non solùm attactu corrumperent, sed afflatu quòque, ac fumo vertiginem, aut morbum comitialem crearent: adeòque omnes eâ peste correpti, viribus ad se tuendum destituti conciderent. Neque magis pugnatum est ignibus sub aperto Cælo per aërem palantibus, quàm eisdem clandestinis, & sub terrâ serpentibus per effossos cuniculos, atque ab utrâque partium in alteram directos: quorum ea fuit frequentia, ut propè miraculum visum sit; tantum subfossionum fieri potuisse in tantâ terræ penuriâ, quæ vix Obsessis, atque Obsessoribus satis foret ad consistendum, quæque sabulosa esset plurimùm, atque arenosa: tantumque locorum ignibus fuisse in medijs aquis non modò ab omni parte alluentibus, sed etiam superfusis identidem, atque interfusis. Iam illa machinamenta, quorum vel nomina recentiori militiæ, nedum sæculis peruetustis, ignota erant: Blindæ, Candelabra, minora, & maiora farcimina, lignei receptus, doliola, rates, pontes pensiles, ac trusatiles, Castella mobilia in hac obsidione vel nata, vel celebrata, usuram sui ad omnem venturam ætatem transmiserunt. Neque illud in arctis obsidionibus solemne defuit: ut literæ, quia terrâ, mari-ve non poterant citra periculum, libero cælo transmitterentur, sagittis scilicet alligatæ.

Ignes venenati.

Libert. Fromond. Meteor. l. 4. cap. ult. Merc. Gallobelg. Tom. 4. l. 4. Gaspar Ens lib. 24.

Salsiccie. Salsiccioni. Cosani. Tonelli. Flotte. Idē lib. 22. Botereius l. 8.

Literæ per aërem missæ.

Ex huius obsidionis atrocitate, pertinaciâ, arduitate, in procliui est intelligere, quanta fuerit amplitudo victoriæ. Archiducem Albertum ferunt, cùm primùm Ostendam obsidere aggressus est, in bellico Senatu quæsiuisse: quamdiu Parmensis Dux in Antuerpiensi obsidione perstitisset. Responsum à Consiliarijs: menses decem & octo. *Ego verò* (adiecit Albertus) *paratus sum totidem annos impendere in Ostendanâ.* Tantæ molis ducebat prudentissimus Princeps, reique bellicæ peritissimus, Oppidum hoc expugnare. Nec sanè falsò. Quippe cùm tam opportunum haberet mare, tot circumfluentes alueos, eosque & profundos, & amplos; fieri vix unquam posse videbatur, ut ei subsidium intercluderetur. Effatum verò satis celebre illorum est, qui de munitionibus locorum præcipiunt: *Urbes, Oppidaque maritima ægerrimè ob eam rem expugnari. Nam si terrestribus Copijs inuadantur, mari subsidium accipient: sin classe obsideantur; idem terrâ inducetur.*

Pet. Math.

Archiducis de hac obsidione dictum.

Mathias Dogen Archit. Mil. l. 2. cap. 8.

Ioan. Fräciscus Flammellus Principis defens. l. 6. c. 8.

At

1604. *At latus utrumque claudere militari coronâ, nonnisi ingentis est, raraque in humanis potentia.* Quod cùm Scriptorum eiusmodi quidam doceret, Ostendam attulit in exemplum, quæ dum scriberet, adhuc obsidebatur; aitque: *Tamdiu eam sustinuisse, & iam tùm sustinere obsidionem, quòd opportunitas subsidij omnino prohiberi non posset.* Neque verò penuriâ rerum adacta ad deditionem fuit: cùm toto ferè obsidionis tempore, ac præsertim ad finem, rebus omnibus tam ad victum, quàm ad bellicum apparatum, Oppidique defensionem facientibus, tam copiosè fuisset à Fœderatis Ordinibus instructa, ut alimenta præcipuè viliore pretio venirent Ostendæ, quàm in Hollandiâ, Zelandiâque vicinis, unde illò comportabantur.

Idem ibidē.

Gaspar Ens.

PRÆTEREA munimenta multa erant, ac tam facilè struebantur, ut uno euerso, vel capto, statim suboriri alterum videretur. Et quemadmodum in theatris unâ subductâ scenâ, repentè apparet altera: sic unâ munitione expugnatâ, aliam sibi inopinatò obuersari Catholici agnoscebant, & vicinam retardare victoriam. Nec munimentis solùm de integro in dies excitatis obsidentium extremam operam Ostendani eludebant. Sed paucis ante deditionem mensibus alterum quòque Oppidum, quò se reciperent, condiderant (quod vel audere miraculo fuit in tantis locorum angustijs, ut spatium cadauerum sepulturæ vix esset) inque illud nondum perfectum, Hoste iam imminente, concesserunt. Imò verò (quod ut credatur à posteris, laborabit annalium fides, quamuis plurium Scriptorum auctoritate firmata) tertium adhuc Oppidum designarunt: cui nouæ, & paruæ Troiæ nomen fecerunt. Quare vel ipso nomine, quàm longa, & ardua futura esset obsidio, Catholicis indicabant. Qui post triennij laborum, ac discriminum tolerantiam, cùm Oppido, quod unum sibi proposuerant expugnandum, iam se potitos existimarent; à principio sibi redordiendam videbant obsidionem alterius; quin & tertij Oppidi: circa quæ sex alios minimùm annos insudandum, ac penè intabescendum esset: adeòque nouem & ampliùs exactis annis, ad ipsum Troiam belli terminum veniendum.

Plura Oppida in uno.

Continuator Aitsingeri. Gaspar Ens. Hareus. Baudart. Thuanus. Grotius. Beyerlinch.

Noua Troia.

HIS, alijsque multis, ac magnis difficultatibus nihil retardatus cum suis generosis Copijs Spinula, Ostendam toto impetu pressit, oppressitque. Tantum habent virium animæ magnæ: quæ quod semel aggressæ fortiter fuerint, constanter ad finem usque persequuntur. Ob tam insignem, insperatamque victoriam immane quantum Marchioni existimationis, & gloriæ apud omnes accessit. Milites primi Ducem suum tam fortunatum, quàm fortem

Vernulaus:

Spinulæ apud omnes existimatio ex hac victoria.

fortem circumsistere: venerari virtutem eximiam: lætis eam plausibus, & clamoribus in Cælum ferre. Illum Hostium peruicaciæ tres annos prætergressæ domitorem: illum extremorum conatuum, quos adhibuere Fœderati, magnanimum contemptorem: Flandriæ illum, Artesiæ, Hannoniæ, ac penè totius Catholici Belgij Liberatorem acclamare. Plerique parem eum facere Alexandro Parmensi Duci Antuerpiæ debellatori. Hæc Milites pro suo quisque sensu vulgò iactabant. At Proceres Exercitûs non minore vultûs hilaritate Marchionem conuenire: exosculari manum, quæ ut causam publicam tueretur, non recusarat toties in discrimen offerre vitam suam: laudibus extollere prudentiam, constantiam, diligentiam in rebus omnibus administrandis: gratulari respondentem tantis virtutibus felicitatem. Illi ipsi, qui priùs æmulationis ardore, parum beneuolo in eum animo ferebantur: quique eum & minorem ætate, & in bellis, ac Belgio longè recentiorem, sibi tamen in Ostendanæ obsidionis imperio antelatum, impositumque ferre vix poterant: iam ab excellentiâ virtutis, & gloriæ quouis inuidiæ sensu penitùs eraso, vel cautissimè dissimulato; in publicas eius laudes, & acclamationes palàm omnibus effundi.

1604.

I. Lips. Epistol. Belgic. Cent. 2. e. 95. & Cent. 3. e. 85.

Comparatio cum Tyro ab Alexandro Magno expugnata.

Qui verò rerum in omni ætate gestarum periti videbantur, Ambrosium Spinulam non modò cum Parmensi Alexandro, cuius adhuc feruebat gloriosa memoria; sed etiam cum Macedone Tyrum obsidente componebant. Quippe haud longè dispares annis, pares animis, opus propè desperatum ausi ambo: non diuturnæ obsidionis tædio victi, cum mari magis, quàm cum Milite præliati: ingentium operum vel igne hostili, vel aquarum insultu consumptorum non semel passi ludibria. Vtriusque Militum similis in re tam arduâ desperatio: nec dissimilis Hostium confidentia, & pertinacia, cùm Tyrijs facerent animos Carthaginiensium affinium Legati; Ostendanis frequenter immissa Fœderatorum Subsidia. Vtque illi victoriæ quodam omine spe tantùm, ac fallaci opinione præsumpto; epulis, ac vino, nauibusque flore coronatis lætitiam publicam euulgarunt: sic hi quotannis (uti antè diximus) obsidionis, quam inanem fore sperabant, admotæ diem solemni gratulatione celebrabant. Vtrique (nobilis Historici verbis utor) *Quassatos muros raptim reficiebant: interiorem quòque murum orsi; ut si prior fefellisset, illo se tuerentur.* In eo etiam comparandi Ductores Macedo, & Ligur: quòd ille Tyrum oppugnauit, quæ Vrbs una supererat ad Phœniciam totam subiugandam; hic Ostendam, quæ cum ab eo cœpit oppugnari, una prohibebat, Archiducum esse Flandriam uniuersam. Quòd

Vernulæus. Miræus in Chron. anno 1601.

Q. Curtius l. 4.

si

1604. si Alexander, ut in rebus ab eo gestis memoratur, in altissimam turrim ascendit ingenti animo, periculo maiore: quippe regio insigni, & armis fulgentibus conspicuus, unus præcipuè telis petebatur: Ambrosius generosum tanti Ducis sequutus exemplum, in perlustrandis quotidie per quaternas, aut senas horas aggeribus, obiectare se bombardis ex Oppido fulminantibus nil metuebat. Exitus demum utriusque obsidionis in plerisque similis, & utrique Obsessori maximè gloriosus: nisi quòd in Tyriâ; *Vel victoribus triste spectaculum, duo millia, in quibus occidendi defecerat rabies, crucibus affixi, per ingens litoru spatium pependerunt*: ut facilè agnosci posset & Rex in iram procliuior, & in occisis eiusdem Legatis ius Gentium violatum: in Ostendanâ contrà quater mille liberi, nec inanes dimissi: ut propria Christiani nominis clementia, & Marchionis moderatus animus, vel erga Hostes, eluceret.

Angel. Gallus in Epist.

Q. Curt.

VIx exprimi verbis potest, quantum ex huius victoriæ nuncio concepere lætitiæ sensum Archiduces: qui statim ad Spinulam literas dedere humanitatis, & gratiarum plenissimas. Neque hâc significatione contenti, conspectu ipsi suo voluere tam felicem rerum exitum cohonestare, & Militum gaudium reddere cumulatius. Igitur septimo ab digressu Hostium die Albertus, & Isabella Gandauo profecti, ad Ostendana Castra properarunt. Illic regali ritu à Spinulâ excepti, & centum ferè bombardarum lætissimo strepitu consalutati. In ipso litore explicatus in acies apparebat uniuersus Exercitus: quem medium pertranseuntes Archiduces, quâ par erat veneratione, plausu, acclamatione Militum omnium colebantur. Illi mutuò Præfectis Copiarum agere humanissimè gratias, ob rem in suum obsequium strenuè gestam; reliquis verò, composito in omnem hilaritatem, & clementiam vultu, tam insignem victoriam gratulari. Oppidum propius accedentes, non tam Ostendam vident, quàm locum ubi fuerat Ostenda. Imò ipse tam dissimilis erat sui; itàque deformata iacebant omnia; vix ut affirmatè pronunciari posset. Hic Ostenda fuit. Neque enim quidquam aliud agnoscebatur, præter confusam rerum congeriem, & miserabiles excidij magni reliquias. Fossas animaduertunt solo æquatas, loricas dirutas, propugnacula euersa, receptus, aliasque munitiones, ita suis indiscretas ruinis, ut internosci ægrè possent. In eâ tamen confusione rerum, ac locorum notar, qui Archiducum lateri adequitabat Spinula, ita situs omnes, ac regiones pro suâ experientiâ distinguere, ut eos disertè doceret. *Hæ Stationes Hispanorum erant: hic*

Archiducū de hac victoria gaudium.

Eorū profectio ad visendas Ostēdæ, & belli reliquias.

Iustinianus. Haræus. Carnerus.

Omnia eis monstrat Marchio.

Bentiuolus.

 teten-

tetenderant Itali: partem illam Vallones: aliam alia Nationes obtinebant. Tùm verò postremæ oppugnationis rationem, formam, seriem totam ipsis propè oculis subiecit. Quâ parte vehementiùs institissent Obsessores: quâ pertinaciùs Obsessi restitissent. Vbi receptibus occupatis, noui repentè pullulassent. Vbi variarum Gentium Catholici Milites non magis de victoriâ cum Hoste, quàm inter se de bellicâ virtute contendissent. Neque illam designare partem omisit, ex quâ potissimùm patuit faciendæ deditionis occasio. In eâ descriptione locorum, gestarumque ubique rerum, non subticuit Marchio singulorum aut Præfectorum, aut Militum præclara facinora. Indignum quippe rebatur animo generoso, non tribuere cuique suam partem laudis, ut reportatæ victoriæ gloriam omnem uni reseruet sibi. Siquidem quantumcumque Miles præstiterit fortiter, ac prudenter, id totum demum redundat in moderantem Ducem. Vt verò specimen aliquod rerum gestarum vel suis caperent oculis Archiduces; eorumque voluptati seruiret, quod fuerat paulò antè terrori: parari iusserat Spinula cuniculum nitrato puluere oppletum. Is propinquantibus Oppido Principibus, igne concepto, innocentium vim flammarum effudit. Iactatæ quòque ignem spargentes pilæ: & displosa tormenta, quæ pro ferreis globis ingentem lapidum copiam disseminarent. Vbi tandem non muros Ostendæ, sed eorum vix extantia vestigia intrarunt; miserabile ut quod maximè spectaculum patuit. Neque enim speciem Oppidi ullam agnoscere potuere: non domos, non vias, aut templa, aut fora. Sed immanes prospectarunt ubique ruinas, & lapidum informes aceruos, terræque congestæ cumulos aditum penè omnem obstruentes. Vident, haud maiore admirationis, quàm commiserationis sensu, solum usquequaque suffossum, ac subrutum, quà cuniculis agendis, quà excitandis aggeribus, quà cadaueribus tumulandis. Lutum ipsum apparebat sanguine maceratum: & quàcumque ferebatur gradus, nihil sese aliud oculis obiectabat, quàm insepulta & hominum, & Oppidi sepultura. Ad eum Isabella prospectum à lacrymis temperare vix potuit: siue animo reputaret, quanti sanguinis, & quot animarum pretio inanis illa ruinarum congeries Catholico nomini stetisset: seu luctuosum æquè Obsessoribus, atque Obsessis tam diuturnæ obsidionis exitum miseraretur, cuius etiamtum lacrymabiles reliquias cernebat, ac funestissimam cladem hominum pariter, & locorum. Quippe toto illo Ostendæ obsessæ triennio, & ampliùs, absumpta dicuntur ad centum quadraginta hominum millia. Imò & apud quem-

Marginalia (right): 1604 — *Iustinianus. Carnerus.* — *Pietrere.* — *Pet. Math. Iustinianus. Bentiuolus. Alij.* — *Iustinianus. Thuanus. Haraus. Bentiuolus.* — *Iustinianus.*

Marginalia (left): Eisdem nominat, qui rê optimè gesserunt. — Ad miserabilem Oppidi aspectum Isabella lacrymatur.

1604.

Gaspar Ens. Petr. Montanus. Guillelmus Blaeu Atl. Noui P. 2.

Infinita extinctorum multitudo.

quemdam Hispanorum Commissarium (ut appellant) post obitum repertos tradunt pugillares, in quibus ex parte Catholicorum extincti numerabantur Tribuni Militum nouem, Chiliarchæ quindecim, Castrorum Præfecti undetriginta: Centuriones quingenti sexaginta quinque: Ordinum Ductores ad sex millia: ut hi demum cum alijs in Exercitu Catholico desideratis septuaginta millia superauerint. Longè verò plures ex Hostibus cecidisse dicuntur: ac præcipuè septem Oppidi Gubernatores.

Camerus.

Ostenda captâ, non alia videbatur expeditio tentanda: tum ut fesso triennij obsidione, ac tot laboribus Militi spatium quiescendi daretur: tum quia prouecto iam Autumno, in pluuiam tempestatem vergebat annus. Vterque tamen Exercitus intra sua se Castra tenebat, quid Hostis cogitaret, opperiens, eique facilè concedens migrandi prærogatiuam. Verùm ubi Mauritius in gradu perstare Spinulam animaduertit; prior ipse mouere castra constituit. Itaque Slusâ ab omni parte munitâ, in Stationes coëgit Exercitum uniuersum: & mox inde profectus est, locis ab se per æstatem occupatis, satis ad defensionem instructis.

Exercitus uterque ad hyberna recedit.

Camerus. Iustinianus. Ex lit. Marchion. ad Io. Idiaquium 17. Nouembris 1604.

De Hostis discessu certior factus Marchio, eum Archiduci patefecit, simul rogans ut quàm fieri posset, commodissima Copijs hyberna concederet: in quibus graues ærumnas tamdiu toleratas merito laxamento compensarent. Magno quòque opere contendit: ut compluribus, qui in eâ expeditione præ cæteris egregium virtutis suæ specimen præbuissent, digna laboribus præmia redderentur. Tam æquo petitori, tamque bene de se, de Rege, deque Catholico nomine merenti; quique non sibi, sed Commilitonibus suis postularet; denegare nil potuit Albertus. Literas extemplo dedit ad opportunissima quæque locorum; ut in eis Milites perquam commodè hybernarent. Ad Regem præterea scripsit, optimi cuiusque vel Præfecti, vel Militis res præclarè gestas significans, debitamque remunerationem enixè deposcens. Ostendæ præfecturam Eustachio de Oignies Grisonis Domino Vallonum Tribuno demandauit. Nec modicam pecuniæ vim Iustiniano, Antunio, Melzio, alijsque Tribunis est dilargitus, ut eam inter ttenuissimos quosque suos Milites dispensirent. At Spinula Ostendæ situm, quantum licuit, muniuit: Damum rebus omnibus ad tutandum idoneis instruxit: partem Exercitûs per circumiecta loca distribuit: Archiducis consensu Brugis Buquoij Comitem reliquit Flandriæ Præsidijs moderandis: cæteras Copias ad designata præsidia dimisit; Pedi-

Spinula impetrat ab Archiduce optimis Militibus præmia.

ditatui binis stipendijs, ut antea opportunè promissis, ita tùm fideliter persolutis. Quibus omnibus rite peractis, Gandauum ad Archiduces se contulit. Hi verò ad agendas Deo, eiusque Parenti pro tantâ victoriâ grates, ad huius Sacellum miraculis celebre, cui ab Aspero Colle nomen, peregrinationem suscepere. 1604



DE

DE BELLO BELGICO
LIBRI DECIMI SEPTIMI
SVMMA.

SPinulæ Marchionis in Hispaniam profectio. In itinere quàm honorificè exceptus ab Rege Galliæ. Quibus honoribus affectus in Aulâ Hispanicâ ab Regijs, atque ab ipso Rege. Archiducum pro eo literæ. Eius de bello Belgico consilia. Ducis munus alteri obnoxium renuit, frustra suadente Duce Lermæ. Marchio cum Archiduce queritur per literas. Dux eligitur alter. Archiduces reclamant. Redit in Belgium Spinula cum armorum imperio soli Archiduci subiecto. Regium de eo diploma. Regia instructio. Dignitatis gradus in Marchionem collati. Nouus Exercitus pro Belgio conflatur. Ex Hispaniæ Principis ortu publica gaudia. Munimenta circa Scaldim erecta. Fœderatorum tentamenta in Antuerpiam. Contra ea Marchionis industriæ. Inici Borgiæ præstantia. Iacobus Rex Angliæ pacem cum Archiduce sancit. Fœderati Classem dirigunt aduersùs Antuerpiam. Borgia obsistit, Spectatoribus Antuerpiensibus. Eius, & Marchionis ex eâ re gloria. Arx Sassia defenditur à Spinulâ contra Mauritium. Classis Hispanæ cum Hollandicâ conflictus. Buquoius Exercitum ducit ad Rhenum: Spinula ad Rurortam: Mauritius etiam ad Rhenum. Marchio Lingam inuadere

statuit.

ſtatuit. Eiuſdem in militari diſciplina rigor. Ordo mouendi Exercitûs. Populorum, ac Principum erga eum amor. Oldenſaliam oppugnat,& capit. Lingæ ſitus, & munitio deſcribitur. Obſidetur à Spinulâ. Opera militaria,quæ adhibentur. Lingæ deditio. Mauritij de illâ ſenſus. Quæ opiniones de Spinulâ in Aulâ Hiſpanicâ. Archiducis iuſſu Terralius Bergam ad Zomam bis tentat intercipere, ſed incaſſum. Bergenſium Fœminarum virtus. Grobbendonchij quòque vani conatus in Grauiam. Munimenta à Spinulâ excitata. Eidem obiecta refelluntur. De expeditione conſultat. A Mauritio laudatur.



DE
BELLO BELGICO
LIBER DECIMVS SEPTIMVS.

1604.



OPPORTVNITATEM Spinula nactus & temporis ad bellandum intempestiui ob pluuias Autumnales; & recentis adhuc tam illustris victoriæ, quæ satis amplum ad regiam gratiam aditum aperiret: ut rebus in Belgio suis meliùs ipse per se, quàm per alios consuleret; in Hispaniam, quam nondum viderat, se conferre decreuit. Hanc deliberationem patefecit Alberto, & facultatem eundi postulauit. Abnuit ille principio, vel paulum temporis tam prudente, ac felici rei militaris Administratore, se, Belgiumque suum priuare. Quamobrem vehementer obtestari: *Ne se tam properè, suasque prouincias tanto Defensore latas, ac propè securas destitueret. Quicquid expetijsset ab Rege, se, Infantemque Isabellam per efficaces literas flagitaturos: ac nullo negotio se à tam propinquo, ac beneuolo Principe, illam ab germano Fratre impetraturos.* Euicit tamen apud humanissimum Archiducis ingenium ardens Marchionis voluntas, quæque ad id suscipiendum itineris, momenta rationum grauissima stimulabant. Vtque meliore cum veniâ Archiducum proficisceretur; maturum spopondit reditum, si Regi placuisset suam operam in bello Belgico prorogari. Igitur amplissimis verbis, magnâque honorificentiâ, & literis ad Regem commendationis plenissimis comitatus, sub exitum Nouembris dimissus ab Archiducibus est.

Spinula in Hispaniam cogitat.

Pōpeius Iustinian. l. 3. Camerus in fine lib. 15. Hareus anno 1604.

Archidux discessum ægrè permittit.

GALLIAM ex itinere perlustranti, cùm interuallo unius diei Lutetiâ Parisiorum abesset, Tribunus Militum Corsus obuiàm veniens, ad suam domum inuitauit. Sed tam officiosam humanitatem cum gratiarum actione remisit Marchio, cùm diceret: *Oratoris apud Gallicum Regem Hispani hospitio, longè priùs oblato, acceptoque, se citra iniuriam abstinere non posse.* Postridie quàm Lutetiam intrasset, explorari mentem Regis voluit, an ex eius obsequio foret, ut ipsum veneraturus adiret. Gratissimum id sibi futurum respondit Rex. Adeòque non multò pòst ad eum in Oratoris domum transmisit Nemursij Ducem, & Niuernij, & Suessionum Comitem, aliosque sex principes Viros, Aulæ Regalis primarios: qui Marchionem ad conspectum, colloquiumque

Ex lit. Parisijs sib. manuscript. 29. Nouembris 1604.

In Gallia Marchio amanter, atque honorificè ab Rege excipitur.

ſuum deducerent. In eo palatio, quod Lotharingicum nominatur, copiam ſui Spinulæ fecit Rex, eumque non ſemel complexus, uſitatâ benignitate, animique magnitudine verè regiâ excepit: cùmque ille ſeſe ad manus oſculum inclinaret, tegere caput iuſſit. Quod honorificæ beneuolentiæ genus eidem fuit exhibitum ab Reginâ; ubi eam paulò pôſt venerabundus inuiſit. Solidam horam, & ampliùs varijs cum Rege ſermonibus traduxit. In digreſſu verò conuerſus ad ſuos Henricus: *Magno* (dixit) *in pretio habendus Hiſpano Regi tam ſtrenuus Dux: qui felicem ad exitum perduxit expeditionem tam arduam, ut eam ipſe vel aggredi reformidaſſem*. His, alijsque ampliſſimis in laudem, humaniſsimis ad beneuolentiam verbis & id amoris argumentum adiecit Rex, ut à Spinulâ flagitaret quatuor, aut quinque dierum apud ſe moram. Gratum namque ſibi admodum fore, ſi ab ſe nuper incœptas Fontis Bellaquei ſtructuras perluſtraret. Orauit contrà Marchio, eam nè ſibi legem imponeret. Vrgeri ſe quippe vehementer ad Hiſpaniam quamprimùm attingendam. Inſtitit Rex, ut eum ſaltem diem totum apud ſe exigeret. Quam ſignificationem honoris Spinula ſubterfugere non potuit. Itaque ab Rege dimiſſus, cum eorumdem Principum comitatu rei Diuinæ interfuit: tùm Vrbis magnificentiam, quantùm per tempus licuit, contemplatus, ac demiratus eſt. Prandij verò appetente horâ, deductus ab iiſdem ad Regiam fuit: eâdemque cum Rege menſâ, unà cum Oratore Catholici Regis, exceptus. Thracio etiam equo, militari nempe munere, mille aureis æſtimato, donatus ab Rege: eumque, qui obtulit, aureo ipſe torque donauit. Diſcedentem plerique Principum comitati fuiſſent, niſi citatiſſimo curſu, hoc eſt equis identidem mutatis, profectus eſſet.

[Margin: 1604. — Fõtanableo. — Regia menſa, & muneribus honoratur. — Caual Turco. — Andar per le poſte.]

CVM primùm Valliſoletum Marchio peruènit, ubi tùm regia erat Aula; peruènit autem quinto Idus Decembris: Franciſcum Sandouallium Lermæ Ducem ſalutatum iuit. A quo iteratis complexibus, magniſque honoris argumentis exceptus eſt. Domum reuerſus, quam ſibi magnifico paratu iam antè inſtrui iuſſerat; ingentem eò confluxiſſe numerum Hiſpanorum, Italorumque deprehendit, ut felicem ipſi gratularentur aduentum. Eumdem poſtero mane inuiſerunt, qui Regià Secretis erant in primis, Petrus Franqueſa, & Ioannes Idiaquius, alijque multi variarum Nationum principes Viri; quibus affirmauit in diſceſſu Franqueſa: *Deberi Marchionis meritis eum Salutatorum concurſum, Regique gratiſſimum futurum tantum officiorum*. Inter eos, qui domum eius honoris causâ frequentarunt, copioſa fuit Militum multitudo è Belgio profectorum, qui porticus, aulaſque implebant. Horum ſin-

[Margin: Vagliadolid. — Ex literis ab Aula Hiſp. ſcript. 2. Aprilis 1605. — Ingẽtes honores, quibus idem afficitur in Hiſpania. — Spinulæ liberalitas in Milites.]

1604. singulis aureum dispensari nummum iussit. Quâ Christianâ liberalitate consequutus id est, ut sub primum in Vrbem ingressum, Marchionis Spinulæ nomen, eiusque singularis benificentia per vias omnes, ac fora resonaret. Communisque vox erat: non magis nosse illum captiuos facere fortitudine Hostes, quàm largitate amicos. Tertio ab aduentu die longè maiori honorificentiâ cumulatus. Namque ante meridiem septem Hispaniæ Magnates eum conuenere salutaturi: Lermæi Ducis Filius Ceæ Dux, Mirandæ Comes, Comes Stabuli, Dux Albanus, Dux Suessanus, Albæ alterius Comes, Asturicæ Marchio. A meridie verò quatuor magnorum dominatuum Oratores, apud Regem agere soliti, ipsius domum honestarunt; Cæsareus, Gallicus, Venetus, Hetruscus. Horum singulis Marchio per dies aliquot inuisendi officium rependit.

Grandi di Spagna. Di Sessa. Astorga.

Magnatum, Principû, Legatorum ad eum côcursus.

INTEREA Rex è venatione reuertit. Eum statim adire, ac genu osculo de more venerari statuit Spinula. Quare Diui Thomæ Apostoli sacrâ luce cum ingenti Asseclarum pompâ, & honorifico Italorum præsertim comitatu, assidentibus Didaco Pimentello, & Stephano Ibarra, regijs magni nominis Administris, ad Regiam opulentâ bigâ inuectus est. In vestibulo regalis Custodiæ Milites omnes inuênit, in seriem utrinque dispositos. Quo ritu Magni Principes aduenæ honorari solent. In primâ Regiæ aulâ Lermæ Ducem cum alijs Primatibus obuium habuit: qui venerabundum Marchionem manu prehensum in aliam deduxit aulam, ubi Rex mensulæ incumbens stabat. Tum altâ voce Lermæus: *Sacra*, inquit, *Maiestas, en Marchio Ambrosius Spinula, qui singulari obsequio regalem beneuolentiam tuam adeo meretur*. Statimque progressus Marchio, propius Regem accessit, genuque flexo regium genu osculatus est. Erigi eum extemplo iubet Rex, manuque humerum fouens, laudauit eius in regijs obsequijs diligentiam: gratulatus est rei bene ad Ostendam gestæ felicitatem: ad maiora pro Deo, pro se tantâ virtute conficienda animauit: patrocinium denique suum, & gratiam benignè spopondit. Grates ille quàm potuit maximas pro tantâ beneuolentiâ reddidit: famulatum suum tot ei nominibus obligatum asseruit: sua omnia, opes, operam, sanguinem, vitam regalibus dedicata obsequijs professus est. His, alijsque talibus ultro citroque prolatis, iteratoque venerationis officio, ab Regiâ honorificè dimissus.

Soldati di Guardia.

Quàm beneuolè, atq; honorificè exceptus ab Rege.

REDDIDIT quòque Regi ab Archiducibus, ac præsertim ab Isabellâ Sorore literas: quibus Marchionis in re promouendâ regiâ studium significabatur. *In Ostendanâ præcipuè obsidione, eiusque for-*

Litter. Archiducū ad Regē pro Marchione.

1604. Ex lit. Isabellæ ad Regē 10. Nouēbr. 1604.

fortunato exitu unà cum virtute, atque solertiâ, ardentem continenter eluxisse voluntatem in existimationem, & commoda Regiæ Maiestatis. Eâ nemini omnium, quos in tam amplâ regnorum ditione subiectos Rex haberet, Spinulam cedere. Quamobrem regalem gratiam, & omnia, quæ tales Viros deceant, amoris, honorisque argumenta eximiè meritum esse. Nec minorem ei deberi remunerationem, ob ingentes in obsidione labores exantlatos, & magnis, assiduisque periculis expositam vitam, innumerasque profusas opes ad alendum Exercitum, ac militares tumultus, qui de more gliscebant, opprimendos. Orare se propterea regiam potentissimi Fratris clementiam: ut tantam in re militari virtutem, in obsequio Principum diligentiam, in se suisque rebus impendendis animi magnitudinem grata mercedis immunes esse nè patiretur. Ita namque futurum, ut alacrior Marchio reuerteretur in Belgium, quemadmodum pollicitus erat: ac maiora in regium obsequium aggrediretur. Hæc ad germanum Regem Isabella.

Eiusdem meritorum testimonium.

Anno 1605.

NATALITIIS Christi Domini ferijs exactis, post initium Ianuarij, Annique millesimi sexcentesimi quinti, Lermæ Dux Marchioni suasit: ut quidquid de Belgico Bello sentiret, scripto traderet. Ad regium quippe Senatum super Imperio haberi solitum, eá de re quamprimùm relatum iri. Morem gessit illico Spinula: & quæ sibi cumque ad id negotij magis opportuna videbantur, accuratè perscripsit. *Illud principio ad partes in Belgio regias superiores reddendas optimum factu censebat: ut bellum in hosticam ditionem transportaretur. Duplex inde emolumentum in Catholicos redundaturum. Alterum, quòd Archiducibus subiecta prouincia, tum sui alendi Exercitûs onere, tum hostilis infestatione, ac frequenti vastatione leuarentur: cùm præsertim belli tam diuturni sumptibus, & damnis attrita iam admodum essent, atque exhausta. Alterum, quòd in Hostium regionem unà cum armis inueherentur sequacia belli dispendia, direptiones Oppidorum, atque Vrbium, Agrorum desolationes, prædationes, incendia, aliaque militaris furoris luctuosa vestigia. Tritum esse in re bellicâ: utiliùs in alieno pugnari, quàm in suo: & Hostem quantò longiùs possis ab domo submouendum. Eum quippe, qui pugnet in hostili ditione, vel ex eâdem præripere alimenta Militibus suis: vel eis uti Hostem prohibere: quippe qua suâ manu corrumpere cogatur, nè veniant in Hostium manus. Multos quòque siue odio in moderatores suos, siuè imminentis Hostis terrore, ad exterum Exercitum transfugere. Quicunque demum pugnæ sit exitus: si vincas, maius esse lucrum, hominum nempe simul, & locorum: si vincaris, minorem esse iacturam, quòd Militem amittas, non ditionem. Quoniam verò inuadentem aliena, præstare oportet vel virtute, vel numero, vel opportunitate: ad Fœderatos in suâ regione op-*

Consiglio di Stato.

Spinulæ consilia de bello Belgico in scriptis data.

Iustinianus. Bentiu. l. 7. Carner. lib. 16.

pu-

1605. *pugnandos; duos saltem Exercitus esse in armis debere, cum ad suas*
Grotius lib. *tuendas prouincias, tum ad infestandas alienas. Nec minoris fore adiu-*
14. *menti paratam in Hollandico freto Classem. Cum Hoste namque rem esse, qui penè in aquis natus, atque adultus, naualisque rei scientissimus; non ampliorem terrâ, quàm mari bellandi campum aperit. Porrò inter omnes Fœderatas prouincias Frisiam videri ad inuadendum maximè opportunam. Per eam siquidem faciliorem patere in Hollandiam traiectionem: atque ex eâ ingentem pecuniæ vim in usum belli Hollandos corrogare. In eo quòque magnum rei gerendæ momentum, & præcipuam victoriæ spem positam: ut prompta perpetuò sit ingens pecuniæ summa, unde tempestiua Militibus stipendia persoluantur, & maturè sumptus fiant in bellicos apparatus. Nihil quippe ab aliquot annis in Belgico bello frequentius, quàm ex eius defectu perniciosissimos Militum tumultus, ac diuturnas ab Exercitu secessiones. Quæ non eo solum graue inferunt detrimentum, quòd Copias vehementer imminuunt, atque ad Hostem superandum inualidas reddunt: verùm etiam quia Milites è Castris effugientes, quasi disciplinæ solutos, ac prorsus exleges in omnem licentiam, audaciamque proijciant: ut ad quærendum rapinis victum, domos expilent, rura deuastent, Oppida populentur, Gentem denique sociam, atque amicam crudeliùs plerunque, quàm Hostes ipsi, funditus perdant. Sed neque rarò euenire, ut ineant cum Hoste fœdus: & quasi parum foret, conculcato militari sacramento, non pugnare cum suis; pugnare etiam audeant contra suos. Denique vel cùm ad concordiam, atque obsequium post multum laboris, & precum, & promissorum reuocantur; eò progredi audaciæ, atque insolentiæ, ut conditiones dare velint, non accipere; atque ipsi sibi rationem*
Fa' i conti. *stipendiorum deducant, eum immani emolumento suo, regij verò ærarij detrimento. Quòd si hæc cum alijs illatis per seditiones damnis ad calculos vocarentur; prudentissimi cuiusque constare iudicio: triplo, vel quadruplo maiorem esse pecuniam, qua in eiusmodi tumultibus dissipatur, quàm quæ in tempestiua stipendia, si suppeteret, impenderetur.*

HAEC à Marchione in scriptis data consilia, atque ad Regem à Lermæo perlata Rex vehementer probauit. Quod extemplo Dux idem ad Spinulam scripsit, monuitque, ut quamprimum ea regijs Administris proponeret: siquidem super eis habendus erat Senatus. Paruit Ambrosius, ac per aliquot dies, dum hæc agitarentur, frequens ad arcana cum Rege colloquia, frequens ad Senatores regios accessit. Inter eiusmodi tractationes animaduertit Marchio, mentem Regis, & Regiorum esse: ut ad Belgicum Bellum reuerteretur ipse quidem, non tamen cum supremâ Castrorum præfecturâ, quàm antea obtinuerat, sed alteri Præfecto subiectus. Simul etiam rei ad eam diem bene gestæ, re- Eadē ab Rege approbata, atque in Senatu proposita.

por-

Res Marchionis feliciter non procedunt, ob inuidiam.

1605.

portatæque victoriæ remunerationem, non eam futuram prospexit, quàm ipse sibi, eique optimus quisque rerum æstimator pollicebatur: ut nempe inter Magnates Hispaniæ (quibus coram Rege caput tegere moris est) numeraretur: sed aliam quampiam longè inferiorem. Hunc ipse euentum ab opinione suâ valde remotum, non ad aliam reuocare poterat causam, quàm ad inuidiam tam subitò natæ, ac tam breui adultæ felicitatis suæ. Quod malum, ut in Aulis magnorum Principum non ultimum habet locum; ita gliscere consueuit inter homines diuersæ Nationis. Igitur diu, multùmque Marchio secum antè scrutatus, quid in tam inexpectato successu consilij caperet: nihil ad opus perducendum putauit inconsulto Lermæo Duce, cuius & potentiam in Regiâ nouerat, & beneuolam erga se voluntatem experiebatur. Itaque cùm eum aliquando conuenisset: animi sui sensa eidem solito liberiùs patefecit.

Ex eisdem lit. ab Aula Hispanica.

Nihil sibi magis fuisse in votis (aiebat) *quàm regiæ Maiestatis obsequijs in Bello Belgico, uti iam instituerat, militare. Verùm recenti se plurium mensium experimento didicisse: id cum fructu præstari non posse, nisi liberum sibi armorum imperium, ut paulò antè in Ostendanâ factum obsidione, permitteretur. Alterius quippe quàm Regis, Regi Senatûs, Archiducumque se subijcere potestati, atque sententiæ; nihil esse aliud, quàm perpetuam quærere controuersiarum, dissensionum, uno verbo, domestici belli materiem. Atqui pluribus se argumentis comperisse, Regi, ac Senatoribus constitutum, ad bellum se sub alterius Ducis imperio remittere: quod præter allatam modò causam; quàm decorum vel sibi, vel Regi sit, neminem non videre. Ut nempe qui paulò antè victoriam tam arduam, tam optatam imperans reportarit: id ex eâ præmij consequatur, ut in posterum pareat. Quare cum eâ conditione militare sibi non liceat; decreuisse, cum bonâ Regis, ac Procerum veniâ, ab externis armorum tumultibus ad patriæ quietem se recipere. Ibi tamen Regis obsequijs, ut cum maximè addictum, ad omnem eius nutum se paratissimum fore. Quod verò ad præteritorum laborum remunerationem attineret: eam sibi futuram satis superque, quam regia benignitas, & Senatorum prudentia rationi consentaneam iudicarent. Neque enim sese ignorare: tam exilia, exiguaque sua esse promerita, ut à quouis vel leuissimo præmio superentur. Animo quidem suo nullum obuersari maius: quàm caput coram Rege tegendi potestatem. Eam summam esse votorum suorum metam. Id si consequi dignus haberetur; bene collocatum se censere quidquid pro regiâ re vel fecisset, vel tolerasset in Belgio. Eius beneficij se memorem tamdiu futurum, quamdiu futurus esset memor sui.*

Recusat armorũ imperium alteri præter Archiducem subiectum.

STETIT ad hæc Lermæus, ob inexpectatam Spinulæ deliberationem

1605. rationem admirabundus: eumque ab eâdem reuocare his rationum momentis aggressus est. *Nequaquam decere spectatam omnibus, & celebratam, ac verbis, rebusque confirmatam Marchionis prudentiam; regijs obsequijs se, suamque operam dedicasse; atque ab eisdem extemplo, nullâ palàm apparente causâ, recedere. Indignam esse Regis in ipsum beneuolentiam tali gratiarum vice: ut regiarum defensio rerum nuperrimè suscepta, tam subitò destituatur. Quid dicturos Archiduces: quibus ad resumendam procurationem belli, fidem suam obligauerit? Quid Commilitones, optatissimum eius reditum expectantes? Quid Belgium, quod ipsius virtute speret sese è rebellium manibus ad legitimorum Principum potestatem redactum iri? Quid Italiam tam insigni Alumni sui victoriâ gloriosam, & iam tùm ab eo alios aliosque sibi triumphos pollicentem? Quid Europam uniuersam, Ostenda tandem expugnata famâ, admiratione, acclamatione resonantem? Hostem contrà magno timore, ac sollicitudine releuatum, quibus incessurum lætitijs, plausibusque? Quos etiam facturum ludos talem bellicæ virtutis æmulatorem, qui vix in puluerem, Solemque prodierit; cùm statim ad umbram paterni tecti se receperit. Iniquum esse tantam militiæ laudem, & gloriam tam subitò exarescere. Neque mereri inclytum Ducis nomen, qui semel tantùm viderit faciem belli. Iturum in omnem posteritatis memoriam; Marchionem Spinulam victorem quidem Hostis fuiße, sed paulùm ultra annum militaße: nec modò uti nescisse victoriâ, quod vitio Ductoribus verti solet; sed fortunam etiam sequentem, atque obsecundantem ultro destituisse. Quòd si Ostenda expugnata non foret, atque obsidio turpiter dißoluta, vel Exercitus omnis ab Hoste profligatus: quod in tantâ desperatione rerum suscipi consilium abiectius ab Duce potuisse, quàm remittere armis nuncium, ac velut ad occulendam ignominiam, in sinum Patriæ inglorium se referre? Quod igitur à victo fieri vix pateretur militare nomen, atque innata nobilitati magnanimitas: id à victore sinè notâ dedecoris, sinè reprehensione prudentum, sinè querelâ omnium, factum iri? Deponeret excelsi vir animi tam vile propositum. Dignos natalibus suis, & pristinæ virtuti pares resumeret spiritus. Maiorum suorum expositam in lumine literarum seriem haberet ob oculos: qui non unâ expeditione contenti, ut gloriâ sempiternâ Familiam, Patriamque cumularent, non antè desierunt militare, quàm viuere. Sin eo recedendi ab armis induerat mentem, quòd munus bellicum alteri subiectum, sibi designatum cognosceret: in animum quòque induceret, eorum Procerum neminem, qui vel in Belgio, vel in alijs Hispaniæ Regnis regijs essent obsequijs addicti, eam administrationem, ut se minùs dignam, recusaturum. Eamdem ad maiorem (uti gradatim ius, & mos est tam ciuilia, quàm militaria munera conferri) gradum fore,*

Vt accipiat, magnopere suadetur ab Duce Lermæ.

sinè

sinè æmulorum inuidentiâ, sinè querimonijs cæterorum. Quos bonæ 1605.
originis degeneres effectus, vel ipsum experimento percipere potuisse: cùm in Ostendanâ obsidione supremum gessit imperium. Neque verò tegendi coram Rege capitis facultatem, qui summus honorum sit in Hispanico dominatu, posse illi tam præmaturè concedi. Quippe si concedatur, nullam in posterum reliquam fore pluribus eiusdem promeritis persoluendam mercedem. Atque adeò quidquid in Regis obsequium, & quantumcumque præstaret, aut sinè remuneratione futurum; quod regiâ munificentiâ indignum erat: aut minore præmio maiora merita compensatum iri; quod iniquum. Non idcirco tamen inanem ipsum ab regio conspectu, Aulâque recessurum. Namque inter aurei Velleris Equites cooptatum iri: reditus haud exiguos, ac titulum aliquem principatûs, si postularet, nullo negotio consequuturum. Per hos gradus, ubi constanter in Belgicis Castris, ac regijs obsequijs militaret; ad summa quæque honorum fastigia Italicum nomen, & Spinularum Familiæ splendorem auitum præ cæteris euecturum.

His Lermæi Ducis hortatibus,& promissis recreatus quidem nonnihil Marchio fuit: non tamen quidquam de suâ sententiâ dimotus. Interea verò Tabellarium ad Archiducem Albertum cum literis transmisit. Querebatur in eis: *Æmulorum sua gloriæ inuidentium artibus, viam sibi obstrui ad maxima quæque munera ab regiâ benignitate consequenda. Eorumdem astu Belgicam armorum administrationem sibi destinatam vehementer imminui. Post tot exhaustos in obsidione labores, & reportatam Diuino munere victoriam, imperium sibi multò quàm antè humilius, nempe alteri, præter Archiducem, subiectum demandari. Quo verò se ore posse coram uniuerso Exercitu, imò Belgio toto, id sustinere: à quibus paulò antè visus supremus, atque à Principe secundus Militum Moderator, iam ab alterius pendere nutu, eiusque sequi iussa videatur? Atqui non eam spem inter sudores bellicos conceptam: non ea sibi promissa ab humanissimis Archiducibus data. Quin ab eisdem non semel sanctissimè promissum; suâ operâ, studioque quidquid ab Rege postularet, ipsum facillimè impetraturum. Iam verò pollicitationibus euenta minimè respondere, non quidem Archiducum sedulâ curâ subductâ, non regiâ in eos beneuolentiâ languescente: sed inuidorum malis artibus obicem incrementis fortunæ suæ opponentibus. Earum interiectu non leuem offusam umbram felicitati suæ iam tùm orienti. Quare si reuersionem in Belgium amaret suam, si continuatam in bello operam gratam haberet, obtestari se, ut ad Regem quamprimùm scriberet, ac negotia sua de meliore notâ commendaret. Rei quippe bene gestæ optatos exitus magno esse incitamento ad rem denuo bene gerendam.*

Marchionis ad Archiducẽ querelæ per literas.

Dum hæc Archiduci per literas aperit Marchio: Lermæus ægrè

1605. ægrè ferens, eum adhuc in susceptâ deliberatione persistere; iterum ei scripto persuadere conatur, ut destinatum munus accipiat. *Beneuolentiæ in ipsum suæ tribuat: quòd repudiatum semel ab eo consilium, rursus offerre non abnuat. Ipso recusante, non defuturum magni nominis, ac meritorum Virum, qui sibi id ultro deposcat, ac subitò consequatur.* Ad eum Spinula in hæc ferme verba rescripsit. *Quàm multum singulari eius humanitati deberet, intelligere se magis, ac magis in dies. Id verò se maximum agnoscere profusæ beneuolentiæ argumentum: quòd de Bellico munere sibi oblato nihil decernere voluerit, aut id alteri, vel optimè merenti committendum curare; nisi priùs mentem super eo suscipiendo suam iterum explorasset. Grates quàm posset maximas ob tam benignam voluntatem habere, atque agere: neque unquam eam ex animo recessuram. Cæterùm quod ad rem propositam attineret, in eâdem se perstare sententiâ. Paratum tamen esse ad regium nutum quâcumque conditione, vel gregarij Militis, bellatum redire in Belgium. Si verò id integrum in suâ potestate relinquatur: prorsus indecorum sibi eâ, quæ proponebatur, ratione militare. Quamobrem se ultro cedente, alteri demandaretur id muneris: quem sanè, quisquis futurus esset, longè se in omnibus præstantiorem fateri, præterquam in regalis obsequij studio, atque ardore.*

Lermæ Dux urget Spinulam, sed frustra.

NON tamen aut repetitis adhortationibus fessus, aut geminam repulsam indignatus, Lermæ Dux eumdem voluere lapidem cessauit. Optimè quippe intelligebat prudentissimus Princeps, quanti ad res in Belgio regias promouendas momenti esset Spinulæ Marchionis reditus ad Belgicum bellum. Igitur ut extremos ad id conficiendum adhibeat conatus; Stephanum Ibarram arctissimâ familiaritate, ut olim Friderico Fratri, ita nunc Ambrosio coniunctum, ad hunc delegat, ut neruis contendat omnibus rem propositam persuadere. Verùm neque amicitiæ vis, neque argumentorum pondus constituti tenacem animum, & decori seruantem in contrarium deflectere potuerunt. Quare destinatum ei bellicum munus Augustino Mexiæ, magnæ virtutis, atque experientiæ in rebus militaribus Viro, quique iam fuerat Antuerpiensis Arcis Præfectus, collatum fuit. Quod Marchionis æmulatoribus pergratum accidit: eâ ratione à regijs obsequijs penitùs eumdem submotum ratis. Is namque propositus inuido scopus est, non ut consequatur ipse, quod inuidet bonum, sed ut alter amittat. Spinula contrà, (quod magnanimi proprium est) gaudere sibi, quòd refugisset munus sibi parum eâ conditione decorum: gratulari alteri, quòd idem optimè meritus accepisset.

Munus oblatum Spinulæ, alteri datur.

INTER hæc frequentes literæ venerunt è Belgio, quibus di-

fortè significabatur, quàm ingratum, ac triste subiectis Regi prouincijs contigisset, quod nunciatum fuerat, Marchionem Spinulam ad bellum Belgicum minimè reuersurum. Relatum eâ de re ad Archiducum Senatum. Et quamuis omnium in votis esset Marchionis reuersio: quia tamen iam declaratus Mexia fuerat, nihil immutandum censuere. Non defuit inter Consiliarios, qui consilium proponeret, quo & Belgarum desiderijs, & electi existimationi consuleretur. Vt nempe Mexia cum supremâ Castrorum præfecturâ mitteretur in Belgium: Spinula verò seorsim summum haberet imperium Exercitûs in Frisiam deducendi. Verùm quòd hunc cogere non erat eo tempore decretum; non potuit id consilij suscipi. Reuertit interea Tabellarius è Belgio literas ab Alberto, atque Isabellâ referens ad Lermæum Ducem, ipsumque Regem, pro Marchionis reditu efficacissimè perorantes: ad Marchionem alias consolationis plenas, optimæque de rebus ipsius spei. Ponebant priores ob oculos: *Non opportunam modò, ac salutarem, sed & necessariam esse Marchionis in Belgium reuersionem. Ut Ostendana obsidio pro Catholicis feliciter, ad finem perducta sine illo non fuerat: ita nec bellum contra rebelles continuari posse cum aliquâ spe victoria, nisi sub eodem armorum moderatore. Unam esse Populorum in fide manentium vocem: Spinulam calitus datum esse ad Catholica rei defensionem in Belgio; ad Hostium terrorem, exitiumque: Spinulam pra cateris restituendum Copiarum imperio, quod tantâ prudentiâ, sollicitudine, felicitate nuperrimè gessisset. Ut eò lubens, atque alacer reuerteretur, nullam petitionem ab Rege, nullam ab Regio Senatu conditionem denegandam.* 1605.

Archiducum literæ ad Regem, aliosque

HAEC, atque talia cùm literæ illæ vehementer inculcarent, tantum habuere ponderis apud Regem, ut quocumque pacto statuerit ad Castra Belgica Marchionem remittere. Igitur cum Ventosillæ tùm degeret, Lermæum, & Spinulam ad sese acciuit. Ibi solidos octo dies inter se res eas agitarunt. Ad extremum decretum, ut supremam Castrorum in Belgio præfecturam gereret Marchio, nulli, præter Archiducem, subiectam, & quingentis in singulos menses aureis dotatam. Mexiæ verò id muneris compensatum aureorum octo millium pensione annuâ. Pecuniæ quòque regiæ supremam in Belgio administrationem accepit Spinula, ab ipsius Archiducis potestate absolutam: menstruis pariter aureis quingentis ob eam curam attributis. Vtrumque munus regio diplomate, verbisque amplissimis declaratum.

Marchio remittitur in Belgium cū armorū supremo post Archiducem imperio.

TESTABATVR in eo Rex: *Ad supremum Castrorum imperium virum requiri bellicâ virtute, integritate, ac diligentiâ cateris pracellentem: quique militaris rei peritiâ polleret in paucis. Ea cuncta,* *Regis patētes litera 3. Martij anno 1605.*

Regium diploma super eo.

aliaque

1605. *aliaque decora in Ambrosium Spinulam Venafri Marchionem optimè conuenire. Eumdem de Hispanico Regno benemeritum, cùm octo Italorum Peditum millia suis stipendijs conduxit in Belgium; quorum virtute Hostis depulsus est totâ Brabantiâ, quam ingentibus copijs inuaserat: multaque praeterea subducta detrimenta, quae passuri erant Catholici, nisi subsidium illud tam opportune adfuisset. Id verò totum eximia Marchionis industria deberi. Post obitum quòque Friderici Fratris, eumdem ad Bellum Belgicum celeritate maximâ se retulisse. Ibi sapienter ab Archiduce Alberto praelatum omnibus in supremâ Ostendani obsidij administratione. Quam ab eo tantâ prudentiâ, bellicâque arte gestam: ut Deo fortes conatus bene iuuante, tandem expugnata Ostenda fuerit eo maximè tempore, quo facillimè in illam poterat hostile Subsidium introduci. In alimenta quòque Militis, ac stipendia cùm pecuniam de suo suppeditasset; multa eum auertisse damna, & discrimina, quae prorsus impendebant. Promeritis eis omnibus regiam gratiam, ac beneuolentiam optimo iure sibi comparasse. Quare praeteritis rebus bene gestis spem futurarum haud dubiam facientibus; ut regia in Belgio arma non minùs prosperos in posterum successus haberent, eligi ab se, ac nominari, patentiumque omnibus literarum testimonio declarari Marchionem Spinulam supremum in Exercitu Belgico Castrorum Praefectum cum uniuersâ, quâ quis unquam id muneris gesserit, auctoritate, ac potestate. Adeòque in omnes militiae Praefectos, atque Urbium, Arciumque Praesidijs impositos cuiuscumque auctoritatis, & gradus, cunctosque regalis aerarij Curatores summum ei ius, atque imperium esse: ipsiusque iussa, seu voce data, seu scripto, pro legibus habenda. Quod ut integrè, sanctèque seruetur, eidem Archiduci magnopere commendatum.*

QVO verò magis ex mente regiâ praefecturam illam Marchio exerceret; data quòque ab Rege in scriptis huiusmodi mandata.
3. Martij. *Primùm ut quàm posset maximâ celeritate iter haberet in Belgium, quandò iam in Campum prodeundi tempus instabat; saluâ tamen in ea festinatione curâ salutis, quam ei vehementer iniunctam volebat. Regiae pecuniae in rem uniuersam militarem insumendae procurationem supremam, quâ se Archidux exonerari poposcerat, ipse susciperet cum absolutâ in omnes Regij aerarij Administros auctoritate: eamque pro suâ prudentiâ, industriâque, ubicumque foret opus, impenderet. Opportunitatibus Exercitûs maturè consuleret: nè stipendiorum defectu tumultus, ac secessiones Militum, aliaque consueta belli damna consurgerent. Arces etiam, ac praesertim Antuerpianam, Gandauensem, Cameracensem ab omni parte munitas, atque alimentis, omnique apparatu bellico satis instructas perpetuò haberet. Equitatum expeditum semper esse, & quocunque necessitas accerseret, celerrimè traducendum curaret.* Regia instructio in scriptis.

CC 2 *Annuo*

Annuo bellandi tempore exacto, cùm ad hyberna Copiæ dimittuntur; Milites circumiectarum regionum incolas redire domum iuberet: ut sumptu in ijs alendis ingenti, tam regium ærarium, quàm fideles Regi prouinciæ leuarentur. Decretum in Regio Senatu, Archiducique præscriptum (quod & ab ipso Marchione præmonstratum) ut duo Exercitus essent in procinctu: quorum alterum Peditum vigesies mille, Equitum bis mille quingentorum in hosticam ditionem Transrhenanam Marchio deduceret; eam quippe futuram maioris momenti expeditionem: alter ex decem millibus Peditum, Equitibus mille quingentis ad Flandriæ defensionem, è regione Slusæ collocaretur, eique Archiducis assensu à Spinulâ præficeretur, qui cæteris belli peritiâ, fide, ac sedulitate præstaret: oppugnare tamen eam vetaretur, donec opportunitas temporis id suaderet. Cùm verò nihil esset optabilius, nihilque sibi euenire iucundius posset, quàm ut rebelles Populi ad sui Principis obsequium sinè sanguinis effusione redirent: id præ omnibus Marchioni curæ, cordique esset, ut si quis fortè patefieret aditus ad honestam concordiam, vel certè inducias cum Hoste paciscendas; eam occasionem nullâ ratione prætergredi pateretur: imò ad eamdem urgendam, & rem conficiendam, vires, industriamque omnem adhiberet. Et siquidem qui superior armis est, faciliùs pacem Hosti persuadet: eâ potissimùm viâ bello tam pertinaci finem, aut modum aliquem imponere conaretur. Cætera, quæ præscribi, ac mandari possent, ad tanta molis negotium ex sententiâ peragendum; spectata satis Marchionis prudentiæ, solertiaque reseruari: ab eoque sperari posse prosperum omnem euentum. De cunctis verò, quæ sese offerrent, maioris momenti rebus accuratè, maturè, ac singillatim se faceret certiorem. 1605.

Quibus honoribus affectus Marchio ab Rege, ac Regijs.

His acceptis mandatis, ad reditum sese Spinula parauit. Interim verò magnis ab Rege honoris significationibus cumulatus. Destinati ad custodiam corporis Milites, stipendijs ex ærario regio persolutis. Alij complures ex Vrbis nobilitate ad eius Familiam attributi, regijs pariter sumptibus alendi. Inter aurei Velleris Equites Marchio designatus: quo tamen honore insigniendus erat Archiducis manu. Marchionis quòque titulum iam tùm usurpandum impetrauit maximo natu Filio Philippo, qui magnam in spem educabatur, atque in amplam successit paternæ non tam rei, quàm virtutis, & gloriæ hæreditatem. Eidem, & minori Fratri Augustino, qui postea Romanam purpuram, & Compostellanam, atque Hispalensem tiaras virtutibus, ac benefactis illustrauit; id concessit muneris Rex, ut ad Hispanicam Aulam euocati, in obsequium Reginæ præstò essent honorarij Ephebi, Meninos vulgò appellant. His, alijsque publicis honorificentiæ argumentis palàm fecit omnibus Rex, quantam cepisset

Soldati di guardia.

Caualieri del Tosone.

1605. ſet animo de Marchionis virtutibus, & meritis exiſtimationem. Quòd ſi maieſtas illa, quæ raram admodum inuenit in terris parem, tanto eum in pretio habuit: quid Aulæ Proceres ab regio ſemper nutu pendentes, quid Hiſpaniæ Principes, ac Magnates egerint, pronum cuique eſt aſſequi coniectura. Id certè miſſis ex Hiſpaniâ literis conſignatum: Marchionem Spinulam animi modeſtiâ, ſuauitate morum, agendi dexteritate, ſplendore munificentiæ omnium ſibi Procerum beneuolentiam demeruiſſe. Nullus adeò locus eſt, ubi vera virtus non agnoſcatur; & gemellos non educet partus ſuos, beneuolentiam, & venerationem. Imò ſi qui principio alieno erant in eum animo, inuidentiâ tantæ, ac tam repentinæ felicitatis; ad extremum tamen viri integritate, cæteriſque perſpectis laudibus, priſtinos ſenſus in amorem, & obſequium commutarunt. Quod ſanè miraculo fuit in extero homine, parumque aulicis artibus aſſueto. Diſceſſit in Belgium Spinula nono Calendas Aprilis: eòque priùs quàm accederet, ad opus perducta cognouit, quæ cum Rege, regioque Senatu deliberauerat.

Nouæ Copiæ cogũtur pro Belgio.

Iuſtinianus lib. 3. & 4. Carnerus l. 16, c. 1.

IAM enim è Neapolitano Regno duæ Legiones, una ex Inſubriâ conſcribebantur ad Bellum Belgicum adducendæ. In Hiſpaniâ Militum duo millia cogebantur, eòdem maritimo itinere deportanda. Ingens pecuniæ ſumma conflata, tam ad alendum in eum annum Exercitum, quàm ad ſtipendia ijs perſoluenda, qui tumultuantes Ruræmundam ſeceſſerant. Archidux verò Comitibus Balthaſſari Billio, & Chriſtophoro Embdenſi, Claudioque Barbanſonis Domino imperauerat, ut ſuam quiſque contraheret è Germaniâ Legionem: ſimulque Erardo Leodicenſi Maleſæ Domino, ut unam è ſuâ Natione conſcriberet. Quæ iam erant in acie, tum è Germanis, tum è Vallonibus, ſed admodum imminutæ, ſuppleri ad iuſtum numerum iuſſit: quod etiam de turmis equeſtribus mandauit. Scripſit & ad Hiſpanicum, & ad ſuum apud Angliæ Regem Oratores, ut ab eo poteſtatem peterent tres conflandi Legiones, Anglorum, Scotorum, Hibernorum. Eodem verò tempore, quo Marchio morabatur in Hiſpaniâ; migrauit è Belgio Ferdinandus Gironus: cui ſubiectam Legionem Albertus Alphonſo de Lunâ Liræ Gubernatori regendam dedit. Quam verò moderabatur Oignius, poſtquam Oſtendæ præfectus fuit, Maximiliano Boſſuti Comiti ab eodem eſt demandata. Belgicâ quòque legatione defunctus egregiè, receſſit in Hiſpaniam Balthaſſar de Zunigâ: eiuſque in locum Lacunæ Marchio ſuffectus. Nec defuere principes Europæ Viri, qui vel Oſtendanæ victoriæ famâ prouocati, & militaris gloriæ cupidine pellecti,

Truppe.

vel

vel ut in Belgicâ illâ belli palæstrâ generosam virtutem exercerent, eò certatim confluerent; quorum præcipui recensentur: Andreas Matthæus Aquauiua Aragonius Casertæ Dominus, Franciscus Columna Prænestinus Princeps, Ludouicus Monesterius Terraliæ Dominus: quos magna Militum vis comitabatur. Cùmque tantus ex parte Catholica strueretur armorum apparatus, non sibi cessandum duxere Fœderati: sed ingentem ipsi pariter Exercitum è Germaniâ contraxerunt, Ioanne Philippo Fuxio Ductore. Hunc nauibus impositum in promptu habebant, quòcumque vocaret opportunitas, facilè transportandum: magnæque confidentiæ facinori, quod paulò pòst memorabimus, admouerunt. 1605.

Redux in Belgium Marchio quâ latè acceptus.

PERVENIT interea Spinula Bruxellas quinto Idus Aprilis, qui dies tùm erat sanctioris hebdomadæ postremus. Opinione maius est, quantâ exceptus fuerit significatione lætitiæ, ab Archiducibus primùm, qui eius reuersione magnâ se videbant belli curâ, & sollicitudine leuari: tùm à Belgicis populis in Regis fide manentibus, quorum salus, & securitas in Ambrosij manu, consilioque posita videbatur: ab Exercitu demum, qui cùm eum experimento multiplici probè nosset, amore tantæ virtutis inflammatus, tot mensibus eius reditum suspirauerat. In communium cumulum gaudiorum, post paucos abaduentu dies, eum Archidux aurei Velleris Equitem solemni ritu cum omnium plausu declarauit. Hunc ipse gradum honoris, in Hispanicâ ditione præcipuum, non præteritorum operum, ac laborum remunerationem censuit, sed incitamentum, & calcar futurorum. Quare statim ad bellicas curas, magnique molem imperij mentem omnem adiecit. De regiâ deliberatione, bellum scilicet in Frisiam transportandi, cum Alberto in consilium venit. Vtque res clam Hostibus esset, atque in partes alias ab eâ, quàm aggredi destinabant, illorum animus, & propugnandi cura auerteretur; viciniora aliquot loca se inuasuros simularunt. Igitur Alphonsum de Lunâ Bredam versùs Legionem suam deducere iusserunt: Pompeium Iustinianum Bergam ad Zomam, Inicum Borgiam Grauiam transmiserunt. Ipsemet Marchio se contulit, ad Isendicam, Ardenburgum, Slusam, loca Fœderatis non ita pridem adiuncta recognoscenda. Et quia prudentis est Ducis, quod occultum esse Hosti velit, celare priùs Militem suum; ut confictâ expeditione veram obtegeret; in bellico Senatu Spinula à Præfectis Exercitûs, & belli Consiliarijs frequens rogare sententiam de Slusâ, de Grauiâ, de Bergâ oppugnandis, expugnandisque. Denique aliud omne palàm agitare consilium, quàm quod animo volutabat.

Aurei Velleris insigni ornatur ab Archiduce.

Iustinianus lib. 4.

Expeditionem in Frisiâ dissimulat.

IN-

1605. INTER hos belli apparatus, velut ad eorum aſperitatem leniendam, interiecta ſunt, tam in Belgio, quàm in Hiſpaniâ iucundiora ſpectacula ob fœlicem ortum Hiſpaniarum Principis, Philippi eo nomine Quarti. Militares utrobique acies explicatæ: ſed ad pompam magis, & ſcenam factæ, quàm Marti addictæ: ſimulacra belli acta, ſed planè ſimulacra: diſploſa ſinè numero, aut ceſſatione tormenta, quæ commune gaudium euulgarent. At Fœderati, quibus nouus, ac tantus Hoſtis naſcebatur; nihil minùs, quàm feſtos ignes, aut militares pompas cogitare; & formidoloſa, non ſpecioſa certamina machinari. Eodem quippe tempore, quo Belgium Catholicis Principibus ſubiectum in omnem effuſum lætitiam, à triſtibus belli curis aliquantùm reſpirat: opus architectantur, quod inopinatam eidem afferat, immanemque perniciem. Publica lætitia ob natum Hiſpaniæ Principem.

La Schelda. Iuſtinianus. QVA Scaldis Antuerpiam præterlabitur, Brabantiamque, cuius in finibus Vrbs ea eſt, diſterminat à Flandriâ; ad eruptiones tanti fluminis coërcendas, ubi præſertim æſtuans vicinum mare ipſum ingeminat, continentes in utrâque ripâ aggeres eriguntur. Tribus verò ab Vrbe leucis diſſitum ingens propugnaculum eſt Zelandiam verſùs, ac mare, cui Lilloo fecere nomen: alterum minus è regione in aduerſâ ripâ, quod Liechfenſucum appellant. Ambo tunc erant in poteſtate Fœderatorum. Nec longè inde tertium à Cruce nominatum. Propius Vrbem alia tria munimenta, velut in trigònum inter ſe diſpoſita, conſurgunt haud procul Calloo Pago: quorum unum Diui Philippi vocabulo in Brabanticâ ripâ eſt: alterum Diuæ Mariæ, ac tertium Perlæ dictum, *Dicco, ò Argine.* in Flandricâ. Hinc magis accedentibus ad Vrbem agger conſpicitur aggeri fluminis tranſuerſus, quem Bloccherium vocant. At *Teuremõda.* ex alterâ Antuerpienſis Agri parte, quæ ſpectat Teneræmundam, *Malines.* & Mechliniam; propugnaculum aliud eſt, Borctum vulgò proximi Pagi nomine vocitatum, atque Alexandri Parmenſis Ducis iuſſu tunc erectum, cùm eâ Vrbe, immenſàque ſimul gloriâ potitus eſt. Conſilium itaque Fœderatorum fuit, inopinata irruptione ſubitariam Claſſem in Scaldim immittere, quâ parte fluuius is Zelandiam alluit: tùm in Flandricam ripam repentè deſilire, aggeribusque non uno loco perruptis, ad Borctum præſertim, & Blocchérium, viam flumini amplam aperire, quâ ſeſe tunc effuſiùs euolueret, cùm vicino mari æſtuante tumentes un- *Carner. lib. 16.c.1.* dæ per illud vel decem leucas Antuerpiam ultra, Mechliniam, ac Teneræmundam uſque prouehuntur. Eâ ratione Flandriæ latere Antuerpiam reſpiciente, aquis latè ſtagnantibus ſuperfuſo, eòque Claſſe inuectâ, circùmque munitâ; ad ferendum ei Vrbi ſubſidium Varia propugnacula in Scaldis ripis.

dium

dium, iter Catholicorum Copijs obstruebatur. In aduersam pariter Brabanticam ripam irrumpere decreuerant, scissisque exstantibus ex eâ quòque parte aggeribus, Antuerpianum Agrum aquis obruere. Quæ verò loca præ celsiore situ inundari non poterant, occupare animus erat, structisque munitionibus obuallare: nè quis pateret aditus subsidiarijs nauibus Catholicorum. Ita præter opinionem omnium circumsessam Antuerpiam in suam potestatem eò faciliùs venturam sperabant, quòd in ea non deesse nouerant aliquot Huguenotos, aliosque suarum Partium studiosos. Sed magnæ molitiones, quia multis opus habent, in arcano esse non possunt. Non fefellit ea machinatio Spinulam, in omnem sui muneris partem continenter intentum, ac vigilantem. 1605.

Fœderati moliuntur Antuerpia potiri.

SCRIPSERAT iam antea Saffiæ Arcis Præfectus ad Archiducem: *Ad se perlatum, Fœderatis animum esse in Flandria fines nauibus descensionem facere, aggeremque Calloum ducentem interscindere: idque quamprimùm.* Eâ de re commoneri statim Spinulam Albertus iussit: ut, si opportunum videretur, eò Copias aliquot immitteret ex eis, quas Buquoius Comes regebat in Flandriâ. His Marchio acceptis, Præfectum ipsum Saffiæ conuènit: deque re collocutus, non ob auctorem nuncij, qui magnæ fidei non erat; sed quòd pronum euentu id foret, occurrendum maturè periculo ratus, partem illam maiore Militum robore firmandam censuit. Itaque Simonis Antunij, vel Alphonsi de Lunâ Copias eò destinauit. Postridie verò ad aggerem ipsum Calloi perlustrandum se contulit. Neque ita multò pòst Inicum Borgiam suam deducere Legionem iussit in Vasiæ terræ Agrum, qui in finibus Flandriæ contra Zelandiam est, signis, atque impedimentis relictis, ad maiorem itineris celeritatem: ibique ad Sancti Gilij, quod appellant, Oppidum Castra ponere. Ad proximum verò Diui Nicolai Pagum Burgundiones quadringentos eodem tempore transmisit, qui pariter Borgiæ parèrent. Duo quòque tormenta eòdem pertrahi mandauit. Eidemque Tribuno magnopere iniunxit, ut si Hostis ex eâ parte descensionem facere tentaret; viribus omnibus obniteretur. Quibus Borgia imperatis diligenter obsequens, postridie designatum tenuit locum: Stationes autem Militi quinque in totidem Vicis, ex præscripto Marchionis distribuit. Atque in eo præsertim, quem Molsem dicunt; propterea quòd Calloi aggeris est in fronte, quadringentos Milites collocauit. Eumdem aggerem ipse Spinula sedulò circumspexit, & quâ oportuit ope muniuit. Hulstano verò Gubernatori imperauit, ut singulis noctibus, æstu crescente, triginta Equites ad Calloi

Ex lit. Ioan. Mansicidor. Archiduci à Secretis ad March. Spinulã 26. April.

Marchionis industriç aduersùs Hostes.

Ex literis Marchionis ad Mansic. 27. April.

Ex lit. eiusdem ad Borgiã 7. Maij.

Sbarcare.

Ad eundem 9. Maij.

11. Maij.

1605. loi aggerem mitteret, Borgiæ illic imperata facturos. Ipsi etiam Borgiæ scripsit: ut per idem temporis aggerem illum à trecentis minimùm Militibus custodiendum curaret. Et Antuerpianæ Arcis Præfecti Vicario mandauit, ut quâuis nocte ad locum, quem Flandriæ Caput appellant, eas Copias transmitteret, quas satis fore censeret ad eius tutamenium. Quoniam verò de Borgiæ virtute, prudentiâque belli multum sibi tum Archidux, tum Spinula pollicebantur, eiusdem imperio in eâ defensione subiecere Alphonsum de Lunâ, & Balansonis Dominum cum ipsorum Legionibus. Quibus adiuncti Equites quingenti Antuerpiam ituri. Eius autem Arcis Præfecti Locum-tenenti imperatum, ut tantum ei suppeditaret Militum, quantum educi posset sine illius Præsidij detrimento. His Borgia Copijs instructus iubetur Diui Philippi, & Crucis munimenta recognoscere, eademque, quanto sit opus, Milite roborare. Antonius cum suis mittitur in Vasium Agrum: Pompeius Iustinianus Antuerpiam adeò festinanter, ut signa, atque impedimenta omittere iubeatur. Equitibus Ludouico Melzio, Lælioque Brancatio per literas mandatur, ut sarcinis pariter, & vexillis relictis, Bilbrucum celeritate summâ cum suis Legionibus immigrent, atque antequam eò perueniant, certum hominem ad Marchionem mittant, qui ex eodem cognoscat, quid agendum. Lunæ verò præsertim iniunctum fuit, ut cum suo Milite ad Hulstum, Arcemque Sassiam aduersùs incursiones Hostium excubaret.

13. Maij.

Marchio ad Lucium Marchionem Pallauicin. 16. Maij. Ad eos 15. Maij. Bilbruch.

Iniei Borgiæ existimatio.

DVM his, alijsque opportunis belli apparatibus prouidenter in omnem partem dispositis obuiàm itur hostilibus tentamentis; quæ tamen nondum erant penitùs explorata: accepit Archidux appulisse Duncherchan Angliæ Regis Legatum Eduardum Seimerum Herfordiæ Comitem, unàque Thomam Edmundum moraturum apud Archiduces Regium Oratorem. Missus ille fuerat ab Rege ad sanciendas in Aula Bruxellensi conditiones pacis nuper initæ inter Anglicum Regem Iacobum, Regemque Hispaniarum, atque Archiduces Belgij Principes. Igitur ad eos quâ par erat honorificentiâ excipiendos, obuiàm Albertus, atque Isabella misère Aulæ suæ Proceres, & florem Nobilitatis. Mox in Palatio accepti regifico splendore. Ibidem pacis conuenta utrinque iureiurandò firmata.

Gaspar Ens lib. 25. Thuan. lib. 133.

Angliæ legatio ad Archiduces.

MAVRITIVS interea centuriatis septem Peditum millibus, Equitibus mille quingentis, nouemque tormentis bellicis aduectis, Bergâ ad Zomam digressus decimo septimo Calendas Iunias, Antuerpiam versùs Castra mouit. Vnoque tempore Ernestum Comitem Nassauium, impositis supra naues quingentas

Iustinianus. Carnerus. Hareus anno 1605. Bentiu. l. 7. Thuanus. Grotius lib. 14.

Fœderatorũ Exercitus, & Classis cõtra Antuerpiam.

tas (alij quadringentas, pauciores alij numerant) octo Peditum millibus, per fluuium Scaldim eodem prouehi iussit. Obseruauit has è longinquo naues Hulstanus Gubernator: cùmque eas minimè aduersùs se ferri animaduerteret, Hulsti inuadendi ab Hostibus metum deposuit. Quare Ioannem Cesatem monuit, ut cum Equitum turmâ sibi subiectâ illico prodiret: rem ad Borgiam deferret; eidemque se adiungeret. Eo comperto Borgia Balansonium cum suis Burgundionibus ad Bloccherium aggerem immisit: ipse cum Hispanis ad aggerem Calloi properauit. Ernestus ubi Lilloum tenuit, stare in anchoris naues iussit. Cùm verò æstu surgente aquæ intumescerent, sub noctis ferè dimidium, cursum prosequutus est Antuerpiam versùs. Vix autem ad Crucis propugnaculum peruenerat, cùm displosa inde tormenta fulminare in Classem cœpere. Quo fragore admonitus Borgia gressus cum suis accelerauit. Iamque nocte abeunte in diem deprehensæ sunt naues inter Diui Philippi, & Perlæ munimenta. Multæ utrinque bombardæ exoneratæ non leuem Fœderatis perniciem intulerunt. At Borgia veritus, nè illi obices perfringere molirentur inter Calloum, & Bloccherium aggerem constitutos, trecentos Pedites impulit, & cum suâ turmâ Ioannem Cesatem: qui naues insequerentur, aggeris obtentu tecti, nè ab Hoste dignosci possent. Progressus tamen Cesares est cum Equitibus triginta: & naues animaduertens eò contendere, ubi olim Farnesius in Antuerpiæ obsidione illâ memorabili aggerem interrupit; acceptos à Balansonio, qui Bloccherium seruabat, Burgundiones ducentos eodem loci collocauit. Tùm ad Borgiam regrediens, eumdem paulò pòst obuium habuit. Trecentos Pedites secum is deducebat, & celeritatem necessariam ratus, reliquam Legionem cum duobus tormentis ponè subsequi iusserat: atque Alphonsum de Lunâ Calloi aggerem custodire.

Vbi Farnesianam scissuram (sic enim appellatur) Classis Batauа tenuit, subsistere iussa est: eodemque ferè tempore Mauritius cum Exercitu, terrestri itinere, ad Brabantiæ latus aduersum peruasit: atque Eccheram Pagum insedit, passibus mille seiunctum Antuerpiâ. Ex ijs, qui nauibus vehebantur, octingenti, præter arma, ligonibus, aut palis instructi descenderunt in lembos, eosque in Flandricam ripam contra scissuram, quam diximus, adegerunt. Vix eorum quadringenti terram attigerant: cùm Borgia, Socijque, qui non procul in insidijs latebant, eos nil tale opinantes adorti sunt, adeòque fregerunt, ut ipsorum multi cæsi, alij aquis demersi, plerique capti fuerint. At bellicæ naues, quique ad Borcti aggerem interrumpendum fuerant destinati, postquam

Marginal notes: 1605. — *Tagliata, ò Cortadura.* — *Ex lit. Antuerp. Pauli Turry, 20. May 1605. Gaspar Ens.* — Borgia prope Antuerpiâ Mauritianos profligat. — *Star in agguato.*

1605.
Vn tiro di bombarda.

quam tam propè aberant Antuerpiâ, quàm longè bombardæ ictus eiaculatur: de infelici suorum ad Bloccherium euentu edocti, substiterunt in anchoris, neque descensionem ausi sunt, Sociorum periculo facti cautiores. Borgiana interim Legio ad aggerem Bloccherium deuenit, tormentumque unum peruexit, altero viarum difficultate retardato. Illo tamen uno in Hostium naues tantum intulit detrimenti, ut ab incœpto desistere coacti sint.

Antuerpienses pugnæ spectatores.

HAEC dum ante Vrbis mœnia gererentur, Antuerpiani velut ad spectaculum aliquod confluentes (sed cuius, ob impendens periculum, ipsi magna pars erant) insolito concursu muros, ac turres ex eo latere omnes occuparunt: atque inde ingentem nauium numerum, & certamen, incertum, terrestrem-ne dicendum, an nauale; spem inter, metum que positi, prospectabant. Iam Rustici ex agris greges in Vrbem compulerant: iam pretia rerum ex obsidionis formidine augebantur. Nec leuiter ab uniuersâ Ciuitate trepidatum est. Sed Archiducis prouidentia, & Spinulæ diligentia, ad publicam salutem coniunctæ, Antuerpiam timore omni, ac periculo liberarunt.

Eorumdem trepidatio.

Naues aliquot Hollādicæ perditæ.

MAVRITIVS magnâ spe deturbatus, Militem in terram è nauibus eduxit, nè maiorem perniciem in regressu ab hostilibus tormentis acciperet. Eam naues omnes declinare non potuerunt. Septem namque, bombardis è propugnaculis, inter quæ reducebantur, quassatæ, haustæque fluuio sunt. Mauritius verò cum Exercitu Bergam, Bredamque versùs iter arripuit. Cæsi dicuntur è Fœderatis centum, præter illos, qui aquis absorpti: captiui ab Hispanis in Antuerpiensem Arcem perducti supra octoginta, atque inter eos duo Centuriones, unus Signifer: à Burgundionibus verò ad ea, quæ memorauimus, munimenta centum quinquaginta. In summâ qui desiderati sunt ab Hollandis, in Marchionis ad Regem literis quingenti, sexcenti-ve numerantur. E captiuis quidam narrauit, in eo quo ipse vehebatur nauigio, uno ictu tormenti duodecim perijsse. Hunc rei euentum Marchio ad Regem, regiosque Proceres perscripsit: eiusque gloriam ab se in Borgiam reiecit: raro Ducum, ac militarium Virorum exemplo; qui tam auari sunt laudis, quàm sanguinis liberales. Contemptus is gloriæ, modestique animi sensus vehementér illi apud Hispanos Magnates beneuolentiam auxit, cùm palàm profiterentur: *Marchionem Spinulam veritatis amicum esse, nihilque magis, quàm regium obsequium spectare.* Multum quòque gratulationum ob rem bene, ac feliciter gestam, ex Hispaniâ præsertim, Italiâque ad eumdem missum. Rex ipse quàm grato acceperit

Catholicorum victoria de Fœderatis.

22. Maij.

Marchionis modestia, & gloria.

Ex lit. Sinibaldi Auriæ ex Hisp. ad March. 17. Iun.

Gratulationes eidem exhibitæ.

animo Ambrosij sedulam operam, ipsi per literas humanitatis plenas significauit. *1605. 24. Iul.*

At Mauritius cùm se recepisset, nè frustra mouisse arma videretur, è suis Copijs aliquot misit ad Arcem Voudæ oppugnandam, quæ mille passibus ab eo Pago, duabus Bergâ leucis distabat. Neque magni momenti locus hic erat, neque satis munitus: quem septuaginta, aut octoginta Milites seruabant: vel ut de Hostium rebus certiorem Archiducem facerent, vel ut Fœderatorum Mercatoribus, alijsque ex eis ultro citroque commeantibus incommodarent. Ad eum propugnandum, Militem, laborem, tempus impendere, non duxit operæ-pretium Marchio: cùm probè sciret, eiusmodi munimenta, tormentis destituta, diu retineri non posse, utpote Copijs illac prætereuntibus semper exposita. Quare nullo negotio Mauritius Arce illâ potitus est. Quia tamen promptiùs facta deditio, quàm vel disciplina militaris, vel fides erga Principem pateretur; Spinula tres è Defensoribus, præ cæteris eius culpæ reos, morte multauit.

Marchio ad Franc. Palauicinũ 14. Iun.

Mauritius Arcem Voudæ capit.

Ad Mansfe. 29. Maj. Grotius.

Exinde Mauritius ad Arcem Sassiam, non ultimam inter Flandricas, & maximi præ situ momenti, inuadendam, animum, iterque conuertit. Igitur Milite in naues rursùs imposito, Isendicam versùs perrexit: eòdem se antè peruenturum ratus, quàm id consilij ad Spinulam perueniret. Sed cum eo res ipsi erat, qui non minùs excubabat ad eius machinamenta exploranda, quàm ipse vigilaret ad machinandum. Secundis usus ventis Mauritius intra sex horas attigit Isendicam. Iamque ad Sassiam cogitabat, eam se facilè occupaturum credens, si Castra ponere in proximo liceret: cùm partem Arcis alteram obuallaret mare, in quod ipse dominabatur; alteram aggeres, & obrutus aquis Ager: adeòque per eas angustias vix ullus patuisset aditus Catholicis ad immittenda Subsidia. Vt primùm id comperit Marchio; cum uniuerso Exercitu Sassiam versùs properauit. Dumque ibi castra locare aggreditur, ab Exploratoribus cognoscit, Hostem aduentare celeritate summâ: iamque munimentum cepisse propè Bochoutum. Id per se quidem nullius erat ponderis: sed eo capto, prohiberi non poterat, quin alia duo propugnacula caperentur, quorum alteri Patientiæ, alteri Philippinæ nomen inditum. Procliue quòque Fœderatis hoc emolumento erat adiacentem Agrum inundare. Statuit ergo Spinula extemplo Scaldim interiectum traijcere: quod tum vado factum est, tum ponte tumultuariâ operâ superinducto. Deinde Hostem versùs cùm Copijs conuolauit. Quod ubi ille audiuit, castra loco mouit, ac se cum suis Vaterfletam recepit. Eâdem die Marchio ad Bochouti munitionem recu-

Spinula Sassiã Arcẽ omni ope tuetur contra Mauritium.

cu-

1605. cuperandam, Aloysium Velascum, & cum eo turmas aliquot, ac Peditum manum misit. In eos munimenti Defensores mosqueris displosis acriter dimicabant: sed comminante Velasco, ni deditionem subitò facerent, eos sese internecione prorsus deleturum; loco cesserunt, numero quinquaginta. Eòdem postridie Spinula cum Copijs omnibus migrauit, & castra posuit.

IAMQVE ad Arcem Sassiam tutandam Alphonsum de Lunâ miserat cum ipsius, & Balansonij Legione, Equitibusque quingentis: atque in aliam Flandriæ partem Borgiam cum suis ire iusserat: Billiumque cum Legione, cui præerat, ad Calloi aggeris custodiam collocarat. Vt vix ulla regionis eius pars esset, in quam arma conuertere Mauritius posset, quam ipse Militum robore probè non munijsset. Ipsemet Arcem Sassiam accuratè recognouit: Assenedæ mille penè passibus distante in Pago stationem disposuit: omnia Hostium tentamenta explorauit, atque anteuertit. Cùmque illum consedisse Vaterfletæ, accepisset: eumdem locum, & Castra inimica perlustrare non timuit. Quippe ipse ex altero latere cum Equitibus mille, atque Antunij, Lunæque Legionibus ad Hostem accessit: ex altero Buquoium cum Iustiniani, Brancatijque Copijs eòdem pergere iussit. Propior verò Castris factus, ubi parumper veliratus est cum Custodijs ante primos Ordines positis, easque ad vallum se recipere coëgit; quidquid visum est, circumspectauit: mox ad sua Castra se retulit. Leucâ minus altera Castra distabant ab alteris: utraque satis munita: utraque placidâ fruebantur securitate; nisi quantùm exploratores Equites inter se identidem velitabantur. Quod tamen, quia nihil utilitatis afferebat, Marchio interdixit: verumque principes præsertim Viros in campum prodire, nè quid eis improsperum eueniret. Hanc ad Hostem propinquitatem Marchioni Senatus eius bellicus persuasit, tres potissimùm ob causas. Primùm ob existimationem, quæ longè maior ex accessu ad hostilia Castra colligebatur, quàm sub Antuerpiæ mœnibus quiescendo. Deinde in quamcumque Mauritius partem iter intenderet, commodissimum foret in proximo degentibus subsequi: quod si suos ille nauibus deduceret, Catholicis quòque ad Calloi aggerem paratæ naues erant: itaque & facilis in Flandriam traiectus esset, & opportuna in Brabantiâ commoratio. Postremò quòd Equitatus in varios eius regionis Pagos distributus, eisdem præsidio foret contra vicini Hostis incursiones. Ad Militem verò in utramque prouinciam ultro, citroque breui transducendum, commodè pontem intra triduum fabricandum ad Antuerpiæ portam Valburgianam Archiducis iussu Spinula curauit.

Spinula hostilia Castra circumspicit.

Scaramucciare.

Marchio ad Mansfe. 26. Maij.

Eisdē cur propiùs admouerit sua.

Miræus in Chron. anno 1605.

VTRVM-

1605. *Mansficidor. ad Marchio. nē 29. Maij.*

VTRVMQVE sanè consilium peropportunum fuit. Quippe Mauritius haud illo segnior in re suâ promouendâ, ingentem nauium numerum contrahebat, earumque rerum omnium copiam apparabat, quæ facerent ad hostilem ditionem oppugnandam. Iustam præterea Classem in æstuario, quod Flandriam à Zelandiâ diuidit, iam paratam habebat. Et quamquam eam se ibi disposuisse iactabat, ut venienti ex Hispaniâ Classi opponeret, aditumque in Belgium intercluderet: prudentiores tamen, & rei bellicæ periti iudicabant, eam obtendi causam veriori consilio Flandriam inuadendi. At Marchio, ut in omnem lædendi Hostis occasionem imminebat: quæ se prima omnium obtulit, statim arripuit.

Iustinianus. Carnerus c. 2.

NVNCIARVNT Exploratores: *Haud arduum fore quasdam Fœderatorum naues incendere, quæ minorem alueum tenebant, à maiori ad aggerem usque porrectum. Esse autem ferè omnes onerarias, venalibus rebus in alimentum Copiarum refertas. Ad eas verò facilem patère accessum per paludem, quæ Oceanum versùs utrique peruia erat Exercitui. Neque Custodias Militum pares ad obsistendum futuras. Quippe quingentos solùm Pedites esse: qui needum se munitionibus circumsepserant. Eos itaque profligare facillimum fore, & locum obtinere, unde tormentis quati possent Mauritianæ Stationes, ac non leue accipere detrimentum.* His auditis, præcepit Spinula Iustiniano, uti locum de visu recognosceret, ac rem omnem exploraret. Profectus est ille cum Centurionibus quatuor, & cuncta diligenter obseruauit. Mox ad eumdem retulit: *Naues quidem posse facili negotio concremari: Hostium verò locum quàm pronum esset occupare, non licuisse sibi dignoscere. Verùm unum opus aggredientibus minimè importunum fore alterum attentare. Non tamen defuturas euntibus obuias difficultates. Nam & paludem esse limo tenaci obsitam, & plura aquarum diuortia traijcienda, quorum unum, vel subsidente maris æstu, poplitum tenus insurgeret. Etsi verò tentamentum successu careret; tutam inde tamen receptionem fore.* Haud absterritus difficultatibus Marchio, rem aggrediendam censuit, in quâ parum esset quod in discrimen obijceretur, multum quod prouenire posset vel Hostibus damni, vel suis emolumenti. Quare iussit extemplo missilis ignis globos fabricari, aliaque ad destinatum finem idonea instrui: tùm castra moueri, & dimidiam ferè leucam propius Hostem accedi.

Guadagnare il posto.

Ritirata.

Catholici naues Hostium incendere frustra tentant.

AD opus verò tentandum eumdem Iustinianum misit cum Peditibus mille: eique subsidiarium Cabilonum cum quingentis adiunxit. Vbi Pompeius ad maiorem alueum deuenit, trecentis circiter passibus ab eo dissitum, quem exurendæ naues occupa-

pa-

1605. pabant: priùs quàm illum traijceret, misit qui statum Hostium explorarent. Hi retulerunt, in procinctu eos esse ingenti numero, paratos ad obsistendum. Ipsemet, ut suis oculis rem cognosceret, aliquantùm processit. Eâdemque veritate compertâ, nil attentandum aduersùs præparatos censuit: ac regressus ad suos est. Quippe Mauritius Marchionis consilij pridie factus certior, promptos in armis stare Milites voluit: & mane subsequente aggerem propter alueum contra Catholicos erexit; Sluiæque munitionem absoluit: ut iam ex eo latere tutissimus esset.

Esser' in ordine.

Luogo lì canale.

NEQVE verò animosior erat Spinula in rebus hosticis inuadendis, quàm cautus in defendendis suis. Cùm enim munimento, quod Patientiæ diximus appellatum, à Mauritio timeret; circumiectos situs recognoscendo, id roborandum censuit: nonquòd ullius momenti locus esset; sed quòd illum præsenti, ac videnti Exercitui eripi armatâ manu, contra existimationem esset; quam semper magnifaciunt magni Copiarum Ductores. Quamobrem cum turmis aliquot progressus, obuiam habuit hostilium Excubitorum cohortem: quam impetu facto ad munimenta repulit, Centurione capto, & lethaliter saucio. Cùmque omnia probè perspexisset; postridie munimentum extrui iussit, quantùm iacere mosquetum potest, procul minori aggere, qui maiori iunctus protenditur ad Patientiæ propugnaculum. Quod ubi Mauritius vidit, proximâ nocte munimentum aliud ante paruum aggerem modò dictum moliri cœpit. Eo comperto Spinula, postquam dimidium noctis effluxit, munimentum adortus, Hostem inde propulsauit. Animus eidem erat occupatum locum sibi communire: sed plerisque Consiliarijs dehortantibus, laboremque inutilem afferentibus, quamuis inuitus morem gessit. At quantò sentiret ipse rectiùs, statim patuit. Mauritius namque id quamprimùm recuperauit, scitèque muniuit: ne-ve Catholici terrâ possent inferre suppetias Patientiæ munimento, receptaculum suis in palude construxit. Id Marchio cum centum quinquaginta Peditibus aggressus, fuso, ac fugato Hoste, funditus demolitus est. Vt verò à munimento, quod ipse excitarat, ad Patientiæ propugnaculum facilior, tutiorque transitus esset, ingentem aggerem passuum sexcentorum longitudine, ab uno ad alterum duxit supra paludem, unâque nocte perfecit. Ponte præterea alueo, qui transmittendus erat, imposito, expugnandi Patientiæ munimenti spem omnem Hosti præcidit.

Luogo di conseguenza.

Auanzarsi.

Compagnia della Guardia.

Vn tiro di moschetto.

Noua munimenta excitantur utrinque.

INTEREA Classis Hispana Vlyssippone digressa, sub Archithalasso Petro Zubiauro, Tribunoque Petro Sarmento, Milites mille ac ducentos nauibus octo deportabat in Belgium. Eorum aduen-

Lisbona.

Almirante.

Hispana Classis Belgium petés cum Hollãdica pugnat.

1605. *Gaspar Ens lib. 25. Bentiuolus. Carnerus c. 3. Iustinianus. Thuanus. Grotius lib. 14.*

aduentûs conscij Fœderati septem supra triginta nauigijs instructi, eosdem in Anglico freto præstolabantur. Vt primùm eò deuenerunt Hispani, qui Dunchercham inuehi cogitabant; Hostium Classem obuiam habuerunt. Hæc in illam impetum facit: tamque acriter utrinque dimicatur, ut diu internosci non posſit, utra superior pugnâ pars esset. Ad extremum verò cedere coacti sunt Hispani, tum numero longè inferiores, tum tribus diminuti nauibus, alterâ incensâ ab Hostibus, alterâ depresſâ, tertiâ deficientibus aquis, in sicco destitutâ: cuius Nautæ, Militesque Hollandorum potestati se permiserunt. Cæteræ cursum Angliam versùs celerarunt, ac Doueram tandem appulsæ sunt. Eò usque non cessarunt illas insequi Fœderati, donec inde recedere compulerunt displosa eius loci tormenta; quingentis in eo recessu suorum amisſis. Quare conceptam iram in miseros captiuos effuderunt, eos omnes in mare deturbantes. Vt omnino supra sexcentos, plusquam dimidium Copiarum, in eo discrimine perierint ex Hispanis.

Mox in Angliam se recipit.

FORTVNATIOR fuit Italicorum Militum ad Belgium accessus. Tres eò Legiones peruenerunt: Neapolitanorum duæ; quarum alteri Tribunus præerat Camillus Caracciolus Auellini Princeps, alteri Alexander de Montibus: tertia ex Insubriâ contracta, quam Vido Aldobrandinus Sancti Georgij Comes moderabatur.

Tres Italorũ Legiones Belgiũ intrant.

QVOD constitutum in Hispaniâ fuerat cum Rege, regioque Senatu, & cum Archiduce confirmatum in Belgio, uti Spinula tandem ad opus perduceret; Buquoium cum Equitibus mille præmisit Thenas versùs, quas pasſim Tillæmontem vocari aliàs diximus. Eidem Albertus præscribi singillatim à Marchione voluit, quæcumque forent in eâ expeditione gerenda: quam initurus viam: quem locum ultra, citra-ve Rhenum occupaturus: num ad Orsoyam ei cum Copijs consistendum: num eadem, si transitum prohiberet, oppugnanda: quid etiam transmisſo Rheno tentandum. Tantam de Ambrosij prudentiâ prudentisſimus ipse Princeps animo ceperat exſtimationem: ut veteranum illum Copiarum Ductorem, ac tot annos in Belgico bello exercitatum, ab eo iuberet militaria præcepta sumere, qui tantùm alterum iam annum in Belgio, ac bello versaretur. Nec fefellit Archiducis opinionem Marchio. Ea quippe mandata in scriptis dedit, quæ non unam exinde victoriam Catholicis armis peperere. Illud tamen sapienter præmonuit: *Pro varietate rerum, quas vel Hostis gereret, vel euentus rerum opponeret, ea quòque, quæ ipse præscriberet, commutanda. Igitur videri sibi*, aiebat, *deducendum*

Mansicid. ad Spinulã 15. Iuny.

Archiducis opinio de Spinula.

Marchionis mandata bellica.

Spinula ad Mansiciduri 17. & 21. Iun.

Exer-

1605. *Exercitum ad Rhenum: inque eius ripâ locum aliquem occupandum, ac validè muniendum. Nec procul ab opulentâ Vrbe Monasterio castra locanda, ut illinc abunde suppeterent commeatus. Tùm iuxta fluuium Copias Lingam usque perducendas. Eam, si fieri posset, capiendam. Longius iter ab se proponi, sed tutius, atque alimentis Exercitûs opportunius. Vel Orsoyam petendam, vel potiùs Cæsarisuertam, quæ Coloniæ propior, & Monasterium ituris commodior. Quod si Orsoyam proficiscantur, eaque Copijs obsistat; probè videndum, an eidem facere vim expediat. Quippe Rheno vix traiecto, loca infestare sacro Imperio subiecta, rem esse, quæ prauam creet de Catholicis armis opinionem: adeòque non modò auxilium ab eis sperare nullum queant, sed eadem potiùs experiantur in suam perniciem cum Hoste coniuncta. Consultius itaque videri pacatis artibus Cæsarisuertam tenere: sin id nequeat, circa illam aptissimo loco Castra munire. Cauendum denique à Populis eius regionis lædendis, aut ullá ratione vexandis. Quippe fugatis terrore Populis, alimentis destitueretur Exercitus.* Hæc à Marchione præscripta, ab Archiduce probata, à Buquoio, quantùm licuit, peracta.

Munster. Lingben. Orsoy. Ceysersuert.

Mastrich. TRAIECTVM itaque, quod est ad Mosam, ductus Exercitus: quem paulò pòst consectatus cum suâ Legione Tursius, cumque suis Copijs Barlæmontius, Sanciusque. Eidem prope Traiectum adiunxit Legionem Insubrum Aldobrandinus, & Neapolitanam Prænestinus Princeps, qui eam, pro Caracciolo in Italiam regrediente, regebat. Indè Coloniam Milites traduxit Buquoius: atque ad Rhenum progressus, eum traiecit nauibus quatuor, totidemque pontonibus ad hunc finem secum deuectis. Cùmque ad custodiam fluminis nauigia quædam Fœderatorum reperisset, eisdem profligatis, tenuit Cæsarisuertam. Ibi ex Marchionis præscripto, castra posuit, & munitione firmauit. Nec multò pòst eòdem Iustinianus cum suâ Legione peruènit: cui se ad Traiectum addiderant Equites quingenti, octingentique Pedites è Geldriæ Præsidijs educti. In alterâ quòque Rheni ripâ Coloniæ propinquâ moliri Buquoius propugnaculum cœpit. At Mauritius ab hoc armorum apparatu Rhenobergæ metuens, Ernestum Nassauium eò cum quatuor Peditum, duobus Equitum millibus maturè præmisit. Is ibidem castra metatus, eadem validissimis firmauit munimentis; quibus ingentem campi planitiem amplexus, quid rerum agitaret Buquoius, diligenter obseruabat. Accidit per id temporis, ut Henrici Thserembergij Comitis Vexillarius cum Equitibus quinquaginta Rhenobergam versùs incitato cursu contendens; Thomam Fillerium, unum ex Tribunis Militum Fœderatorum, obuium cum ipsius Copijs haberet. Ab

Buquoius Copias deducit ad Rhenū.

Fortificatio. n. reali.

eo adactus ad prælium, superatus, & cum aliquot è suis captus est. Quod idem infortunium subijt Robertinus annonæ Structor, dum Coloniam peteret. 1605. *Commissio de' viveri.*

Spinula cum aliis Copiis Rurortam petit.

INTEREA Spinula Borgiam, atque Embdanum Comitem cum subiectis Copijs Rhenum versùs præmisit; ipsemet proficisci paratus, ubi primùm Fridericus Comes adesset, ut Exercitum, qui persistebat in Flandriâ, moderaretur. Sed neque Mauritius Militem omnem ex eisdem finibus deducebat. Simulatam quippe suspicabatur eam Hostis secessionem, ut Fœderatis etiam Militibus digressis, liberius, atque expeditius Catholicis foret Slusam obsidere. Postquam Fridericus aduènit; mouere cœpit Marchio, & magnis quidem itineribus in Rhenanam regionem. Erant in eius comitatu Aloysius Velascus, Ossunæ Dux, Casertæ Princeps, alijque ex bellico Senatu: cumque Legionibus suis Antunius, & Melzius, Equitesque quingenti: ac nouem tormenta bellica subuehebantur. Prope Traiectum ad Mosam adiunxere se illi cum suis Embdanus, & Borgia. Ac tandem undecimo Calendas Augusti tenuere Cæsarisuertam. Indè transmisso Rheno, in alterâ fluuij ripâ propugnaculum quinque turribus instructum fabricari aggressi. Quod opus dum procedit; Marchio cum bis mille Peditibus, Equitibus mille quingentis, & bombardis duabus, ad interiorem oram progressus est, ut Rurortæ situm circumspiceret. Erat autem id Oppidulum ad Ruræ fluminis ripam, neutri bellantium Partium addictum, aut infensum. Theodorum Comitem Triuultium eò cum Equitatu præmiserat: qui Hostium manum in ripâ deprehendit, è bellicis nauigijs non ita pridem egressam. Eam inuadens Triuultius partim cæcidit, partim cepit, plerosque fugauit. At Spinula ubi eòdem peruènit, in easdem naues tormenta dirigi, atque ingentem mosquetorum vim exonerari iussit. Quo terrore nautæ coacti sunt sublatis anchoris naues secundo fluuio Rhenobergam subducere. *Roerort, Roer.* *Sarpere, ò Salpare.*

Mauritius quòque cum suis ad Rhenum contendit.

MAVRITIVS, postquam accepit, Catholicorum Peditum quindecim millia, Equites bis mille quingentos Rhenum traiecisse: iam non per speciem, sed re verâ aliam à Flandricâ regionem inuadi, compertum habuit: quam tamen in partem se, Militemque converteret, ignarus quò tenderet Hostis, diu, multùmque anceps animi dubitauit. Illud certò cognouit, nequaquam sibi manendum in eâ, quam antea ceperat, Statione. Quare ad Ilendicam, relicto cum tribus Peditum millibus Gaspare Çolignio Castellionis Domino (alij Vandernotium tradunt) cæteras ipse Copias Rhenum versùs deduxit. In utrâque fluminis huius ripâ dum prævalidæ munitiones à Catholicis eriguntur, *Gaspar Ens lib. 26.*

1605. tur, adhuc suspensas suorum, nedum Hostium, mentes Marchio detinebat, ignarasque, quam in partem inferendum bellum. Quamquam enim oppugnandam Frisiam, didita per Exercitum fama vulgasset; ægrè tamen id sibi Milites, præsertim veterani, persuadebant. Lapsis quippe retrò temporibus id consilij reiectum, ut vanum, fuerat (etsi capta à Mendozzâ Rhenoberga admodum eis esset conatibus opportuna) propterea quòd commeatuum instructio per alienas terras ardua videretur. Quantò verò tùm id laboriosius futurum, cùm Rhenoberga foret in Hostium potestate? Neque tam prudentem Ductorem credi posse, contra imperatorias artes, hostilem illam Vrbem, Præsidio valde roboratam, ad terga suarum Copiarum velle relinquere. Sed non semper à rebus gestis exempla ad res gerendas petere opportunum est: cùm præsertim vel leuissima conditionis cuiuspiam immutatio magnam negotijs inferat diuersitatem. Quod ergo cum Rege, atque Archiduce constituerat, nè militiæ quidem Præfectis aperiendum censuit Marchio: nè susceptæ deliberationis vel tenuis ad Hostem aura perlaberetur. Et cum sanè fructum consequutus est, quem taciturnitate magnorum Ducum propriâ, contendebat. Hostis namque consilij eius nescius, firmare tempestiuè non potuit idoneis munitionibus ea loca; quæ facili negotio fuere paulò pòst à Catholicis expugnata.

VBI verò præparata sunt omnia, quæ ad eam expeditionem requirebantur; & iam accingere se ad iter debebat Miles; Senatum bellicum Spinula conuocauit, eique tandem palàm fecit: *Regis, Archiducisque mentem esse, ut in Frisiam arma conuerterentur, atque incommoda belli hostica, non sua ipsorum ditio sentiret. Ad eum finem florentes Copias eò usque deductas, pecunia quantum satis sit superque conflatum, Rheni transitum non unâ munitione custodiri. Præ cæteris verò locis ab Hoste occupatis, Lingam expugnare neruis omnibus conandum. Magnum enimuero id opus, & arduum: cùm ad eam inuadendam multum alienæ, multum hosticæ ditionis peragrandum sit, longèque ab regijs terris, auxilioque fidelium Populorum abeundum. Neque ex arte bellicâ videri, Oppidum illud priùs aggredi, quàm alia, quæ eò perducunt, loca in potestatem veniant Catholicorum, atque ab ijs valido præsidio firmentur, ut liber pateat aditus reuersuris, ac Subsidijs, si fuerit opus, Lingam submittendis. Non propterea tamen ab eorum præscripto Principum aberrandum: remque aggrediendam, quæ procliuior experientibus futura sit, quàm primâ fronte videatur, quæque maximum allatura Catholicis armis emolumentum. Lingam id temporis parum validè munitam, neque ad obsidionem diu sustinendam satis instructam; nihil tùm minus suspi-*

Iustinianus lib. 4. Carnerus c. 3. Bentiu. l. 7. Grotius lib. 14.

Spinula in Senatu bellico susceptum cõsiliũ aperit Lingæ inuadendæ.

cantibus Fœderatis, quàm id Oppidum inuadi, quod ab Regiâ ditione, Catholicisque Copijs esset remotissimum. Ad illud iam sibi per Rhenum aditum patefactum, suisque Militibus conseruatum iri. Regionem peragrandam eorum esse Principum, aut Populorum, qui in Regem, Archiducemque amico essent animo, certè non infenso. Atque ubi nihil eis aut damni, aut molestiæ per Milites importetur (quod vigilantissimè prospiciendum, ac seuerissimè puniendum à militaribus Præfectis) non esse quòd usquam transitus intercludatur. Alimenta præsenti, numerataque pecuniæ non defutura: idque à se datâ operâ prouisum, & paratum. Quod si, Deo fauente, Catholici Lingam ceperint; dubitandum non esse, quin eam quòque ab Hoste repetituro tueantur. Neque enim promptiorem illum ad Oppidum obsidendum fore, quàm Archiducem ad suppetias immittendas. Magni verò momenti ad maiora tentanda, aliasque ab Hoste victorias referendas illud esse, quod Frisiæ velut ostium sit, Germaniæque confine, & ex quo prona, ac libera sit in alias partes excursio. Cæterùm ad tam opportunam expeditionem nihil interijciendum moræ: neque ad oppugnationes alias seu Grollæ, seu Rhenebergæ (quæ in itinere se obijciunt) arma interuertenda. Spatium quippe Fœderatis daretur Lingæ validiùs muniendæ: adeòque in multos menses protraheretur obsidio, quæ tunc paucis diebus ad finem perduci posset; cùm quingenti dumtaxat adforent Præsidiarij, ijque minimè veterani. Neque tùm à Mauritij subsidio timendum esse: cùm eius consilij prorsus ignarus, adhuc animi suspensus detinebatur in Flandriâ. Cùmque nauales eo anno magis, quàm terrestres meditaretur pugnas; minùs tunc ab ijs esse paratum, quæ deducendo terrâ Militi necessaria forent. Quòd verò Linga in amplâ, explicatâque planitie sita esset; sibi perquam commodum euenire, ut in aperto campo manum cum Hoste consereret: id namque & sibi unicè in votis esse, & Regi, Archiducique pergratum. Nullam denique ad Oppidum aggrediendum expectari debere, aut exoptari posse maiorem temporis opportunitatem: quando maturæ iam fruges essent, necdum sub tecta comportatæ: ut nunquam timendum sit minùs, alimenta Copijs defutura. 1605.

His à Marchione argumentis in medium prolatis, Procerum, ac Præfectorum omnium mentes in eam sententiam sunt adductæ; ut pronum, ac facile, rationique maximè consentaneum ducerent, quod paulò antè perarduum, atque ab omni militari prudentiâ alienum existimabant. Tùm verò de cœptis munitionibus relatum in eodem bellico Senatu. Rogati sententiam, in magnâ erant opinionum varietate. Optimum factu alijs videbatur, nonnisi eis perfectis, ac Militum custodiæ commendatis, Castra inde mouere. Alij contrà diruenda, quæ struebantur, munimenta censebant: nè vel in Hostium usum cederent, vel ad

Deliberatio de munimentis inchoatis.

eorum

1605. eorum custodiam minueretur Exercitus. Neque defuturas, aiebant, in regressu naues, quibus Rhenus traijceretur. Solertius à nonnullis consilium offerebatur: ut nempe quod spectabat ad Frisiam propugnaculum ampliori munitione roboraretur: atque ibi pars relinqueretur Exercitûs, pars altera Lingam immigraret. Magnum eâ ratione momentum, ac vim, affirmabant, propugnaculis aduersùs hostilem impetum accessuram. Hostem ipsum facilè deceptum iri, animum inducentem, nequaquam Catholicos Frisiam inuasuros: verùm simulationem eam esse, quâ Ernestum, eiusque Copias Rhenobergâ procul auocarent, aliòque pertraherent; inde verò Milite in circumiectis locis relicto, Rhenobergam ipsam maiore nudatam præsidio aggrederentur. Sed neque uniuersum Exercitum Lingam perducere tutum esse: cum in eo plerique tyrones forent, necdum belli laboribus obdurati: qui tam longo itinere contrahere morbos possent, aut facilè dilabi. Paucorum tamen hæc erat sententia: cùm plerique omnes minimè diuidendas Copias censerent; sed viribus uniuersis hostilem locum adoriendum.

His Marchio auditis, commendatoque cunctis patefactæ rei silentio, seque ad iter parare iussis, Senatum dimisit. Edici quòque mandauit per Exercitum, pœnâ capitis intentatâ, ut à suis nemo Stationibus quâcumque de causa digrederetur, aut in itinere Ordinem, locum-ve desereret. Circumire præterea Castra iussit rerum capitalium Præfectum cum suis Satellitibus, & Carnifice: atque ubi quis edicta violasset, statim extremo supplicio punire: ut paucorum pœna cunctos in officio contineret. Quâ militaris disciplinæ famâ peruagatâ: cùmque nullum sibi damnum, aut incommodum à Catholicis armis inferri, circumiectarum Incolæ regionum viderent, imò lucri multum inde sperarent; affatim ad ipsa Castra alimenta venalia comportabant. Illud etiam sapienter fuerat ab Archiduce prospectum, atque imperatum: ut se Spinulæ comitem adiungeret Philippus Croyus Solræ Comes, atque aurei Velleris Eques; qui Alberti nomine cum finitimis Principibus, locorumque Magistratibus colloqueretur: eiusque mentem esse affirmaret, ut nulli Gentium suus Miles fraudi, aut incommodo esset; sed suæ tantùm ditionis loca ab Hollandis usurpata recuperaret. Alimenta Copijs, nonnisi numeratâ pecuniâ, postulare. Easdem non in Oppidis muro septis, sed in patentibus Pagis hospitium, sinè Popularium detrimento, habituros. Ea humanitatis officia si suis à benignis Principibus, ac Populis minimè negarentur, Archiducis beneuolentiam, patrocinium, subsidium eisdem nullo tempore defutura.

Iustinianus. Conerus. Thuanus. Haræus. Grotius.

Spinulæ rigor in militari disciplina.

Spi-

SPINVLA cùm eam commeatuum copiam, quæ in solidum mensem satis esset, deportandam Coloniâ curasset; imponi carris iussit; simulqueduas molas, totidem celoces, & quinque pontones (hoc est naues pro ponte futuras) conuectari. Quæ verò munimenta tam diligenter extructa, tamque opportuna erant suis Copijs ultro, citroque transducendis, minùs instructa Milite relinquenda non censuit: nè si ea Hostis, ut valde credibile erat, oppugnaret, cogeretur ipse, ad ea subsidio iuuanda, Linganam deserere obsidionem. Igitur eisdem custodiendis Buquoium cum senis ferè Peditum millibus, Equitibusque quingentis reliquit; ei magnopere commendans, ut sese undique aggeribus probè muniret. Et quamquam tantam ibi Militum partem collocaret: sufficientem tamen operi destinato suppetere sibi numerum existimauit. Neque à Mauritio obuiàm veniente metuendum: cuius admodum imminutus erat Exercitus; eiusque pars magna in Flandriâ relinquenda, tum ad defensionem Slusæ, tum aduersùs alia Friderici Comitis tentamenta. Militem verò Rhenobergæ subsidio missum euocari non posse, nè Catholici à circumiectis propugnaculis excurrentes Oppidum illud aggrederentur. 1605.

Fregate.

Marchio ad Regẽ-Augusti.

IGITVR itineri se Marchio commisit, secum deducens nouem Peditum millia, Equitum circiter duo, cum undecim tormentis. Ordo verò agminum hic ferme fuit. Peditatum omnem tres æquas in partes tribuit, Equitatum in duas. Harum unam in fronte Exercitûs collocauit, Ductore Velasco. Illius sequi vestigia iussit unam Peditum partem, & quatuor tormenta. In medio cum impedimentis, & carris alia quinque tormenta trahebantur: & pars altera Peditatûs unà procedebat; cuius acies geminæ carros utrinque stipabant, nè in arctioribus vijs ab reliquo Exercitu disiuncti, Hostium incursionibus paterent. Postremi erant cæteri Pedites cum duobus tormentis: totumque agmen claudebat pars altera Equitatûs. Vbi verò situs amplior sese explicabat, carri geminati agebantur, & Peditatûs pars intermedia sinistrum latus obibat. Statim atque primum agmen ad Stationes peruenerat, in acies directum consistebat: Equites utrumque latus tutabantur, tormentis quatuor in fronte dispositis. Succedebant reliquæ partes Exercitûs eodem ferè ordine distributæ. In principijs ipse Spinula obequitabat: plerunque verò antecedebat, ut regionum situs prospectaret, ac rebus omnibus maturè prouideret. Hoc ordine Ruram fluuium primâ die traiecerunt: alterâ tenuere Dorstenam, ac Luppiam amnem ponte transmisere. Eum pontem igne absumere conatus est Thomas Fulcrius Fœderatorum Tribunus: verùm eòdem perueniens cum pri-

Ordo Exercitus à Spinula ducti.

Vãguardia.

Battaglia.

Maniche.

Retroguardia.

Quartiero. Metter' in squadrone.

Vãguardia.

Roer.

Lippa.

1605.
Vanguardia.

primis Ordinibus Velascus, Hostem inde reiecit, ac fudit.

Bentiuolus. Ex lit. Stephani Rombi ad Polyxenã Marchionis Matrem è Castris 12. Aug.

Principum, ac Populorum beneuolẽtia in Marchionem.

Dvm in hunc modum per variorum Principum ditionem progrederetur Exercitus, & quidem seuerè obseruata militari disciplinâ, neque ullo regionibus illato detrimento: maximis beneuolentiæ, honorisque significationibus Marchio excipiebatur, uti sapiens Ductor innocentis Exercitûs. Equi præsertim & ad iter, & ad bellum opportuni ab ijs Principibus identidem illi dono mittebantur: sed ipse generosè recusabat, gratias pro munere oblato remittens. Quo illi magis in eius amorem, ac venerationem incensi, quæcumque Copijs necessaria pretio petebantur, largè, ac benignè suppeditabant. Cliuiæ, Vestphaliæque regionibus peragratis, intrauit Exercitus eam, quæ trans Isalam fluuium est, atque inde Transisalana vocitata. Ea Fœderatis prouincijs adnumeratur, proximèque Frisiam attingit. Molas per eam omnes perfringi Mauritius iusserat, ut hostiles Copiæ victûs penuriâ laborarent. Verùm haud minore prouidentiâ Spinula & magnam farinæ copiam secum vehebat, & molas ipsas, aliaque ad molendum instrumenta.

Isel. Oueriscl.

Marchio ad Mansfc. 19. Aug. & ad Regem 28. Gaspar Ens. Bentiuolus. Iustinianus. Carnerus c. 4. Thuanus. Haræus. Continuator Aitsingeri. Guillelmus Baudart. Franc. Lanauius. Bulengerus lib. 12. Grotius lib. 14.

Oldensaliam Spinula inuadit.

Qvinto Idus Augusti Catholicorum Exercitus Oldensaliam peruenit (quam nonnulli veterem autumant Saliorum Sedem: Oldensilum alij vocant) Oppidum sanè ambitu magnum, sed munitionibus, ac præsidio minùs, quàm oportebat, instructum. Eo si potiretur, magno futurum commodo ad Linganam expeditionem ratus est Marchio: tum quòd illac bellicum instrumentum transuehi Lingam posset: tum quia Hosti transitus intercluderetur Obsessis subsidium inferenti: ibidemque receptum Catholici tutum nanciscerentur. His de causis Oppidum capere cùm decreuisset; Theodorum Comitem Triuultium cum Equitatûs parte præmisit, ut ad illud obsidendum loca occuparet. Vix eò Triuultius accesserat, cùm ex aduerso Equitum turma portis erupit. Illam tamen tam acriter Theodorus Comes cum suis inuasit, tantoque impetu repulit, ut eam statim in Oppidum recedere coëgerit.

Triuultius Comes erumpẽtes repellit.

Fascine. Gabbioni. Assaltare.

Oldensaliæ oppugnatio.

Eadem die in construendis ramalium fascibus, & corbibus, alijsque bellicis machinis præparandis laboratum est. Tùm è tribus lateribus impressionem fieri Spinula iussit. Ex uno à Borgiâ, Antunioque cum Hispanis: ex altero à Melzio, ac Iustiniano cum Italis: à Turrio, ac Balansonio cum Vallonibus, & Burgundionibus è tertio. In hos omnes Oppidani erumpentes, loco cedere compulerunt: verùm denuo pressi se recepere in Oppidum. Inde mosquetis, minoribusque bombardis haud leuis pernicies inuecta Catholicis: qui tamen haud propterea ab retinendo, quem

Sagri.

ce-

ceperant, loco absterriti. Solidam noctem in erigendis à quatuor partibus Oppidum versùs aggeribus, desudatum: ac primâ tandem luce omnes perspecti sunt ad fossam perducti. Duo præterea tormentorum suggestus excitati: alter ab latere Hispanorum, bombardas quaternas sustinens: alter prope Italos, senas. Eidem nocte Linganus quidam captus est à Catholicis Equitibus, qui Lingam versùs missi fuerant ad eius statum propiùs explorandum. Ad Marchionem perductus, ea confirmauit, quæ iam ille compererat. Oppidum esse Militibus admodum destitutum: tormenta magnam partem sine fulcris, atque adminiculis. Validum tamen subsidium in dies expectari: quandoquidem nuper de Catholicorum consilio factus certior fuerat Mauritius. 1605. *Trinciere.* *Batterie.* *Piglia lingua.* *Artiglierie scaualcate.* *Rinforzo di gente.*

Id ubi Spinula audiuit; Triuultium Comitem cum mille quingentis Equitibus immisit: qui aditus omnes circa Lingam antecaperet; nè Hosti Subsidium introducere liceret. Vbi verò primùm illuxit, concuti utrinque tormentis Oldensalia cœpit: tantoque impetu continuata concussio, ut vehementer fuerit in Oppido trepidatum. Quamobrem Obsessi colloquio ab Obsessoribus postulato, deditionem æquis conditionibus fecerunt. Eâdemque die quarto Idus Augusti, emigrauere Pedites ferè quadringenti & quinquaginta, Equites octoginta unà cum armis, ac signis, strepentibus tympanis, fomitibusque succensis. Manus Militum maxima fuerat ante dies quatuor ad Oppidum tuendum à Mauritio missa. Multi ex eis extincti, plerique saucij. E Catholicis ad quinquaginta cæsi; quorum præcipui Ludouicus de Maximis Centurio, & Malatesta Comes Bandinus: totidem vulnerati. Quinque in Oppido reperta tormenta, & bellici instrumenti vis aliqua. Ad eius præsidium reliquit Marchio Henricum Comitem Thserembergium cum Peditibus mille Germanis, atque eâ Equitum turmâ, cui præerat. Ipse verò Lingam versùs Exercitum deduxit, magnis utens itineribus, quinque nimirum, aut sex quotidie Brabantiæ leucarum: sapienterque victoriæ spem in Hoste præueniendo reponens. In mediâ viâ duas è tribus Copiarum partibus intersistere cum impedimentis iussit, ac pernoctare in Oppido ad Vechtam amnem sito, cui nomen Horthorno. Primum verò agmen duas continens Hispanorum Legiones Lingam præmisit. Quò cùm postridie peruenisset uniuersus Exercitus; castra circa eam locauit, stationesque disposuit. Hostes interea concrematis circumiacentium hortorum sæpibus, quæ camporum prospectum adimebant, opem omnem, ac vires ad defensionem parabant. *Oldenſel.* *Toccar la chiamata.* *Renderſi à patti.* *Tâburi battenti.* *Corde acceſe.* *Marchio ad Regem 19. Augusti.* *Oldensalia Spinulæ deditur.* *Idē Hiſtorici.*

Inter Occiduam Frisiam, quæ in septemdecim Belgij Prouincijs *Linga situs descriptio.*

1605. *Lingben. Ems.* uincijs recensetur; eamque, quæ ad Orientem Solem, & Germaniam spectat, pari ferè interuallo interiacet Linga. Propior mille passibus est Amisio fluuio: & Comitatûs titulo cohonestatur. Agrum habet rebus omnibus ad humanam vitam necessarijs copiosum. Quare tum quòd ad Exercitum alendum erat percommoda; tum quia Germaniæ, Rhenique traiectum habet in potestate, magno emolumento ducebatur eam sibi vendicare. Senserat hoc ante aliquot annos Mauritius: qui ad patentem Rheni aditum, & liberos commeatus Fœderatorum Copijs conseruandos, id Oppidum cepit. Quod statim cum ditione possidendum ei concessere Fœderati (ut antè diximus) *Lib.10.* tanquam præmium impensorum publicæ utilitati laborum. Quamobrem ipse, ceu rem suam, nouis munitionibus roborauit. *Eiusdem munitio.* Mœnia undique *Ricinto terrapienato.* loricâ, aggesta humo suffarctâ conclusit: sex adstruxit ingentia *Baloardi reali.* propugnacula; quorum bina tam Oppidum, quàm eius Arcem *Cittadella.* tutarentur. Eorum singulis fabricandis singulas Fœderatas Pro*Ex lit. Marchionis ad Regem 28. Augusti.* uincias erogasse pecuniam ferunt: adeòque certatim unamquamque suum ab omni parte perficiendum curasse: ut hoc etiam honore cumularent Imperatorem suum. Neque minùs validam Lingam reddebat circumducta fossa octoginta passibus lata, quatuor alta, perpetuisque abundans aquis: quas aliò deriuare perarduum erat; & quòd amnis quamuis exiguus in eam continenter influit; & quia situs in circuitu editior est. Vnum animaduertit Spinula tam scitè structis munitionibus deesse: exterius nempe aliquod fossæ propugnaculum: quod tamen celeritate aduentûs sui interuersum fuisse, probè intellexit.

OPINIONE validior apparuit Linga cominus prospectantibus Exercitûs Catholici Præfectis. Neque enim semper fama tollit in maius: & qui sperant, atque audent, cuncta faciliora sibi fingunt. Quamobrem ex ijs non defuere, qui Marchionem ab oppugnatione dehortarentur, cùm dicerent: *Multum laboris, ac temporis in Oppido tam bene munito insumendum: magnamque partem Exercitûs ante illa mœnia profundendam.* Alij contrà meliorem ingerebant animo spem; & breui, facilique negotio captum iri Lingam afferebant. *Quippe ut situ, manuque munitissima foret: quo tamen tenebatur, adeo tenue Præsidium esse, ut nulli bellorum perito dubium relinqueret, quin opportunâ adhibitâ diligentiâ, maturè expugnaretur. Neque enim in saxis, aut aquis; sed in Virorum pectoribus, animisque positam esse veram, ac firmam locorum defensionem.* In hanc sententiam, quæ generosæ menti congruentior erat, sine morâ incubuit Spinula: qui rerum deliberationes magis ex alieno consilio, quàm ex suo vel judicio, vel imperio nasci volebat.

1605.

Lingana obsidio. *Approcci.*

IGITVR eâ ipsâ, quâ peruênit Exercitus, die sub noctem, Castris positis, erigi à quatuor partibus obliquos aggeres mandauit: hunc ab Hispanis, illum ab Italis, tertium à Burgundionibus unà cum Vallonibus, quartum ab Germanis. Id laboris secundarunt exigui quidam arenarum tumuli interiecti, quos Dunas appellari diximus aliàs; & circumductæ suburbanis hortis fossæ, per quas tutis, ac tectis licebat commeare Militibus. Et quamquam muralibus ex Oppido tormentis nonnulli aut perempti forent, aut vulnerati, non idcirco tamen cæterorum ardor elanguit. Imò ingens inter Nationes glscebat de laborando, ac progrediendo certamen. Directis in mœnia tormentis Defensores arcebantur. Ac tertiâ demum die Itali, & Vallones fossæ labrum tenuerunt.

Solræi Comitis Equites profligantur. *Agguatati.* *Assalir' all'improuiso.* *Condur prigioni.* *Saluarsi.* *Andar' alla traccia.*

INTEREA Solræus Comes Rhenam, qui Pagus est Vestphaliæ, ad principem quemdam Virum proficiscens, Ciaccij Domino cum Equitibus centum comitante; tribus ferè leucis Lingâ procul in hostilem incidit Equitatum. Erant namque in insidijs dispositi Equites centum quadraginta sub Thomâ Fillerio. Hi statim atque Catholicos conspexere; eos inopinatò adorti superarunt: Ductorem, aliosque multos peremerunt; captiuos abduxere triginta. Solræus ægrè, nec nisi saucius, euasit. Id ubi Marchio comperit, Velascum, Equitesque trecentos ad persequenda Fillerij vestigia raptim immisit. Sed iam is tam longè recesserat, ut assequi non licêret. Solræ Comes cum aliquot è suis Rhenam peruênit: at eum Oppidani excipere recusarunt. Quare Stencurtium se transtulit. Inde à Spinulâ Lingam reuocatus, magnâ Equitatûs parte ad eum in itinere tutandum transmissâ.

Auanzarsi co i lauori. *Sortite.*

LINGAE obsidio procedebat in dies, magnoque Milites ardore allaborabant. Eòque feliciùs opera promouebantur, quòd Oppidi Defensores minùs crebris, uti fit, eruptionibus interpellabant: neque ita frequentibus tormentorum ictibus Operas prosternebant. Ipsi namque numero vix erant sexcenti: & bombardæ undecim. Pyrij præterea pulueris magna penuria parcere displosionibus cogebat. Iamque ad fossam Hispani deuenerant: aquarumque altitudinem dimensi, tantam eam deprehendere, ut transiri vado non posset. Quamobrem illas diuertere cogitarunt excauato canali, qui à fossâ ad veterem fluminis alueum pertineret. Quoniam verò longi temporis hic erat labor; eius moræ impatientes Itali, ac Burgundiones eamdem fossam opplere ingestâ materie sunt aggressi. Turrius itaque cum suis, virgul-

Opera militaria in obsidione. *Salsiccie.*

torum fascibus, & cumulatis terrâ farciminibus magnam eius partem ante suam Stationem peruiam fecit: quod verò reliquum erat fossæ ponte obtectum fuit ex asseribus innexis coagmenta-

to;

1605. *Tonelli. Gabbioni.* to, quos subiecta doliola sustinebant, ex ingenio Targoni. Machinamentum aliud architectatus est Iustinianus, ad Militem trans fossam ducendum. Maiorum corbium copiam è validis, viridibusque viminibus contexi iussit, ut supermeantes homines sustentarent. Tùm è suis aliquot misit, qui armis vestibusque depositis, fossam ingressi, eas corbes in seriem disponerent, iungerentque, fasces quòque ramalium, & crates insternerent ad inambulandum accommodatas. Id operis, quod per noctis tenebras tutiùs procedebat, dimidiam fermè fossam occupauit.

NOCTE subsequutâ Melzius Tribunus laborem continuauit, non sinè magno discrimine, ac detrimento. Hostis quippe continenter bombardis ferreos talos spargentibus, & mosquetis multos in fossâ extinguebat, aut vulnerabat. Constanti tamen animo ita est ad lucem usque desudatum, ut oriente Sole sex tantùm passus ab altero fossæ labro, & parum ab imminente propugnaculo Itali distarent. Germani dimidium fossæ tenebant. Hispani eamdem exhaurire neruis omnibus conabantur. Cunctorum verò acerrimi Burgundiones, & Vallones iam ponte ad propugnaculum peruenerant, idque suffodere, atque acto, incensoque cuniculo subruere moliebantur: *Far volare una mina.* cùm omnium expectatione celeriùs colloquium postulant Lingani, quâ parte premebant Itali. Auditi sunt perlibenter à Spinulâ, gaudente, tanti momenti locum tam breui, sine multâ sanguinis effusione, subactum. Eisdem, quibus Oldensalia dedita, conditionibus inter eos conuènit. *Linga Spinulæ deditur.*

IGITVR quarto decimo Calendas Septembris Lingam deseruere Pedites supra quingentos, quorum saucij quinquaginta: eisque Marchio carros commodari iussit, ad impedimenta transuehenda. *Bagaglio.* E Catholicis ibidem relicti quà extincti, quà vulnerati ferè ducenti: quos inter præcipui Centuriones duo, Ianitellus occisus, Melgara sauciatus. Tormenta undecim in Oppido reperta, militaris instrumenti (excepto nitrato puluere) non parum, & commeatuum copia; quâ sustineri diutius obsidio potuisset. *Poluere d'archibugio. Marchio ad Mansfe. 19. Aug. & ad Regem 28.* Eius initio quamuis alimenta non deessent in Castris, cariùs tamen stabant; vel nondum securis Agrestibus de militari licentiâ, ideoque non ita frequentibus ad res venales importandas: vel quòd obsidio longè futura diuturnior crederetur. At postmodum tantùm abundauit annona: ut Stationes omnes circumfluerent rusticis plaustris omni ciborum genere onustis; & minore pretio in alieno solo cibaria vænirent, quàm vel Antuerpiæ, vel Bruxellis. *Vettouaglia.* Opportuna ad hanc rem Marchionis illa cautio fuit: nè Miles initio ad alimenta sibi affatim comparanda, certatim,

ac promiscuè effunderetur: sed aliquis intercederet rigor, & moderatio; ut iustè distributa satis omnibus esse possent. 1605.

VBI primùm de Lingâ obsessâ Mauritius cognouisset; è Flandriâ Rhenum versùs decesserat, ut Spinulæ obsisteret, Oppidoque laboranti subsidio foret. Cùmque Dauentriam peruenisset, *Deuenter.* ibique de rationibus propugnandæ Lingæ deliberaret: eam iam Hosti deditam accepit. Ingenti ex eo nuncio indignatione, ac dolore perculsus; hunc tamen alto corde pressit, vultuque spem, atque alacritatem præferens, publicè professus est: *Sibi tùm quidem præcucurrisse Spinulam, atque imposuisse: verùm se breui eumdem ad incitatissimum ponè se cursum adacturum.* Itaque ut eum ulteriùs progredi prohiberet; cum septem Peditum millibus, Equitibusque bis mille quingentis Couordam versùs contendit.

De Lingæ iactura Mauritii sensus, & dolor.

Iustinianus.

INTEREA de recentibus Belgici belli successibus, ac præsertim de Catholicis armis in Frisiam, hosticamque ditionem traductis magna erat in Aulâ Hispanicâ expectatio, animorumque suspensio; ut è plerisque Magnatum, ac principum Aulicorum datis ad Marchionem literis apparebat. Nec deerant, qui aut virtutem eius æmulantes, aut magnis repentè progressibus inuidentes (ut assolet) conceptam de illo spem ingentem eleuarent. Ipse autem Marchio suarum laudum naturâ parcissimus, & accuratiùs studens ab alijs narranda gerere, quàm ab se gesta narrare; non antè scripsit ad Regem, regiosque Administros, quàm Oldetisaliam, Lingamque haberet in potestate; ab eo maximè alienus (quod militare vitium esse solet) ut caneret triumphum ante victoriam. At postquam & ipsius, & aliorum epistolis utriusque loci expugnatio, & quidem unius ferè spatio hebdomadis peracta, perlata fuit ad Regiam; vix credibile dictu est, quantam Regi, quantam Proceribus, uniuersæque Aulæ, ac Regno lætitiam procrearit. Et sanè non tanti videbatur momenti unius, aut alterius Oppidi, vel Vrbis, neque admodum insignis, consecutio: quàm per ea gressum intulisse in Frisiam, vestigiumque, non ita facilè submouendum, in Hostium ditione fixisse: atque Hostem ipsum plurium annorum victorijs exultantem, & Catholicis finibus insultare solitum; in eas redigere angustias cœpisse, ut se, ac sua tueri opus haberet, non aliena inuadere cogitaret. Imò his rerum primordijs ingentem sibi aditum patefactum ad longè maiora; atque ad ea spe præsumenda, quæ nemo unquam sibi in animum induxisset; modò Miles, & pecunia ex Hispaniâ sufficerentur in tempore; Marchio ipse pluribus ad Regem, Regiosque literis testatus est. 28. *Aug.*

Aulæ Hispanicæ opiniones de Spinula.

VT verò, quid Hostis interea moliretur, compertum haberet;

1605. ces; Triuultium Comitem ad explorandum misit cum quingentis Equitibus. Is maturè profectus, in nemore subsistit, duarum horarum itinere Couordâ distito: atque inde Lucam Cairum, & cum eo centum Equites pergere iussit. Qui vix horæ spatio processerant, cùm in Hostium Exploratores Equites inciderunt. Hos retrocedentes insectatus est Cairus ad primam usque aciem hostilis Exercitûs, quæ stabat in vestigio, dùm Castra disponerentur. Vbi verò ad arma conclamari per Exercitum audiuit; pedem referens, & aliquot ex Hostibus captiuos abducens, properauit ad suos, tribus Fœderatorum turmis nequicquam dorsa prementibus: quæ postquam ad locum insessum à Triuultio ventum est, ignaræ multitudinis Hostium, metuque perculsæ, terga extemplo verterunt. Triuultius; explorato, Mauritium Couordam petere, ut Catholicis armis progressum in Frisiam interiorem præcluderet, vel timore nè Oppidum illud obsideretur: eius rei certiorem Spinulam fecit. Iam hic ad Lingam validiùs roborandam, sex exttui iusserat lunata munimenta extra fossam iuxta mœnium longitudinem (quæ defuisse ad propugnandum diutius Oppidum cognouerat, uti diximus) ac prætereà fossæ labrum exterius.

Corridori. Prender la carica. Testa della Vãguardia. Far alto. Far'i Quartieri. Dar all' arme. Dar la carica. Coeuorden.

Spinula Lingã validiùs munit.

Contrascarpa.

Dvm in hæc toto pectore Marchio insistit: ad eum defertur, Equitum turmam, cui præerat Henricus Comes Thserembergius, quæque relicta fuerat Oldensaliæ, aggressam fuisse Hostium Pedites centum, qui Dauentriâ migrabant Couordam, ut reliquo se adiungerent Exercitui: Eos à Catholicis profligatos: captiuos ductos Centurionem, Signiferum, duos hæresum Magistros, aliosque complures: cæsos non paucos: signum ereptum; & quod ferebant menstruum militare stipendium.

Predicanti. Paga.

His prosperè succedentibus in Frisiâ, nè in alijs Belgij Prouincijs ab armorum usu, profectuque cessaretur; mandauit Archidux Ludouico Monesterio Gallo, Terraliæ Dynastæ, ut cum Antonio Breuchio Thoricurtij Domino, & Peditibus mille quingentis, quà Belgis, quà Anglis, Equitibusque trecentis, Ductore Cesate, Bergam ad Zomam adoriretur. Profecti sunt illi per tenebras, magnoque silentio, ac prorsus inobseruati, Bergensibusque nil minùs cogitantibus. Vbi ad primam accessere portam; & pyloclastrum applicuerunt (machinam recèns inuentam foribus perfringendis) eius vi statim patuit ingressus. At ad alteram progressis portam, quia humectatum id instrumentum erat, successu caruit. Cùm aliud non suppeteret (nam quæ plura conuexerant, aluei, quem transmiserant, adhæserant luto) cùmque iam ad propugnandum Ciues, ac Milites confluxissent; coacti

Laurent. Beyerlinch in Chron. Grotius, & alij, qui de Oldensalia.

Archidux mittit Terraltum ad intercipiẽdam Bergam ad Zomam.

Attaccar il petardo.

Res non succedit. sunt se recipere non modò nullo cum fructu, sed magnâ quòque cum clade suorum. Lecherius quippe Centurio, alijque triginta cæsi; saucij quinque supra quadraginta. 1605.

QVONIAM verò res instrumentorum defectu infelicem exitum nacta, spem dabat victoriæ, si illa suppeditarent: eam iterum tentandam censuit Archidux, sed maiore belli apparatu. Quare Terralium eòdem redire iussit: adiunxit Cabilonum Tribunum, Hulsti Gubernatorem, & Cesatem. Ducebantur ab his trecenti Equites, Pedites ter mille, & quingenti. Tribus è lateribus faciendus in Vrbem impetus erat: hinc à Cabilono, illinc ab Hulstano Præfecto, è parte tertiâ à Terralio cum Cesate. Priores duo, quia breuiores, quàm opus erat, pontes ad aquas traijciendas inuexerant, destinatos tenere locos tempori nequierunt. Terralius, & Cesates opportuniùs iter emensi, ad portam deuenere, quæ Stembergam ducit: ac ligneis cancellis admoto pyloclastro, eos illico disiecere. Mox altero portæ applicito, quæ pontis aditum occludebat, eamdem patefecere. Tùm extentum è telâ pontem iniecerunt, quo super Tormentarius processit: ac versatili Bergæ ponti machinamentum idem admouit, eodem prospero successu: parique fortunâ duas alias portas reclusere. In hoc omni conatu Bergenses non parcebant mosquetis, varijsque bombardis vehementer lædere subeuntes. Sed illi defendentibus tenebris animosi, portas iam omnes prætergressi, uno palorum vallo ab ingressu arcebantur. Ad illud tuendum Incolæ sese omnes effuderunt. Quamobrem inter eos atque Oppugnatores tam vehemens ortum est, obstinatumque certamen, ut solidam horam tenuerit. Alia pyloclastra, quibus vallum perfringeretur, validis clamoribus Catholici postulabant: atque ea sanè non deerant; sed qui scitè applicarent, Tormentarij iam omnes erant vel interfecti, vel saucij. Quare ab hac etiam secundâ oppugnatione recedere coacti sunt re infectâ, multisque suorum desideratis, ac duobus præsertim Centurionibus. Centum quinquaginta numerati sunt ex eis, partim cæsi, partim vulnerati. Mirus in supremâ illâ necessitate narratur Bergensium ad defensionem ardor, atque industria: adeò ut imbecillior quòque sexus virilem indueret animum, accurreretque ad commune periculum propulsandum. Imò multæ Matrum depositis è cunis Infantibus, atque in tuto collocatis, eas lapidibus onustas ad munimenta portabant: aliæ stramen cubilibus subtractum Defensoribus in usum bellicum suggerebant. Ita sensum alium omnem supergredi solet una tuendæ libertatis, aut vitæ sollicitudo.

Idem rursus tentatur sine fructu.

Bariera.

Petardiero. Ponte leuatoio.

Palizzata.

Ingens conflictus.

Fœminarum Bergensium virtus.

Gaspar Ens lib. 26.

NIHILO feliciorem exitum nactus est Syluæ-Ducis Guber-

nator

1605. nator Grobbendonchius, Archiducis iussu contendens Grauiam inopinatò capere. Cùm enim eam modico defendi Præsidio compertum esset: idoneâ is instructus Militum manu, & scalis, & pyloclastris, prope illam se in insidijs collocauit: ex alterâ verò parte, quam alluit Mosa, Malesium iussit naues admouere. Sed has displosa è mœnibus mosqueta, atque bombardæ profligarunt: ipsum cum suis recedere compulit consilium suum Hostibus patefactum. De utroque conatu irrito ubi nuncius peruenit ad Aulam Hispaniarum; publicæ ex Frisiæ victorijs voluptati nonnihil tristitiæ aspersit. Et alijs quidem parum probari consilium occultę expeditioni Gallum hominem pręficiendi: sed felices Rosnęi successus eam electionem defendebant satis. Alij passim prædicare: eò solum inclinare fortunam, ubi Marchio Spinula bellicæ rei præesset.

Grauiæ quoq; interceptio vana.

Carol. Strata ad Marchionem 29. Octob. Vallisoleti.

Ceisersuerd.

EIVS imperio iam duo ad Cæsarisuertam ultra, citraque Rhenum propugnacula perducta ad summum erant: cùm Cliuiensis Dux, in cuius ea finibus erecta, alijque Imperij Principes, quorum ditio finitima, conquesti apud Archiducem sunt, eis quasi repagulis libertatem itineris suis Populis interclusam. Quare Buquoio, qui eis præerat, mandauit per literas Albertus: ut alia duo munimenta prope Doesburgum, in Comitatu Meursensi, qui tunc Hostium erat, excitaret; ac postmodum priora dirueret. At Marchio, quia parum aptum eis accipiendis locorum situm animaduertit: ac metuebat, nè hyemales pluuiæ iam imminentes alterum eorum antequam idoneâ loricâ muniretur, euerterent; ab alijs destruendis supersedendum censuit, donec recentiora prorsus firmarentur. Quippe si hæc ingruentibus aquis immota persisterent, tùm sine damno posse Principum postulatis satisfieri, Cæsarisuertæ munitiones demoliendo: sin verò imbrium impetu subruerentur; iustam fore apud eosdem excusationem eas integras reseruandi.

Spinula pluribus locis extruit munimenta.

Duisburg. Di Murs.

IGITVR Buquoius relictis ad munimentorum custodiam Peditibus septingentis, eisque præfecto Boniforte Follâ; & minoribus quibusdam alijs propugnaculis solo ęquatis, cum reliquis Copijs Rurortam contendit. Quo cognito Ernestus Nassauius, eum pergere ratus ad propugnaculum muniendum, quod destitutum, ac semirutum supererat ad Orsoyam: eò cum trecentis hominibus, ligonibus, ac palis instructis accurrere occupauit, ut id antea funditus euerteret. Perlatum hoc ad Buquoium: qui extemplo sexcentos Pedites, atque Equitatum omnem eòdem impulit: suosque Exploratores ad locum perlustrandum præmisit. Ijs conspectis, numero superioribus, statim Ernesti Miles se recepit.

Spianare. Roerort,

Corridori, Riconoscere.

Buquoii Milites repellunt Nassauianos.

cepit. Buquoius autem eò progressus, atque ad Rhenobergæ munitiones propiùs accedens, cum Fœderatorum Copijs parumper velitatus, Rutortam deuènit. 1695.

Scaramucciare.

At Marchio Lingæ adhuc immorans, eiusque munimentis perficiendis insistens; quid sibi deinceps agendum, animo volutabat. Neque enim ulteriùs in Frisiâ progredi se posse videbat: tum ob angustias viarum, tum quia hostilis Exercitus in conspectu erat. Quod verò aliqui Partium aduersarum studiosi scripsere: & quæ nonnemo in Aulâ Bruxellensi Spinulæ ingenti gloriæ carpendæ intentus dictitabat: potuisse illum, Lingâ expugnatâ, Couordam, Burtangam, Grollam, Embdam & improuisò adoriri, & nullo negotio capere: speciosa magis erant pronunciata, res eminus in quiete spectantium, quàm ijs opportuna consilia, qui cominus, atque in locis ipsis arma tractabant. Prospiciebat quidem has, quæ referri poterant, victorias, aliasque maiores Marchio: idque frequenter datis in Hispaniam literis Regi, Regijsque faciebat palàm: sed ijsdem magno cum sensu testabatur: non eam sibi suppetere Militum, non pecuniæ vim, quæ satis ad res tantas aggrediendas foret. Quod si hæc duo in subsequentem annum tempestiuè suppeditarentur; maximos quosque progressus, ac felicissimos sese iam tùm prænoscere, & polliceri.

Grotius lib. 14. Baudart. Ex eisdem lit. ...

Marchioni obiecta diluuntur.

Ad capiendum interim de re præsenti consilium, coëgit Spinula bellicum Senatum. In eo, quid anni reliquo agendum, consultatio fuit. Alij persistendum ibidem arbitrabantur, Mauritijque obseruanda consilia. Nam si longiùs ab Oppidis captis recessissent; haud ex vano metuendum, nè imminens Hostis illa, atque Oldensaliam præsertim (quod erat facilius) recuperaret. Migrandum alij, sed inde haud procul, aiebant, in ditionem nempe neutri Partium subiectam, ac præcipuè propter Luppiam fluuium, ubi plures erant Pagi, ad quos diuertere posset Exercitus, & in primis, cui maximè necessarium, Equitatus. Neque serum inde futurum ob vicinitatem, laborantibus ijs locis inferendum subsidium. Aliorum consilium erat, propius Rhenum accedere, ac iuxta Vesaliam duo erigere propugnacula, quibus facilior, breuiorque aperiretur in Frisiam interiorem ingressus. Neque enim aut Ruram, aut Luppiam traijcere oportere: atque inde citiùs veniri suppetias posse. Alijs demum maximè omnium placebat, Rhenobergam, Meursam, aut Vachtendoncham oppugnatum ire. *Anni tempus adhuc opportunum pugnando, imbelli otio corrumpendum non esse*, dicebant. *Si Rhenoberga caperetur, quamuis receptâ à Fœderatis Oldensaliâ, maius sibi lucrum fore iacturâ. De Lingâ verò minimè tunc verendum, cùm Hostis ab Catholicis*

Idem de expeditione consultat in Concilio bellico.

Variæ in eo sententiæ.

Iustinianus lib. 4. Carnerus l. 16. c. 5.

Lippa.

Roer.

Murs.

Rinsberga.

1605. *tholicis tam vicinis defendere terga non posset. Bellicum quòque apparatum longè maiorem ad eam obsidionem requiri, quæ in explicatâ planitie ad ternas produci leucas opus haberet, Exercitumque postularet ingentem. Neque credendum, moram ibi facturum Mauritium, ubi moueri videret Castra Catholica; haud temere metuentem, nè Rhenoberga, quàm plurimi faciebat, obsideretur.* In tantâ sententiarum varietate, ad postremam hanc maximè Spinula propendebat: cui nimirum recèns reportatæ victoriæ spem aliarum dabant.

Igitvr dimisso Senatu, Buquoium accersit: mandat, ut Rhenobergæ, Meursæque situm omnem circumspiciat, notetque diligenter, num eas obsidere sit operæ-pretium. Ille omnibus perlustratis, non videri sibi respondit: adiecitque, Meursam esse opinione firmiorem. Non cessit huic primo tentamento Spinula: neque satis habuit prudentissimi Ductoris, rerumque bellicarum, & Belgicarum peritissimi sententiam accepisse. Vnde apertè reuincebantur, quicumque eum neglectæ occasionis optimæ redarguebant. Quamobrem ad eumdem Buquoium misit duos è diuersis Nationibus Militum Tribunos Iustinianum, & Menesium: qui causas ab eo requirerent, ob quas minimè obsidenda ea loca censebat. Idque ut accuratiùs fieret, in scriptis etiam illis dedit singula, quæ vellet inquiri. Hanc tantam Marchionis diligentiam vel ab ipso Hoste, ac bellicæ gloriæ Competitore Mauritio celebratam ferunt, cum diceret: *In eo uniuerso bello nihil se magis timere, quàm Spinulæ in rebus rectè administrandis, ac militari disciplinâ seruandâ sedulitatem.* Missis itaque duobus ad Buquoium Tribunis, Marchio literas quòque ad Archiducem dedit, quibus rogabat, ut in Flandriâ relictis Copijs si minùs id temporis uti vellet; earum partem ad se transduci iuberet, in Rhenobergæ obsidione, quam animo versabat, adhibendam.

Ex Instruct. March. 17. Septemb.

Spinulæ laus ab Hoste Mauritio.

Mezelune;

Et iam perductis ad fastigium sex lunatis circa Lingam munimentis: ei rebus cunctis ad defensionem idoneis abundè instructæ Turrium Præfectum reliquit cum bis mille ducentis Peditibus, Equitibus centum, tormentis quatuordecim. Ipse verò cum cæteris decimo octauo Calendas Octobris Oldensaliam migrauit. Ibi etiam rebus omnibus perlustratis, Guillelmum Verdugum præesse iussit Peditibus mille quingentis, Equitumque turmæ ipsi antea commissæ, ad custodiam loci collocatis cum duabus bombardis: eique vehementer iniûnxit, ut quàm citissimè posset cœpta munimenta perficeret. Inde Dorsthenam profectus, ad eam cum Exercitu substitit, ex condicto Iustinianum, & Menesium expectans. Qui cum conuenientes, disertè pronunciarunt, se in eàdem esse cum Buquoio sententiâ: *Rhenobergam*

Rhenobergæ obsidendæ difficultates.

per id temporis nequaquam obsidendam. Ernestum quippe millibus quinque Militum eam tueri: quorum mille Mosquetarij pridie intrassent Oppidum. Eumdem erectis extrinsecùs munimentis immane spatium occupasse. Quare ad obsidionem instituendam, tres minimùm Stationes inter se valde dissitas collocari per circuitum oportere. Id verò sine ingentibus Copijs fieri non posse. Quas Marchio ducebat, satis haud esse: quas Buquoius retinuerat, ad absoluendam munitionum structuram necessarias: easque ipsas cædibus, morbis, fugâ, supra quàm credi posset, imminutas. His cognitis Spinula eam obsidionem in tempus opportunius reseruauit. 1605.

TVM verò ad loca illa inspectanda se contulit, in quibus noua extrui poterant munimenta. Cùmque iuxta Vesaliam peruenisset, bellicum Hostium nauigium ad custodiam Luppiæ fluminis relictum deprehendit, factoque impetu tormentis nouem, cepit. *Vesel.* Postridie Mauritium cum Exercitu Rhesam tenuisse comperit. *Rees.* Quamobrem de sententiâ bellici Senatûs, Bislichium Pagum petere statuit, inter suas, & hostiles Copias interiectum. Namque consilium erat; si Castris Hostis erumperet, obuiàm alacriter ire; sin minùs, ibidem eius deliberationes opperiri. Igitur eò cum Equitatu concessit, Peditibus relictis. Ad memoratum locum prouectus, cùm Hostis lædendi nullam opportunitatem prospiceret, ad Castra se retulit. Postero mane ponte supra Luppiam iniecto, transduxit Exercitum: ac Rhenobergam prætergressus, duabus prope Rurortam leucis Stationes locauit. *Roerort.* Equitatum ad Mullhemium Pagum morari iussit, atque octingentis Peditibus defendi. Inter duo propugnacula, quæ ad Rurortam erigebantur, pontem Rheno perquam opportunum imposuit. *Mullem.* Alium contrà pontem eidem fluuio Mauritius adiecit prope Vesaliam: iuxta quam Castra posuit, & communiuit.



DE BELLO BELGICO LIBRI DECIMI OCTAVI

SVMMA.

VAchtendonchæ positus, & munitio. Eius oppugnatio dissuadetur, & suadetur. Obsidetur à Spinulâ. Italorum, & Oppidanorum strenuitas. Mullhemij Pagi descriptio. Prope illum Mauritiani Equitatum Triuultij aggrediuntur. Accurrit cum Fratre Mauritius, cum Velasco Spinula. Santomangus cæditur: Nicolaus de Auriâ capitur. Huius Elogium. Ingens conflictus à Spinulâ stratagemate dirimitur. Triuultij Comitis cædes. Elogium eius, præsertim à Familiâ Ducibus, & Cardinalibus inclytâ. Mauritij Frater periclitatur. Vrbem Geldriam intercipere frustra tentat Mauritius. Vachtendonchæ deditio. Cracoui quòque Oppido, & Arce Spinula potitur. Eiusdem conuentiones cum Meursensibus, & Coloniensibus. Ipsius victoriæ celebres per Europam. In Hispaniâ de eo sinistra opinio falsa cognoscitur. Eius modestia, & prudentia. Res ab eo gestæ historiâ dignæ censentur. Nouæ Hispanorum Copiæ in Belgio. Studium Religionis in Archiduce, & Spinula. Hic Aulam Hispanicam rursus petit. In Concilium status cooptatur. Eidem Genuæ plausus eam reuisenti. Spinulæ Gentis gloria ab affinitatibus Principum. Aegrotat Marchio in reditu ad Belgium. Terralius Bre-

fortium intercipit,& pauló pòst amittit. Brabantia, & Flandria vexantur à Fœderatis. Terralius Slusam recuperare studet, prospero initio, exitu vano. Sacerdotis captiui sapiens dictum. Ingens apparatus ad expeditionem Rhenanam. Archiducis, & Spinulæ consultationes. Fœderatorum quòque præparatio. Ventorum, atque imbrium violentia: Tiberis inundatio. Omnis Europæ damna à tempestate. Spinula proficiscitur ad Rhenum. Incommoda in itinere. Inicus Borgia Lochemium obsidet: ac triduo capit. Vahalim, atque Isalam traijcere Milites nequeunt.



DE BELLO BELGICO LIBER DECIMVS OCTAVVS.

1605.



IAM conducti ex Angliâ Milites, numero septem mille quingenti sub Tribuno Thomâ Comite Arundeliæ, tenuerant Belgium: & postulatu Spinulæ Marchionis, Archiducisque iussu cum Italorum Legione, cui præerat Lelius Brancatius Eques, Venlonam peruenerant. Quod ubi compertum Marchioni; Concilium bellicum vocat. Quærit, an è re sit, Exercitûs eis Copijs aucti partem Vachtendoncham oppugnatum immittere. Morante quippe ad Vesaliam Mauritio, parum, aiebat, Lingæ, vel Oldensaliæ timeri posse. Sed neque venturum eum subsidio Vachtendonchæ: nè scilicet ab hostico Exercitu, qui eam obsideret, atque ab eo, qui Rurortæ persisteret, medius concluderetur. Maior Concilij pars minimè tentandam eam expeditionem censuit: tum quòd validè munitum id Oppidum esset: tum quia ob tempus anni pluuijs obnoxium, loci situs imperuius. Aliqui tantùm, ut munimenta præstruerentur ad intercludendum subsidium, assentiebantur. Pauci demum in oppugnationem consentiebant. At Spinula, qui (uti Sapientes in consultationibus solent) expendebat sententias, non suffragia numerabat; dimisso Concilio Buquoium acciri iubet: aperit ei de inuadendâ Vachtendonchâ consilium suum: id operis eius curæ, diligentiæque committit: mandat, ut expeditionem extemplo aggrediatur: Iustiniani, Brancatij, Arundelij Legiones, aliasque Copias ad Peditum duo millia, Equites mille, secum deducat.

Venlò.

Anglicæ copiæ Italicis adiunguntur.

Spinula Vachtendoncha potiri statuit.

BVQVOIVS ergo cum eis profectus, tertio Idus Octobris prope Vachtendoncham peruènit, eamque perlustrauit. Geldriæ Prouinciæ id Oppidum est, ad Nerium flumen, duabus ferè leucis Vrbe Geldriâ distans. In humili, patentique planitie iacet, magnamque partem paludibus occupatâ. Septem ingentibus propugnaculis, circumiecto Agro imminentibus, bombardisque satis instructis munitum erat. Quare tum ob hæc, tum ob aquas accessum remorantes, inter validissima Geldriæ totius Oppida censebatur. Aderant Præsidiarij mille trecenti: quorum quin-

Vachtendôchæ situs, & munitio.

Niers. *Ghelder.*

quingenti, nocte antecedente Catholicorum aduentum, fuerant introducti. His omnibus rite perspectis, Buquoius ad Spinulam scripsit: rem, quam aggrederetur, summi laboris esse, summi discriminis, nec nisi infelicem exitum polliceri. Marchio rursus refert ad Concilium: cuius una sententia est, ut Exercitus reuocetur; præsertim quòd nondum cœptâ oppugnatione, nil detrimenti capiat militaris existimatio. Quamobrem Spinula præhabens consensum omnium opinioni, ac voluntati suæ, reduci Militem iubet. Quo accepto iussu, Buquoius Iustinianum accersit, profectionem in crastinum indicit. Sed antè mittendum eumdem censet ad Marchionem: ut quo cuncta sint loco, quæque ab eis obseruata fuerint, exponat. Morem gessit Iustinianus: Spinulam conuenit: momenta rationum, quæ prosequendam obsidionem suadebant, tam perspicuè produxit, ut priorem deliberationem apud eum redintegrarit. Quo tamen ea firmior esset, atque in nullius reprehensionem incurreret, eadem proferri à Pompeio voluit coram Militari Senatu. Cui pòst multa pollicitus est is confidenter, intra mensem id Oppidum captum iri. Ad hæc Proceres illi subiecere: *Iustinianum bellicâ experientiâ præclarum, dignum esse, cui fides haberetur in re, quam ita constanter, atque indubitatè sponderet. Vnum illud eius animaduersioni offerebant; annum ad finem vergere, atque hyemem, pluuiasque perpetuas impendere, quæ circumiectam planitiem obruentes, oppugnandi copiam negarent. Nihil id negocij facessere*; Iustinianus respondit. *Nam quâ parte oppugnandum Oppidum erat, solum eminere; adeòque ab inundationibus non timendum. Quod si finem rei tam properum, quàm fortunatum optarent; alijs mille Militibus roborarent Exercitum.* Mandauit itaque Spinula omnino oppugnationem iniri: & redeunti ad Exercitum Iustiniano Sangeorgium cum quingentis adiecit.

HIS acceptis, Buquoius militares accessus instituit ab unâ Oppidi parte, septingentos ferè passus mœnibus procul. Obsecundabat situs loci, duabus vallibus intersecti; quibus tecti, tutique Milites in aciem dispositi stabant. Ab unâ verò ad alteram quadringentorum passuum aggerem duxit. In eo tam continenter, atque acriter laboratum, ut postero mane trecentos tantùm passus à fossâ distarent. Bis mille ibidem Pedites collocati sub imperio Iustiniani: cui diebus alternis modò Brancatius, modò Sangeorgius succedebant. Cùm igitur labor omnis, & conatus in Italorum Militum, Ductorumque virtute situs esset: ingens inter eos (ut fieri inter æquales solet) procedendi gliscebat æmulatio, quæ tanta erat, ut noctes quòque quieti destinatas in opus impendrerent.

Ni-

Eius oppugnationi Buquoius dissuadet.

Iustinianus suadet.

Vachtendonchæ obsidio.

Italorum in ea virtus.

1605.

Marchio ad Comites solra 11. Oct.

Approcci. Iustinianus. Bentiuolus Camerus. Thuanus. Baudart. Gaspar Ens. Grotius.

1605. NIHILO ſegnior erat in Oppido Defenſorum alacritas. Ad opera diſturbanda, Operariosque ſternendos, nunquam ceſſabant moſqueta, bombardasque diſplodere, ac magnam Obſeſſoribus perniciem importare. Vt impreſſionem adeò noxiam cohiberet; ſua quòque tormenta Buquoius duobus locis diſpoſuit: illinc terna, hinc quaterna. Intermedius agger erat, qui noctu procedebat, interdiu verò muniebatur, ac latiùs patefiebat, ut per eum carris, atque bombardis agendis amplior eſſet via. Pari curâ, ac diligentiâ ſtudebant Obſeſſores ab Hoſte facilè ingruente terga Exercitûs tueri; omnesque illi aditus ad inferendum ſubſidium præcludere.

DVM in hunc modum ad Vachtendoncham ardent utrinque militares animi, quà ad oppugnandum Hoſtem, quà ad ſeſe propugnandum: nouus in aliâ parte conflictus, & quidem atrox, quaſi fortuitò, Catholicis certè inopinatus, exarſit. Horum Copiæ diuiſæ trifariam erant: uti rei gerendæ opportunitas poſtulabat. Aliæ prope Rurortam munimentis tum extruendis, tum cuſtodiendis occupabantur. Quibus vim, ardoremque ſufficiebant præſentiâ ſuâ Velaſcus, & ipſe Spinula. Vachtendonchæ oppugnandæ, ut modò narrabam, aliæ inſiſtebant. Aliæ demum, hoc eſt cum paucis Peditibus magna pars Equitatûs, ad Mullhemium Pagum morabantur: quod etiam indicauimus. Surgit hic Pagus in alterâ Ruræ fluminis ripâ, quod niſi creſcentibus aquis intumuerit, vado tranſiri commodè poteſt. In alterâ ripâ, ſenſim aſſurgente campi planitie, Caſtrum, Brocha nomine, ſpectatur. Propius amnem, quà traiectus Mullhemium versùs eſt, Molestrina fuerat extructa. Nec procul eâ Statio Equitatûs erat, cui præerat Theodorus Comes Triuultius ſupremi Equitum Magiſtri Velaſci Locum-tenens. Ex alterâ Caſtri parte quaſdam ædes ſuburbanas Franciſcus Irazauallius Hiſpanus cum ſubiectâ ſibi centuriâ inhabitabat. Sæpibus eæ, foſſiſque circumductis muniebantur: & Burgundiones ad portæ cuſtodiam excubabant. Quorum Centurio cum alijs ingreſſum viæ per quadringentos ferè paſſus eò deducentis cuſtodiebat. Alterius viæ, quæ Mullhemium ferebat, aditum cancellatæ fores obſtruebant. Milites eis tutandis addictos, & partem Equitatûs haud procul inde Stationes habentem, recipi iuſſerat paulò antè Triuultius ad reliquum Equitatum: quòd illa à toto corpore diſiuncta, incurſionibus Hoſtium patêret. Nè tamen incuſtoditum relinqueret viæ caput; Decurioni mandauit: ut noctu quidem viam illam cum Equitibus vigintiquinque perequitaret; die verò illuceſcente, conſuetis excubijs cancellos muniret. Poſterius hoc mandatum (quæcum-

que

Iidem Hiſtorici.

Roerort.

Pugna memorabilis ad Brocham.

Mullem.

Roer.

Loci deſcriptio.

Bruch.

Theodorus Triuultius Equitum Magiſtri Locum-tenens.

Batter las ſtrada.

que fuerit causa) violauit Decurio. Cùmque propterea in magnum discrimen Equitatum adduxisset, post dimicationem, quæ iam referetur, est morte damnatus. 1605.

Mauritii copiæ Triuultii Equitatum aggrediuntur.

Eorum dispositio.

IGITVR Mauritius, comperto, Triuultium cum Equitatûs parte diuulsum à cæteris, prope Mullhemium, non longè à Brochâ, pabulandi gratiâ constitisse: eam occasionem sui profectûs ratus; illò raptim contendit cum ter mille Peditibus, quos ad maiorem celeritatem in currus imposuit, atque omni ferè Equitatu, senisque tormentis. Primum agmen agebat Henricus Fridericus Mauritij Frater, supremus Equitum Magister: eique, ut Iuueni annorum viginti, comes additus Marcellus Baxius. Ita verò fuerat inter eos constitutum: ut Baxius cum maximâ Equitatûs parte vias percurrens, aditum ad Castra Catholicorum Equitibus intercluderet; Henricus verò cum turmis aliquot, & Peditatu Pagum occuparet. Post hos cum reliquo Exercitu Mauritius sequebatur.

SEPTIMO Idus Octobris, unâ horâ post Solis exortum, memoratum viæ caput Mullhemium ferentis, patens, ac sine Custodijs Fœderati tenuerunt. Cùm verò pulsari in proximo tympana exaudirent, ac tubas canere (quo signo aliquot turmæ ad conquirenda pabula cogebantur) steterunt in vestigio, vel insidias suspicati, vel Peditatum reliquum præstolantes. Quæ mora fuit Catholicis maximè salutaris, cùm sese instruendi, maioribusque subsidijs confirmandi spatium daret. Mox Henricum Fratrem Mauritius immisit, ut locum quemdam nomine Spiram, octingentis ferè passibus Brochâ distantem, adiret. Illac namque commodum esse norat traiectum fluminis. Quo transmisso, ut Brocham inuaderet, mandauit, eòque se recipere Catholicos prohiberet. Inopinata Henrici, ac Sociorum irruptio Burgundionum Custodiam, ac Irazauallij centuriam pòst breue certamen facilè profligauit. Hinc Iuuenis animosior factus, fluuium traijcere, ac maiorem aggredi Mullhemij Stationem Equitum tentauit. Sed iam ad pugnæ strepitum conscenso equo Triuultius cum plerisque suorum obuiàm progressus Henrico; tanto eidem restitit impetu, ut omnino alteram fluminis ripam attingere vetaret. Magnis utrinque viribus, extremoque conatu in medijs aquis, velut in nouo belli campo, certatum est: nec pauci ex utrâque parte tum à ferro, tum à flumine periere. Ter conatus Henricus traijcere: ter à Triuultianis virtute insigni repulsus. Quare coactus retrocedere, Spiram redijt; inde Mullhemium petiturus. Triuultius secundis initijs, atque Hoste propulsato lætus, Brocham Crusadorum properare cum pedestribus suis Copijs

Guardie.

Foraggiare.

Far alto.

Flaminius à Cruce Theat. Milit. Dissert. 4. c. 6.

Henricus Fridericus Catholicas Custodias fundit.

Rompere.

Triuultius eidem obsistit, eumq; repellit.

1605. pijs iussit. Is Peditibus aliquot Fœderatorum fugatis, qui locorum angustias occuparant, Castri potitus est. Eum sequutus cum Equitatu Triuultius, in patenti planitie ante ipsum Castrum turmas explicuit, & sæpes aliquot circumfusas Mosquetarijs instruxit.

Mauritius contra Triuultiú pergit.

MVLLHEMIVM interea peruenerat cum Exercitûs corpore Mauritius: ibique magnâ Peditatûs parte, tormentisque relictis, fluuium prope Spiram transmisit. Cùmque ad se Fratrem, nè quid subiret periculi, reuocasset; eam intrare planitiem contendit, quam Triuultius tenuerat. Angusti ad illam aditus ferebant. Quare Mosquetariorum alas præmisit, qui continuatis ictibus Catholicos loco pellerent, suoque viam Equitatui aperirent. Tùm fortè Spinula cum Velasco ad perlustrandam Equitum Stationem veniebat: cùm in itinere Nuncium obuium habuere à Triuultio missum, ut subsidium rogaret. Retorsit illico habenas, atque iter Spinula, ut Copias accurrere iuberet. Velascus verò gradum ad Stationem Equitum celerauit. Cùmque in medio cursu Fabritium Santomangum Neapolitanum offendisset, qui suam, tresque alias turmas Rurortam ad munitionum custodiam deducebat; secum unà regredi Mullhemium iussit. Et iam eò deuenerant, ubi Triuultij Equitatus occupatam planitiem contra hostilem incursum strenuè tutabatur. Hic omnia circumspiciens Velascus, animaduertit, aliquot Fœderatorum turmas in eam planitiem irrumpere conari. Ergo extemplo aduersùs illos Santomangum, & Nicolaum Auriam immisit. Hi cum suis Copijs tam acriter in Hostem decertarunt: ut eum prorsus aditu prohibuerint. Verùm (uti rara victoria est, quæ non stet pretio sanguinis, alterius-ve iacturæ) dum Equitatui securitatem comparant, Santomangus vitam, Auria libertatem amittit.

Maniche.

Spinula, & Velascus eòdem accurrunt.

Fabritius Santomãgus occiditur. Nicolaus Auria capitur.

Nicolai Elogium.

ET quandò Nicolaus Ambrosio Marchioni, uti sanguine proximè iunctus, ita sanguinis in bello fundendi socius fuit ferè perpetuus: dignus videtur, cuius in hac historiæ parte memoria non facilè moritura venturis ætatibus committatur. Non est huius loci vel numerando percensere tot eius Maiores factis, & famâ inclytos: Auctorem Generis Arduinum ab anno partæ salutis nongentesimo quadragesimo primo: Ansaldos, Vbertos, Lambas, Cæsares, Opicinos, Brancaleones, cæterosque; & alios plurimos ex celeberrimâ Gente de Auriâ Heroes, qui rebus à se præclarè gestis impleuerunt Historias. Nec tamen inuoluere silentio possum, aut debeo Proauum Nicolai Hieronymum: qui Cremolini Monferratensis Dominus cum Posteris fuit. Is ad restaurandam Genuensem Rempublicam ex duodecim Viris unus in-

Eius Maiores.

Vbertus Folieta in Elogijs.

1605.

incubuit. Vxore orbatus Aloysiâ, Filiâ Baptistæ Spinulæ Belfortis Domini, ac Genuensis Ducis; Romanam Purpuram in Auriam Familiam primus inuexit: à Septimo Clemente sine socio promotus, Andreâ maris imperio nobili, rogante; cui unicè dilectus, ac bene de illo meritus, ob impetratam ei à suâ Republicâ supremam triremium Præfecturam. Eidem Pontifici cum Hippolyto Cardinali Mediceo adstitit, dum Carolum Quintum Cæsarem Bononiæ Coronâ Ferreâ biduo antè quàm Aureâ inauguraret: consuetis coronandi locis per diploma mutatis. Pluribus deinceps Ecclesijs præsedit Antistes. Nec præterire licet Auum Nicolaum duarum triremium Dominum: qui sibi, ac posteritati ab Rege Philippo Secundo impetrauit, ut Neapolitani Ciues perpetuò dicerentur. Coniugem habuit Camillam è Lauaniæ Comitibus, & Stirpe de Ruuere. Eadem cognatione propinqua fuit Aloysio Gonzagæ inter Beatos Cælites numerato. Nicolaus verò Paulo, Genuensis Societatis Iesu Collegij Fundatori. At Parens iunioris Nicolai Sinibaldus tam fortunatus in pace, quàm fortes in bello Filij; Diui Iacobi Eques fuit Commendator, ut appellant. Vxorem duxit Helianettam, Nicolai Grimaldi Filiam, plurium locorum Comitis, Marchionis, Principis, Ducis; cui titulorum, & diuitiarum copia vulgò Monarchæ cognomentum imposuit. Helianetta Sororem habuit Polyxenam Marchionis Ambrosij felicissimam Genitricem.

Petramel. in Paulo IV. Ferd. Vghel. lus in addit. ad Ciaccon. Franc. Zazzera in Nobil. Ital. Clem. VII. Constit. 28. T. 1. Bullar. Andr. Victorell. add. ad Ciaccon. in Clement. VII. Cornel. Agrippa de dupl. coron. Carol. V.

Eiusdem facta.

His proximis Maioribus ortus Nicolaus acceptam ab eis gloriam reddidit ingenti cum fœnore. Marchionem Ambrosium Consobrinum suum comitatus in Belgium, & laborum fuit particeps, & palmarum. Quot in hac historiâ fortiter, ac feliciter à Spinulâ patrata narrantur: tot quodammodo recensentur Auriæ præclara facinora. Italorum Peditatui principio præfuit: postea verò Equitibus Hastatis. In Ostendanâ Obsidione saucius, futuræ victoriæ suum sanguinem oppignerauit. In celebri ad Brocham pugnâ modò narratâ, ferreâ pilâ per os in ceruicem adactâ vulneratus, & captiuus deductus, ita cepit Hostium animos, ut Fœderatorum supremus Dux Mauritius illum iusserit in suo tentorio collocari. Quod & eius virtuti datum, & arctæ cum Spinulâ cognationi. Libertati statim redditus fuit: ut videretur fortuna belli ostendere tantùm Hollandis eius aspectum Viri voluisse, cuius fortitudinem experimentis norant. Et permutatus cum captiuo apud Regios Bethunio, Equitum pariter Præfecto: quasi eos Mauritius ad sui iudicij trutinam ponderasset. In Italiam reuersus, ab Insubriæ Gubernatore Fontano Comite (cuius virtutes, & prælia, & victoriæ tantam operis huius partem occuparunt)

Lancie à cauallo.

Gaspar Ens lib. 26. Guillelmus Baudart an. 1605. Stato di Milano.

1605. runt) electus fuit ad Vallonum Peditum Legionem conducendam, cum potestate militiæ Præfectos ad suum arbitrium creandi: sed executionem induciæ vetuere. Ab Rege Catholico aureos ferè mille annuos accepit, regale testimonium fidelis obsequij. Quique cum Ambrosio Marchione strenuè militarat, etiam cum Philippo, eius non degeneri Filio, in omni propè expeditione pugnauit: insigni testificatione præstantiæ à tam laudato Viro laudatus. Ab alio postmodum Præside Insubriæ Consaluo Fernandio de Cordubâ Italicæ Peditum Legionis Tribunus creatus, in obsidione Niciæ, & Casalis egregiam nauauit operam. Denique anno millesimo sexcentesimo trigesimo eidem Militum Præfecturæ impositus, dum in Subalpinâ regione cum eodem Marchione Philippo rem de more fortiter gerit; ad Carinianum lethaliter sauciatus occubuit; suo quòque confirmans exemplo, quàm gloriosum sit in bello mori. In magnâ fuit existimatione Militum, & Ducum, præsertim quòd puras ab alienâ re semper haberet manus: atque ab ijs iuberetur accipere, quibus alij reddere cogerentur. Comparem sibi Coniugem elegit nomine Benedictam, æquè spectabilem claritate generis, & splendore virtutum: cuius integritas vitæ, morum suauitas, & prudentia rerum agendarum eluxerunt in sobole. Fratrem habuit Nicolaus sibi non dissimilem Ioannem Baptistam: qui Marchionem Ambrosium itidem comitatus in extremâ profectione Belgicâ, Grollæ, & Rhenobergæ obsidioni, alijsque expeditionibus interfuit: ac post inducias, cum eodem Palatini ditionem ingressus, in partem gloriæ venit ex plerisque victorijs. Italorum Peditum primò, deinde Equitum Ductor, ac postremò Legionis Tribunus; ubique fortitudinis, ac militaris solertiæ specimen dedit. Demum Vesaliam versùs cum Henrico Bergensi Comite profectus, dum inter Exercitûs Principes ab hostili turmâ repentè inuaditur; atque alijs ad pugnam imparatis animos verbis, atque exemplo facit; tribus ab Hoste vulneribus letho datur. Vt cadauer incolume seruarent, recepere se socij: & Henricus aromatibus conditum magnifico funere Vesaliæ cohonestauit, connocatis Nobilibus, & viginti quatuor mendicis lugubri veste indutis. Quare verissimum apparet Philippi Marchionis effatum: *Multum debere Belgium, multum Hispaniam huic Auriæ Familiæ; quæ in utriusque obsequium tam prodiga sui sanguinis fuit.*

Ex lit. Philippi March. ad Nicolai Filium 18. Apr. 1654.

Nizza.

Piemonte.

Laus Io. Baptistæ Fratris.

Ex eisdem literis.

QVATERNAS solidas horas sæuus conflictus arserat: cùm inopinatò tympanorum fragor auditur: quo ambarum partium animi præ repentinâ nouitate commoti: Fœderatorum tamen vehementiùs, qui suspicati, Catholicorum subsidium iam in-

Certamen ingens Spinulæ stratagemate diremptum.

gruere; prælium in ſummo ardore diremere. Spinulæ militaris aſtus is fuit, Ducibus magnis & peruetuſtâ, & recentiore memoriâ uſitatus. Tympaniſtæ aliquot in equis præire iuſſi, & ſignum caſtra mouentium ſimulare; quaſi totus Exercitus propè ſubſequeretur. Quâ deluſus opinione Mauritius (nam plerunque artium callidiſſimi quique artibus capiuntur) veritusque Rurortâ, non multùm inde remotâ, digreſſum cum Copijs omnibus Spinulam iamiam ſuis ceruicibus imminere: reuocare paulatim gradum cœpit, ac receptui canere. Id quod futurum Marchio ſapienter proſpexerat, eoque commento ſtuduerat Hoſtem ab incœpto deterrere. Non tamen ipſe diutius multò diſtulit acceſſum ſuum cum ſexcentis Peditibus Hiſpanis; quem haud longo interuallo alij bis mille cum duobus tormentis ſequebantur. Tandem verò adiuncto ſibi Velaſco in flumen Marchio deſcendit: ibique ducentos ferè Mauritianos Pedites reperit, qui iam tùm vadum traijciebant, ut in alteram ripam euaderent. Quare Lucam Cairum in eos facere impetum iuſſit: qui unà cum ſuis egregiè dimicans, omnes prorſus internecione deleuit.

1605. Strategemma. Marchiare.

Suonar' à raccolta.

Spinulæ acceſſus, & Hoſtium cædes.

INGENTEM Hoſte propulſato lætitiam Catholici reportabant: cùm fortuna tantum gaudij non minore triſtitiâ intermiſcere, uti ſolet, aggreſſa eſt. Inter pugnantes multum ſibi gloriæ cumulauerat Theodorus Comes Triuultius, non ſolùm imperio, quo ſuos Equites ad coercendum Hoſtem acriter, ac diligenter impulerat: ſed etiam manu, quâ multos in medio flumine confoderat. Verùm repentino bombardæ ictu in pectore percuſſus, ac ſubitò extinctus, Catholicorum victoriam funeſtauit. Progreſſus tamen Spinula cum Velaſco trans fluuium, Mauritij recedentis nouiſſimum agmen carpere cœpit, ac diſſipare. Maioremque perniciem inſequendo attuliſſet, niſi ſaucius equus bellicum eius impetum retardaſſet. Igitur Hoſtium occiſorum perfuſus ſanguine, cæteriſque ad receptionem compulſis, ab inſectando deſtitit: ſuoſque recollectos, & pro virtute laudatos, ad quietem dimiſit. In hâc ſubitariâ, & quaſi fortuitâ dimicatione Mauritiani quà cæſi, quà ſaucij fuere quadringenti quinquaginta: atque inter eos cum aliquot Centurionibus unus etiam Tribunus. E Catholicis verò centum quinquaginta, quorum præcipui Triuultius, & Santomangus extincti, ſimulque Centuriones Foſſatus, & Carolus Gambaloita: Captiuorum autem Nicolaus Auria potiſſimus. Magnæ fuit exiſtimationis hæc pugna parti Catholicorum. Ex his quippe octingenti tantùm Equites, totidemque Pedites erant; & quidem in varias partes diſperſi, atque ex improuiſo oppugnati. Præ cæteris verò Triuultius ſummâ

Triuultius ab ictu bombardæ occumbit.

Dar' alla coda.

Ex lit. Marchionis ad Zunigã 20. Octobr.

1605. virtute æternam sibi laudem comparauit: qui Principem Henricum à fluminis traiectu antè summouit, quàm reliquæ sociæ turmæ conuenirent; atque horis illis, quæ supremæ ipsi erant futuræ, partes omnes expleuit tum prudentissimi Ducis, tum fortissimi Bellatoris. Vt meritò dictus ab Historicis fuerit: *Vir heroici spiritûs: atque armis inclytus Heros.*

Botereius. Beyerlinch.

Et sanè Vir ille fuit, non minùs suis, quàm suorum eximijs laudibus in omnem posterorum memoriam celebrandus. Numerabat quippe in clarissimâ suâ stirpe quà bellicâ, quà ciuili gloriâ spectabiles penè quot homines, tot Heroes. Erasmum in primis ante quingentos annos Philippi Mediolanensis Ducis Exercitûs Imperatorem: Georgium Ludouici Duodecimi Galliæ Regis Magistrum Equitum: Alexandrum Francisci Primi supremum Ducem: cognominem suum Theodorum nunc Gallici, nunc Neapolitani Regis, nunc Venetæ Reipublicæ Imperatorem: Ioannem Iacobum appellatione Magnum, historiarum celebritate maiorem, meritis, & virtutibus summum: qui sapienter, ac iustè gubernauit Insubriam, ac Mediolanum aduersùs Cæsareas vires tutatus est. Horum, aliorumque Theodorus ut bellico impressa pulueri vestigia premeret; in ipso ætatis vere; in præclari felicitate coniugij cum Principe Catharinâ Gonzagâ, Vincentij Tertij Mantuani Ducis Consobrina; in magnâ spe prolis ad Auorum gloriam euehendæ, relicto unico Filio, quamuis numerum præstantiâ compensante, nominis, & virtutum hærede: nexus omnes abrupit, properans ad Belgicum bellum, è quo reuersurus non erat; Spinulæ Marchionis vel inflammatus exemplo, vel æmulatione gloriæ stimulatus. In eo fortitudinis campo nihilò planè minora Theodorus gessisset Maioribus suis: nisi mors importuna spes ingentes de more præcidisset. Atque ut ipse militarem Heroum, quos recensuimus, virtutem compendio tam temporis, quàm factorum complexus est: ita Nato cognomini ad sacram Purpuram euecto reseruauit, ut Purpuratorum ex eâdem Familiâ Patrum laudes æmularetur. Quamobrem Antonij prudentiam, iustitiamque Theodorus Cardinalis in regendâ pro Rege Sardiniâ, Siciliâque repræsentauit. Scaramutiæ in tuendo Gallici Regni patrocinio fidem, ac magnanimitatem expressit, in Oratoris munere pro Rege Hispano (duas quippe summas Coronas Stirps una coluit) apud Pontificem Maximum Innocentium Decimum nauiter obeundo. Augustini diligentiam in conquirendis, describendisque Pontificum, & Cardinalium rebus gestis; literarum, & Literatorum amore adæquauit. Iunioris demum Antonij mentis capacitatem varijs legationibus

Triultii Comitis Elogium.

Eius Familiæ Viri armis insignes.

Franc. Sansouin. de Illustr. Italiæ Famil. Frãc. Guicciard. in Ital. Histor. Paulus Iouius in Histor. sui tẽp. & in Elog.

Triultii Cardinales, ac præcipuè Theodorus eius Filius.

Onuphr. Panuin in Pontif. Alphonsus Ciaccon. in Pontif. cum Addition. Paul. Manut. Præfat. in Salust.

bus

bus exercitam; ipse præ se etiam tulit magnarum tractatione rerum, & summorum negotia Principum feliciter peragendo. Vt igitur Theodori Comitis decora omnia contrahantur in unum; hoc sit illius quâcumque gloriosius laude præconium: Theodori Cardinalis Triuultij Patrem fuisse. 1605.

Marchio ad Buquoium, quo die res gesta, & 11. ad Solrach. Gaspar Ens lib. 26. Grotius lib. 14.

Henrici Frederici pericula.

Ex enarrato conflictu præter Hostis repulsi gloriam, retulere Catholici duo signa Fœderarorum, & carros totidem onustos bellico instrumento. Propè etiam fuit, ut manubias inde longè opinione maiores reportarent: captiuum nempe Principem Henricum. Is in summo prælij tumultu destitutus à suis, Baxio se coniunxerat. Cùmque Centurionem inuasisset, sclopetum in eius latus direxit: sed pyrius puluis ignem non concepit. Mutuò illum displodere conatum pari sorte fefellit euentus. Quare Centurio ad eum propiùs accedens, transuersamque pectori fasciam arripiens, equo deuoluere Iuuenem contendit. Adest auxilio vicinus Baxius: sclopeto caput Centurionis petit: sed præ festinatione, in loricam ictus descendit. Accurrentibus verò undique Mauritianis, uterque ex Hostium manibus eripitur. His æquè fortiter, ac feliciter gestis, Spinula, & Velascus Rurortam ad Castra reuerterunt.

Vachtendonchæ obsidio urgetur.

Piátar baterie.

INTEREA Vachtendonchæ obsidio promouebatur: licèt nonnihil identidem subsidij per paludem submitteretur. Tres aduersùs eam Buquoius tormentorum suggestus disposuit, præter suprà memoratos: ad dexteram unum cum quatuor bombardis, ut munitiones à fronte subduceret: alios duos coniunctos cum tormentis septem ad læuam, ut ab lateribus Hostium vim inhiberet, ac liberum redderet fossæ traiectum. Duo tamen ad defensionem prompta ex eâdem parte tormenta, nunquam ita disijci, lædique potuerunt, quin altera statim duo reponerentur. Verùm etsi continenter inde Obsessores petiti, atque eorum plerique extincti; nihil ideo repressus, aut retardatus est ardor: quò minùs paucis diebus ad fluuium, qui obstabat unus ante fossam, peruenirent. Adfuit id temporis Spinula, obsidionis progressus suismet oculis inspecturus. Ibi consilium ei suum aperuit Buquoius, insequente nocte strato ex asseribus ponte flumen transmittendi: ac supra fossæ ripam excitandi lunatum munimentum. Vtrumque Marchio probauit: ac res sapienter administrari compertum habens, Rurortam rediјt.

BVQVOIVS, custodiam agente Iustiniano, trans flumen processit: ac lunatam munitionem cœpit extruere; quam mox Brancatius, ac Sangeorgius ad culmen perduxere. Inde ut fossam transmittere licèret; eam instituit opplere materie Iustinianus: simulque

1605. musque ab dextro latere aggerem è virgarum fascibus colligatis erexit, quò tutior ab Hostium tormentis transmissio foret. Partem alteram fossæ iniectu quòque materiæ peruiam fecit Brancatius: tertiam, postremamque Sangeorgius. Quibus peractis, ac Milite ad propugnaculum Oppidi transducto; subter illo cuniculum effodere Iustinianus aggressus est.

Mavritivs, Vachtendonchæ subsidio desperato; pro eius Oppidi iam impendente iacturâ, maiorem Catholicis reponere moliebatur. Ab eius militari Statione haud longiùs quatuor leucis Vrbs Geldria erat. Illam inopinatò adoriri, & si liceret, capere animus fuit. Quare cum quinque Peditum millibus, Equitibusque bis mille profectione festinatâ, ad Pagum Issen in medio situm itinere Castra posuit. Eàdem nocte, postquam eò perueniisset, Philippum Mornæum Plessium Gallum Geldriam præmisit: cui bis mille Pedites, Equites mille subiunxit. Vbi ad Vrbem hi accessere, extemplo pyloclastra portis admouent. At eorum Instructor ab excubantibus Custodijs antè occisus fuit, quàm ignem applicaret. Igitur detectis insidijs, ac Defensoribus magno numero agglomeratis; refugere inde coacti sunt Mauritiani cum iacturâ tam Militum, quàm instrumentorum. Venerat ad aures Spinulæ, mota Mauritij castra: adeòque non temerè suspicatus, eum auxilio Vachtendonchæ accurrere, ut medium interciperet, simul cum suis Copijs è Stationibus processit, simul paratum esse Buquoium iussit ad obsistendum. Verùm cùm ad eius indagandum iter Exploratores misisset, certior ab ijs est factus de Geldriâ incassum tentatâ. Quare Ryrortam, ad munimenta perficienda, se recepit.

Mauritius Geldriam Vrbem intercipere conatur incassum.

Pettardiero.

Iam verò ad Vachtendoncham tempus erat, ut cuniculus perfectus succenderetur: ac per deductam ab eo ruinam impetum in propugnaculum facerent Oppugnatores. Iamque hi à Buquoio dispositi in hunc modum erant. Instructores Militum duo præibant: & quinque supra viginti quisque ducebat Pedites pyrobolos manibus præferentes: quos à similitudine mala Punica vocant. Ponè sequebatur è Sangeorgij Legione Centurio cum alijs quinquaginta. His proximi erant Centuriones duo, alter Iustiniani, alter Brancatij, cum suâ quisque centuriâ. Tùm alij duo cum ducentis. Postremum agmen Sangeorgius agebat è reliquis Copijs. Municiones, & Castra mille Militibus custodita. Ita verò fuerat inter eos constitutum: ut si quis foret in propugnaculo receptus; ante illum primus Centurio subsisteret, ac se, suosque communiret: sin autem nullus, oppugnatio promoueretur. Igitur admotus cuniculo ignis tantum muri perrupit, ut per eum

Sergenti.

Granate.

Catholicorum Militum dispositio ad oppugnationem Vachtendonchæ.

1605. *Breccia.*

hiatum commodè posset magna Militum vis irrumpere. Quod conspicati Defensores statim in fugam auersi sunt. At à suis Præfectis exprobrationibus, & minis compulsi, ad murum omni ope tuendum rediere. Quibus acriter obsistentibus, Catholicorum impetus aliquantùm elanguit. Adeòque primus Centurio retrocedere cœperat: cùm duo, qui proximè sequebantur, non seruato præscripto, atque ordine in oppugnatione procedendi, illum subitò præuerterunt, ac Defensores ad receptum usque propulsarunt. Sed vel violatæ legis, vel nimiæ confidentiæ pœnas illico ambo dederunt: alter in ipso conflictu cadens, alter ex eo saucius, & paulò pòst extinctus. Animos Oppidani resumpserant, iterumque Catholicos ad receptionem adigebant: nisi hos imperio, exemploque Sangeorgius ad fortiter faciendum inflammasset. Namque animosè prætergressus, in summo propugnaculo locum cepit, eumque communiuit.

Propugnaculum à Sangeorgio capitur.

Nocte deinde subsequutâ Iustinianus alterum effodere cuniculum instituit. Buquoius verò tormenta duo aduersùs factum hiatum direxit, ut hostilem receptum quassarent. Verùm ortâ luce Oppidani ad colloquium Obsessores euocarunt, certisque conditionibus deditionem fecerunt. Egressi sunt sexto Calendas Nouembris cum armis, signis, atque impedimentis nongenti quidem incolumes, saucij verò centum quinquaginta, ducentis cæsis relictis. E Catholicis vulnerati ducenti quinquaginta: totidem extincti. Horum fuere præcipui: supremus Exercitûs Instructor Chiappanus; Centuriones Barbutus, Pantaleo Spinula, Marcellus Castramedianus, Ascanius Minutulus, Vincentius Maria Bergonzius, Rouerus Comes. Tormenta duodecim in Oppido reperta.

Oppidum deditur.

Fa[r]chiamica. Arrenders[i].

Dum Buquoius ad Vachtendoncham rem bene, ac feliciter gerit, Fridericus Comes Vandenbergius, qui diu Buchouti, mox per aliquot dies Axenæ stationem Exercitûs collocarat; cum eodem Oppidulum Middelburgum aggressus est. Id verò post displosa semel, iterumque tormenta, cum conditionibus venit in potestatem. Illo statim, eiusque suburbio communito, ad aggerem Damensem se contulit Fridericus. Ibi duo excitauit prope Slusam munimenta, bombardis inde continenter fulminantibus minimè ab opere retardatus.

At Spinula, ubi de Vachtendonchâ deditâ cognouit, ad Buquoium mandata literis dedit; ut eá idoneo Præsidio firmatâ, deiectisque circumcirca ductis aggeribus, ad Cracouum expugnandum pergeret. In Agro Meursensi Castrum hoc erat, à Fœderatis occupatum, ac terrenâ munitione, fossâque circumseptum.

Spinula Cracouũ inuadi iubet.

Cracoue, à Cracau.

Cùmque

1605. Cùmque suum illi Præsidium ibidem collocassent; circumiectam regionem identidem infestabant. Huic ut occurreret malo, Buquoium eò misit Marchio cum victricibus Copijs. Vbi peruenere; tribus Castrum ab lateribus obsederunt: unum cum suis Brancatius tenuit, alterum Iustinianus, Sangeorgius tertium. Ipsâ nocte aggeres obliquè accedentes duxerunt: ac sena tormenta opportuno ad muros quatiendos situ collocarunt. Primâ verò luce misit Buquoius, qui deditionem postularent. *Eam si abnuerent*, addebant, *de conditionibus actum fore. Pracocem eam esse:* responderunt Oppidani. Quâ responsione commotus, iussit Buquoius tormenta continenter exonerari. Solidam diem ingens concussio tenuit: noctu verò obsidionales accessus adeo promoti; ut altero mane in conspectum se Iustinianus dederit supra fossam. Eam traijcere iamiam moliebatur ramalium fascibus colligatis, atque in farcimina congestis: cùm Oppidani, defensione desperatâ, colloquium, & conditiones ab Hoste poposcerunt. At Iustinianus verba verbis reponens; *Serotinas eas esse*, respondit. Simulque incœptum opus peregit. Iamque perruptis bombardarum impetu muris, oppugnatio adornabatur. Obsessi desertis mœnibus, in Arcem confugère; quæ fossâ, ac versatili ponte munita erat. Quamobrem succensi maiore irâ Obsessores, pontem reuellere, ac deturbare aggrediuntur: & quæ relicta fuerant ad muros tormenta Defensorum, in ipsos verrunt, quantumuis deditionem proclamantes. Verùm Buquoius illos miseratus, concessit, ut incolumes se victoris arbitrio permitterent. Igitur intra Templum eâ nocte conclusos, postridie sinè armis, solis Centurionibus ense relicto, trecentos numero liberos dimisit. Ea quippe in clementiam prona Marchionis sententia fuit, Archiduci quòque probata; quamquam Militibus parum iucunda, vel in sæuitiam semper ferè procliuibus, vel ob detrectatam deditionem iratis. Cùm verò accepisset Spinula, quosdam inter illos esse Sancti Andreæ Arcis desertores, aliosque transfugas Italos; eos omnes ad suspendium destinauit. Ita uno, eodemque mandato & parcere subiectis voluit, & plectere defectores. Quatuor inde reportata signa, ad eumdem transmissa. E Catholicis octoginta quà cæsi, quà saucij: eorumque è Legione Iustiniani pars maxima. Vt eorum iactura copiosior fuerit (ceu fieri solet) quorum virtus ardentior.

Approcci. *Marchio ad Petrum de Zuniga 11. Nouembr.* *Fascine. Salsiccie.* *Iustinianus in fine lib. 4.* *Ponte leuatoio.* *Rendersi à discretione. Ex lit. Marchionis ad Archid. & Buquoium 6. Nouemb.*

Eius obsidio. Oppido, atque Arce Catholici potiuntur. Parcitur Obsessis. Transfugæ morte multantur.

SECVNDORVM euentuum felicitas, & Meursæ propinquitas expugnato Cracouo, Archiducem hortabantur, ut prosperam prosequendo Marchionis fortunam, Meursam ipsam oppugnari iuberet. Quare illum eâ de re commonefactum voluit. Ac is:

Marchio ad Mansfe. 10. Nouembr.

Meursæ oppugnatio Archiduci dissuadetur à Spinula.

Eiusmodi expeditionem sibi maximè in votis esse: respondit: *multosque se dies id animo volutaße. Verùm ad extremum sibi constare, sinè manifesto Copiarum discrimine, ac ruinâ id operis tentari non posse. Anni tempus iam ad hyemem vergere, obsidionibus potissimùm importunam. Frigidâ, pluuiâque tempestate longè peiorem esse Obsidentium, quàm Obsessorum conditionem. Hos quippe sub suis tectis ad imbres, rigoremque defendendum pluribus adminiculis iuuari. At Obsessores vel sub aperto Cælo, vel sub angustis tentorijs degere, aëris iniurijs ferè semper obnoxios. Milites porrò suos recentium lassos laborum, seminudos, ægrotos, quo laturos animo, sibi pugnas indies ex pugnis seri; ac pro suspiratâ, commeritâque quiete nouis se laboribus, ac periculis obiectari? Oppidum illud esse, uti magni momenti, ita validiùs ab Hoste communitum, quàm ut paucis diebus expugnari queat. Quare opportunius multò sibi videri, consequentem in annum eam obsidionem differre. Interea bellicos apparatus instrui posse copiâ longè maiore: quandò etiam Hostis validiores sit vires contracturus. Ideoque curandum sedulò, ut ex Hispaniâ quantum fuerit satis pecuniæ, Copiarumque tempestiuè mittatur. Eo subsidio sperare se, longè maiora Regis, Archiducisque rebus emolumenta proximo anno euentura.* Suasit hæc Alberto Marchio per literas ad Mansicidorium datas: & iure persuasit. At Meursæ Gubernator, seu de illâ mente Archiducis factus certior, siue confinium locorum expugnatione commonitus, agi rem suam, dum proximæ periclitantur; optimum factu duxit, cum Marchione pacatè transigere. Itaque ad eum scripsit: *Meursam Oppidum esse medium inter utramque Partium, neutrique addictum: ac propterea par etiam esse, ut eius Agrum, & circumiecta loca ipse à subiectis sibi Militibus infestari vetaret.* Ad hæc Spinula: *Nequaquam sibi videri medium*, respondit, *quod Fæderatorum Præsidio teneretur. Quòd si eius conditionis testificationem aliquam ab Archiduce impetrasset; eam in medium produceret: seque statim suos ab hostilibus faciendis cohibiturum.* Multi postmodum dies interfluxere: cùm Meursenses quamdam ad Spinulam transmiserunt Alberti syngrapham ante complures annos exaratam. Quæ cum vim eo tempore nullam, commutatis rerum conditionibus, haberet: ipsos suo se telo conficere, Marchio asseruit. Cum eâ viâ nihil proficerent: aliam iniere. Referri ad Spinulam iubent: *Si ab Archiduce de nouo concedatur, ut medij inter utramque Partem conquiescant: se statim ex Oppido Præsidium dimissuros.* Responsum ab Spinulâ: *Pronum illis esse super eâ re Archiducem rogare. Satiùs tamen videri, si suum ipsi Oppidum cum eodem Præsidio: Catholici verò loca recèns expugnata, neutris alteros infestantibus, obtinerent.* Atque huic sanè consilio utrique paruerunt.

1605.

Ex literis Marchionis ad Mansic. 26. Nou.

Marchionis tractatio cum Meursensibus.

Neutrale.

FER-

1605.

Mense Nouembri.

FERDINANDVS quòque Coloniensis Archiepiscopi, Cæsareique Septem-Viri Adiutor, & Fratris Filius ad Spinulam legauit Zollerenium Comitem, Præsulemque cum literis; quibus non leuiter querebatur: *Accepisse se Populorum Patruo, sibique subiectorum quaerimonias: quòd Regius Miles ipsorum fines insederit, non sine graui detrimento, ac pernicie. Quamobrem rogare se per pristinam beneuolentiam, operamque ab ipso toties humaniter oblatam; ut è suâ quamprimùm ditione Copias omnes deducat. Id namque tum æquitati, tum mutuæ inter se necessitudini maximè consentaneum fore.* Tanti Principis iustæ petitioni non ita multò pòst Marchio fecit satis. Adeò in bellicis rebus difficile est, unius commodo sine alterius incommodo subseruire.

A ditione Coloniensis Antistitis Milites remouentur.

Sangeorg. ad Marchionē, 9. Decembr.

Varia munimenta à Catholicis roborantur.

AD Vachtendoncham interea resarciendis oppugnationis damnis insudabatur. Hermannus Comes Vandenbergius perficiendis operibus insistebat. Propugnaculum, sub quo cuniculus effossus fuerat, ac succensus, instaurabatur. Alterum quòque refici cœptum: & mœnia, quâ parte disiecta, restitui. Ponti quòque fabricando Sangeorgius diligenter instabat. Nec minore Operarum industriâ, ac Præfectorum sedulitate munitiones prope Rurortam perducebantur ad summum. Ioannes Mediceus his accurandis impositus. In Arce, cui Diuæ Elisabethæ fecere nomen, exhauriendam, purgandamque fossam Germani susceperant. Id tridui spatio, dies noctesque laborando, peractum. Burgundiones inferiorem loricam, congestitiâ terrâ farctam erexere. Superiorem verò distinxere propugnaculis, exceptâ parte, quæ Rhenum spectabat. Vnicuique propugnaculo suum munimentum medium adiectum; eique tormentum impositum. Labrum exterius fossæ præfixa palorum serie roboratum. Agger quòque ad pontem tuendum excitatus. Simili ferè opere, atque arte Arcem alteram à Diuo Alberto denominatam muniere. In eâ tamen id minùs commodè factum, quòd tabernacula Militum è paleis erant, cespitibusque constructa. Id verò quàm obnoxium periculis esset, ipse docuit euentus. Germanorum quippe Statio, fortè excitato per noctem incendio, magnam partem igne consumpta. Quòd si pyrij pulueris receptacula flamma eadem afflasset; longè grauius accepisset Arx uniuersa detrimentum.

Ioan. Mediceus ad Marchionem, 2. Decembris.

Parapetto terrapienato. Bastioni. Caualiero. Contrascarpa. Palizzata. Trinciera.

Baracche.

Spinula Milites remunerādos curat.

Marchio ad eosdem Tribunos, 10. Nouembr. Bruch.

NEQVE verò labores in tot conflictibus fortiter à Militibus exantlatos Marchio passus est remunerationis expertes. Namque & pecuniæ vim ab Archiduce impetrauit, quam Melzij, Balanzonij, Antunijque Legionibus misit, inter eos dispensandam, qui ad Brocham omnium strenuissimè pugnassent: & Lucam Cairum, qui præclarum sui specimen in eodem prælio præbuisset,

feri, datis pro eo sigillatim literis Alberto commendauit: ut meritis eumdem honoribus, ac præmijs cumulando, cum debita redderetur virtuti merces, tum cæterorum ardor ad paria facienda inflammaretur. 1605. 8. Nouemb.

De ipsius victoriis fama per Europã.

Hæc circa Rhenum victoriæ alia super aliam haud longo tempore reportatæ, cohibere famam sui unius Belgij finibus non potuere. Sed primò vicinam Galliam earum celebritas compleuit: quam ex eius regiâ Vrbe scriptis ad Marchionem gratulantibus literis testatus est Balthassar Zuniga, Hispani Regis apud Gallum Orator. 8. Nouemb. Mox uniuersam Italiam, ac natale præcipuè Spinulæ solum, Genuam, rerum fortiter, ac fortunatè gestarum peruagatus rumor maximos ubique lætitiæ sensus, publicosque plausus exciuit. At in Hispaniâ (cuius potissimùm ea series victoriarum intererat, & cui præ cæteris Marchionis virtus, & fortuna militabant) quò dulcior acciderat optimorum euentuum sonus; non incommodè visus est tristi aliquo, sed mendaci nuncio præuerti. Sic enim solet post nubilum Cælum lætior affulgere serenitas.

In Hispania sinistra opinio.

Anglicus ergo in Aulâ Hispanicâ Orator ad se perscriptum vulgauit: ingentem cladem Spinulam accepisse; eiusque Pedites ter mille, & quingentos ab Hoste trucidatos. Mœroris, & trepidationis impleuit Aulam hic nuncius. Fidem dicto faciebat, Regisque, ac regiorum Procerum magis angebat animos: quòd præter morem nullus aderat è Belgio Tabellarius. Infausta quippe, ac non placitura seriùs, ægriùsque nunciantur. Mali suspicionem, atque omnium sollicitudinem cumulauit: quòd Genuensis Ciuis, magnæ in Hispaniâ negotiationi addictus, missum à Fratre in Belgio morante famulum cum literis diem integrum domi occuluit, rei pecuniariæ rationes priuatim subducturus: cùm tamen eum aduenisse aliqui certò scirent. Quod ita interpretabantur, quasi Patritium hominem pigeret, tam ingratum Regi, atque alijs nuncium, ac suo præsertim Ciui parum honorificum, ab se, suisque palàm fieri: Sed non diu mœror hic hominum animos occupauit. Postero namque die per famulum eumdem vulgata est Spinulæ ad Brocham de propulsato Hoste victoria. Quæ fama tantò maioribus cunctorum excepta plausibus, quantò amplior paulò antè fuerat metus, atque tristitia. Magnum opus, & arduum omnibus videbatur; Mauritium non magis bellandi veterem, quàm vincendi, cum Equitatu ipsius uniuerso, & magnâ Peditum parte, Catholicorum Equites paucos improuisò adortum repulisse. Verùm non hîc voluptas publica stetit. Postridie quàm hoc per Aulam, Vrbemque totam in ore,

Carol. Strata ad Marchionē Vallisoleti. 17. Nouemb.

Mox falsa deprehenditur.

1605. præconioque omnium fuit; Bruxellensis tandem Tabellarius aduênit. Expectantibus cunctis, an is læti nuncij confirmationem, an quid aliud afferret noui; literas alteras ab Archiduce, à Marchione alteras reddit. Ambæ unà, eâdemque narratione duas alias victorias recensebant: Vachtendoncham breui tempore oppugnatam, & captam: Mauritianos ab Geldriæ mœnibus, quibus inopinatò per nocturnas insidias imminebant, proturbatos. Quando Tabellarius ad Aulam peruênit, intempesta nox erat, ac planè intempestiua nuncijs ultro, citroque mittendis, præter hunc unum adeo cunctis exoptatum. Igitur Petrus Franquesa, Villæ-Longæ Comes, atque ex ijs unus, qui Regi erant à Secretis; licèt se iam ad quietem composuisset, aperire literas voluit, ac rem totam cognoscere. Præ ingenti verò, quâ gestiebat, ex tam prosperis successibus lætitiâ; continere se non potuit, quin illâ ipsâ concubiæ noctis horâ mitteret ad Carolum Stratam, Marchionis negotijs in Aulâ Hispanicâ impositum, qui schedam ad eum statim perferret geminas victorias indicantem. At ubi diluxit, Regia uniuersa ingenti gaudio, mutuis gratulationibus, faustis acclamationibus completur. In priuatis domibus, in publicis congressibus una colloquendi materies, Spinulæ Marchionis victoriæ. Cuius in literis ad Archiducem datis, atque ab eo in Hispaniam transmissis, illud præcipuè animaduersum ab Hispanis Proceribus, ijsdemque iucundissimum fuit; quòd bellicæ laudis, atque præstantiæ partem tribuebat maximam Aloysio Velasco. Bis verò sapienter in uno hoc facto agebat Marchio: & quòd suas laudes modestè reijciebat in Hispanos: & quòd non ad ipsos, sed ad Germanum Principem scribebat. Nec minoris prudentiæ fuit, consilium illud totum arma in Frisiam transferendi, quamuis ab se excogitatum, atque in Hispanicâ profectione Regi, Regioque Senatui etiam in scriptis propositum (uti suprà narratum) atque ex eo natos tam prosperos, lætosque successus; non sibi vendicare, sed quà Regi, quà regio Administro præ omnibus gratioso, Lermæ Duci tribuere; ut ex eius ad illos literis apertissimè constat. Ideoque frequenter in principum Virorum coronâ Lermæus commemoratis Spinulæ victorijs gaudebat, tanquam suis: seque in scopum collineasse iactabat, & diuinitus afflatum, neruis omnibus contendisse, ut ad bellum Belgicum Marchio regrederetur. Neque inanis, aut falsa ea gloriatio erat: quandò (ut etiam memorauimus) omnes quæ Spinulam auertebant à Belgio, difficultates ipse superauit.

Hispanorum lætitia ob res prosperas Marchionis.

Simon Saulius ad Marchionē Valliseleti, 22. Nouemb.

Spinulæ modestia & prudentia.

Tam celebris hæc fuit multiplicis fama victoriæ, paucorum spatio mensium reportatæ: ut iam tùm sapientes, ac magni Viri

Ioannes Idiaquez ad March. 19. Nouembr.

Eiusdem res gestæ dignæ indicantur historia.

ri digna facta censerent, quæ publicis consignata monumentis literarum, in exemplum posteritatis irent. Neque defuit in Hispaniâ Historicus Regius magni nominis, & multis voluminibus rerum in uniuersitate suo tempore gestarum in lucem editis nobilitatus: qui præclara Marchionis facinora, bellicosque successus & distinctè cognoscere peroptaret, & consequentium ætatum memoriæ prodere. Quamobrem ex ipsâmet Aulâ Spinula rogabatur, ut quæcumque in singulos acciderent dies, adnotari diligenter iuberet, atque in Hispaniam perferri. Quinetiam hanc scribendam Historiam fuisse Magno Lipsio demandatam, diligens eius Auditor, & stilo velut alter Lipsius, in Epistolâ typis editâ ipsi Marchioni significat his verbis: *Nouum lætioris Martis Auspicem te Belgica sensit, & iam Scriptorem poscit, qui munus Lipsi posthumum subeat, Historiamque ordiatur. Ego ordiar: sic me benignitas tua respiciat, ut quantum pro Maximo Rege moliris, celebrari sustineas.*

Anton. de Herrera. Andreas de Prada ad March. 19. Nouembris.

Erycius Puteanus Epist. 22. Cent. 3.

INTER tot Catholicorum victorias, non passa est fortuna belli, de more varians, militaris prouentûs prorsus expertes esse Fœderatos. Itaque sub exitum anni, quasi serò eos respiciens, tot iacturis nonnihil emolumenti aspersit. Antonius Schetsius Grobbendonchi Dominus, & Syluæ-Ducis Præfectus Bruxellas cum suâ centum Equitum turmâ se contulerat. Dum illa, eo relicto, Syluam-Ducis reuertitur, incidit fortè in sexcentos Fœderatorum Equites à Marcello Baxio deductos. Extemplo ab his aduersùs illos fit impetus. Pauciores à tanto maiore numero circumuenti, non fundi, ac profligari non poterant. Igitur ex eis cæsi, ac vulnerati octoginta cum Signifero, ac Præfecti Locum-tenente, non leui prædâ equorum abactâ.

Equites aliquot Catholici superatur a Fœderatis.

IAM verò Fridericus Comes Vandenbergius duo prope Slusam munimenta perduxerat ad fastigium. Iam aliud ad Flandriæ caput (quod appellant) Archiducis iussu fuerat excitatum: quò tutius id latus esset, minùsque peruium Hosti; si quandò illac ad Antuerpiam infestandam rursus incurrere tentaret. Contrà verò ex conuentu cum Fœderatis iussit idem Albertus æquari solo Patientiæ propugnaculum, easque, quas ad Hocstratam Seditiosi erexerant munitiones; diruentibus pariter Hostibus, quas ad Voudam extruxerant; duoque Castra, suo quodque Domino, restituentibus. Ad Rurortam quòque Arces ambæ perfectæ, communitæque. Cùmque ea, quæ à Diuâ Elisabethâ nomen accepit, non æquè situ valida foret, atque Albertina: munitionem fossæ exteriorem erexit Spinula, tribus lunatis propugnaculis roboratam.

1605. INCLINABAT annus in finem; & pluuiæ quotidie magis ingruentes Militem in aperto camporum commorari diutius prohibebant. Igitur Marchio relicto ad Arcium præfecturam Malæsæ Domino cum bis mille Peditibus, Equitibus centum; cæteras Legiones in hyberna dimisit: quod fecisse paulò antè Hostem inaudierat. Locum-tenentis munus in Equitatu, quod egregiè Triuultius gesserat, Equiti Ludouico Melzio ab Archiduce, ac Marchione collatum. Legio verò, cuius ipse Tribunus erat, Sangeorgio Comiti commissa. Per idem ferè tempus Petrus Sarmentus, qui cum Hispanicâ Legione sibi subiectâ ab Hollandicarum nauium insectatione in Angliam se receperat (ut antea dictum) obseruato tempore nauigantibus opportuno, nocturnas inter tenebras Hostem fallens, sine damno, non sine periculo appulit Duncherchiam. Neque multò pòst eòdem Hibernici Milites Hugone Mosthenio Ductore peruenere. Quod Exercitûs supplementum quò magis tunc inexpectatum, ob infessum hostili Classe Oceanum: eò lætius Archiduci, Marchioni, Belgisque omnibus Catholicis aduenit.

Ex literis Sarmenti ad March. Dūcherchæ 9. & 16. Dec.

Sarmentus cum Copiis in Belgiū appellit.

ARCHIDVX verò huius anni felicitatem in rebus bellicis, ut acceptam Deo retulit, pro singulari suâ pietate: ita Diuinâ causâ promouendâ, hoc est Catholicâ Religione propagandâ, eidem se gratum reddere contendit. Quare mittere decreuit in Frisiam Archiepiscopum Philippensem: ut in Vrbe, Oppidisque recèns à Spinulâ subactis verum Dei cultum, ritusque Catholicos instauraret. Id quò faciliùs, pleniùsque perficeretur; Tarentinus Archiepiscopus, qui Pontificius erat apud Archiducem Nuncius, eâ
12. Nouēb. super re literas ad Marchionem dedit: *Rogans ut eum se conuenturum quâ par erat, & quâ utebatur in omnes, atque in Ecclesiasticos præsertim viros, benignitate exciperet: utque tam Lingensi Gubernatori, quàm aliorum locorum Præfectis maximo eumdem studio commendaret: iuberetque opem omnem, ac robur suppeditari ad Catholicam Religionem, & morum integritatem in eisdem locis restituendam.* Peregit id Spinula pro suo more, ac pietate diligenter.

Albertus, & Spinula Religioni propagandæ studens.

IAM tempus instabat, quo armorum cessatio spatium illi præbebat, non, ut Militibus, quiescendi (neque enim quiescere admodum animæ magnæ solent) sed nouis itinerum laboribus Hispaniam versùs se committendi. Igitur factâ ab Rege, atque ab Archiduce potestate, ad profectionem se accinxit. Ante discessum tamen Bruxellis, de expeditionibus anno veniente suscipiendis, frequens atque prolixum cum Alberto consilium habuit. Post multas consultationes, ea demum certissima omnium deliberatio sedit: ut duplex adornaretur, atque in procinctu staret

Marchio discessurus in Hispaniam, cum Archiduce consultat.

ret Exercitus. Altero feliciter inchoatum in Transrhenanis regionibus bellum continuaretur. Quod suadebat locorum opulentia Copijs alendis, sine summis impendijs, annonam abunde suffectura. Idque Hostis ipse docuerat, anteacto tempore magnam inde pecuniam corrogando. Quinetiam trans Isalam fluuium arma importanda: ut interiùs, viuidiùsque se peti Fœderati sentirent, ac dolerent. Alter Exercitus per idem tempus motus Vahalim transduceretur: atque in Insulâ, quam Betauiam appellant, locus magni momenti quispiam occuparetur. Ita futurum, ut duabus uno tempore pugnis instantibus hinc, atque illinc Hollandia premeretur: quæ anno se iam euoluente singulis dimicationibus obsistere nequierat. Maius profectò, quàm ad eam diem susceptum, se mouere opus, Archidux, atque Spinula intelligebant: ac maioribus adeò viribus non è Belgio Catholico solùm, sed ex Hispanicis quòque regnis, ærarijsque instruendum. Quamobrem maturanda Marchioni fuit, quamuis incommodâ præ imbribus, niuibusque tempestate, tam necessaria in Hispaniam profectio: ut ipsemet coram Rege, regijsque Proceribus, & magni nominis, atque auctoritatis Senatu, res deliberatas proponeret: regiumque non modò assensum, sed subsidium etiam tam Militis, quàm pecuniæ postularet. Igitur ipso Christi Natalis Peruigilio Bruxellis in Hispaniam discessit. 1605.

In hac secundâ Marchionis profectione id contigisse narratur, quod & miram eius solertiam comprobauit: & excusare Fœderatos potuit, si minùs in Frisiâ paratos adorta sunt arma Catholica. Namque cum iter ille per Galliam faciens, huius Regem antea erga se humanissimum expertus (uti suprà diximus) venerari voluisset; ad Regiam mensam denuo exceptus est. Pòst hilaritatem conuiuij ex eo quæsisse fertur Henricus: quam expeditionem in proximè sequentem æstatem meditaretur. Spinula probè intelligens, sapientissimum Regem, & bellicarum artium peritissimum, persuasum habere, prudentem Ducem Hostium amico dicturum, quod non esset facturus, ut quod facturus erat, obtegeret: respondit quod re verâ decreuerat: in animo esse Rhenum traijcere, ac bellum in Frisiam transportare. Obiecit Rex mirabundus: quî confideret id exequi, cùm neque ultra, neque citra Rhenum locum haberet, qui transitum daret facilem, aut reditum tutum. Perstitit tamen in dicto Marchio: & Rex in opinione fallaciæ. Quamobrem is Fœderatos Belgij secum etiam fœderatos per literas monuit, ut contra reuersurum Spinulam, eosque aggressurum, de Frisiâ securi, loca quælibet alia communirent. Vbi verò cognouit Rex, Marchionem peregisse,

Io. Boterus Dictor. memorab. Par. 2. lib. 1. Io. Rhò in Varijs Virt. Hist. lib. 5. cap. 6.

Spinulæ solers ad Galliæ Regem responsio.

quæ

1605. quæ dixerat: ipsumque candorem eius fuisse subdolum; urbanitate Gallicâ dictitabat: *Decipiunt alij falsum affirmando: Genuensis ille me decepit vera dicendo*. Adeò iam simulatio dominatur, ut ei veritas ipsa subseruiat: dicendumque sit id quod est, ut quod non est dici credatur. Dicterium Regis de ipso.

Anno 1606. ANNVS inibat millesimus sexcentesimus sextus, Belgici belli tam diuturni, tam exitialis utrique Partium postremus, ante duodecim annorum inducias; quibus tractandis, ac decernendis duo consequentes anni, tertijque tres menses saluberrimè impensi sunt: cùm Catholici Belgæ, eorumque Principes optimi, locorum quatuor adeptione gaudebant, eiusque auctorem Spinulam summis in Cælum laudibus ferentes, in spem veniebant, maiores hoc anno factum iri progressus. Neque id temere: tum quòd victorijs patefactâ iam viâ, & animus Militibus, & scientia Ducibus ipsis experimentis augeretur: tum quia validiora expectabantur ab Hispano Rege, Senatuque adiumenta, postquam re didicissent, quàm prona, & fructuosa ea foret expeditio. At contrà Fœderati, nè Populi desponderent animos, atque in posterum opem conferre ad bellum recusarent; eam iacturam verbis eleuabant. *Archiducem, atque Hispanos*, aiebant, *in tenui multùm laborasse: ac post suas vires exhaustas, vix Oppidula quædam ignobilia cepisse, quæ nullo negotio recuperari possent. Se verò digniora multò suis laboribus, sumptibus, periculis emolumenta proponere: nec nisi ad primi nominis Vrbes, magnique momenti Arces adspirare. Geldriæ se, Antuerpiasque, capita Prouinciarum, non Oldensalias, aut Vachtendonchas nescio quas bello tentare. Quamobrem tantis conatibus pares pecuniæ, Militumque apparatus instruendos: ut ingentibus ausis euenta non inferiora responderent.*

Grotius initio lib. 15.

De rebus gestis sensus Catholicorum, & Fœderatorum.

QVONIAM verò maritimæ Gentes, ac pro interfusarum Vrbibus, Oppidisque aquarum copiâ penè marinæ, naualibus magis, quàm terrestribus bellis & pollent, & gaudent; validam, si unquam aliàs, Classem adornarunt è quatuor & viginti nauibus; eisque tum Belgas, tum Anglos Milites imposuerunt: ut Hispaniæ maritimam omnem oram infestarent; ac præcipuè ut redeuntes ex Indiâ naues auro, argentoque onustas, vel interciperent, vel pessumdarent, vel appellere prohiberent; magno apponentes lucro, neruum illum Belgico bello tam necessarium præcidere. E Zelandiâ cùm Classis hæc soluisset, vento destituta, nonnisi pòst longum tempus Gallæciam attigit: cuius litoralia maximè loca depopulata est. Cæteris Hispaniæ partibus multum terroris attulit, parum damni. Cùmque de Classis Indicæ aduentu iam desperaret, & commeatuum inopiâ premeretur; se in Belgium retulit.

Hollandi Classem parant contra Hispanos.

Gaspar Ens lib. 26.

Galæcia.

kk At

1606.

Marchio in Aula Hispanica excipitur honorificè.

At Spinula ubi ad Aulam Hispanicam peruênit; quibus ab Rege amoris, à Magnatibus, Proceribusque honoris argumentis, ab alijs omnibus acclamationibus, plausibusque fuerit exceptus, procliuius erit, quæ recentissimè gesserat, recordanti, cogitatione complecti, quàm cuipiam literarum monumentis mandare. Collata verò cum Archiduce de bello prosequendo consilia postquam Regi, regioque Senatui patuere, mirum in modum probata cunctis, & collaudata sunt. Quod tamen maximum rei negotium facessebat, ingens erat summa pecuniæ ad tantum aggrediendum opus, ac duos alendos Exercitus necessaria. Etenim, præter id, quod ex consueto Catholicum Belgium contribuebat, opus erat ex Hispaniâ aureorum millia trecenta in singulos menses suppeditari. Sed tanta in Marchione fuit ad persuadendum, efficacitas, ac tantam ad vim pecuniæ corrogandam industria; ut rem tandem in Aulâ confecerit: atque ad Belgium repetendum, quamquam nonnisi post menses aliquot, se dederit inviam. Nè verò Rex ab se indonatum eum in hâc etiam secundâ reuersione dimitteret; sub discessum, in supremum Hispanici Imperij Senatum, quem Statûs Concilium vocant, cooptauit. Quippe ut sese maior rerum gestarum gloriâ Marchio quotannis intrabat Aulam Hispanicam: ita quotannis indidem rerum gestarum præmijs sese maior egrediebatur.

Eiusdem consilia accipiuntur.

In Côcilium Status adscribitur.

Dum ibi Spinula moraretur, pro suo more, atque innatâ munificentiâ, Magnatibus, & Regijs Administris conuiuia penè regalia frequenter instruxit. Qui splendor animi Reges maximos adeò delectauit: ut quum postremò Hispaniam petijt, Philippo Quarto regnante; ac designatus ab eo fuit Insubriæ Gubernator; non dedignata sit tanta Maiestas sponte suâ Marchionis domum adire, ac paratam ab ipso mensam accubatione regiâ cohonestare. Hoc benignitatis ostentum disertè narrauit magnæ Vir auctoritatis, & existimationis Gaspar de Bracamonte & Guzmane, Pegnarandæ Comes, dum Neapolitano Regno pro Rege præesset; summis quòque muneribus egregiè perfunctus, magnique Hispaniarum Imperij Administer cum paucis electus. Id verò recensuit inter multa præconia, quibus tres Spinulas Marchiones; Ambrosium Parentem, Philippum Filium, Paulum Nepotem, meritò, ac sapienter ornauit in frequenti colloquio cum simili virtutibus Antistite Iulio Spinulâ, Laodiceno Archiepiscopo, Pontificium Neapoli Nuncium tunc agente: qui postea Pontificis etiam Nuncius in Aulâ Cæsareâ, deque Apostolicâ Sede optimè meritus, ab Alexandro Septimo Pontifice Maximo, & sapientissimo Virorum, ac virtutum æstimatore, dignissimè promotus ad sacram Purpuram fuit.

Philippus Quartus eius mensam honorat.

Pegnarandæ Comes Marchiones Spinulas laudat.

Ex lit. Spinulæ Nuncij ad Aloysium Spinulam Germanici Romæ Collegij Rectorem, 30. Apr. 1659.

Iulius Spinula bis Pontificius Nuncius, postea Cardinalis.

1606. Revertens in Belgium Marchio per Italiam, reuisere Genuam Patriam voluit ab ipso gloriosiorem; eique conspectum suum optatissimum dare. Verbis autem exponi non potest, quantam uniuersæ Ciuitati lætitiam aduentus eius attulerit. Gloriabantur omnes tali, ac tanto Ciue, qui militiæ suæ primos annos non mensibus, sed victorijs metiretur. Laudibus efferebant Spinulæ Marchionis magnanimitatem, prudentiam, sedulitatem. Vt iure optimo Parmensis alter fuerit in Historijs appellatus. Gratulabantur eidem constantem præter solitum felicitatem: de quâ postmodum Genuensis Patritius, præstanti Vir ingenio, summoque iudicio Hieronymus de Marinis typorum perennitati hoc mandauit Elogium. *Ambrosius Spinula multas Vrbes munitissimas expugnauit, integras Prouincias in potestatem redegit; semper victor, certè nunquam victus; triginta ferme annis in illo Duce eximiæ virtuti ancillante fortunâ.* Qui verò memores erant Historiarum, recentissima hæc decora cum antiquiore Spinulæ Gentis gloriâ componebant. In mentem quippe redibat Opicius, siue Opicinus Spinula, *Vir magni nominis, & opibus, & armis haud impotens* (ut quidam Historicorum scriptum reliquit) cuius Filiam Argentinam ex omnibus Italicis Fœminis elegit in Coniugem Theodorus Palæologus, Andronici senioris Græcorum Imperatoris Filius: eiusdemque Soceri ope Montis-ferrati ditionem faciliùs tenuit. Ex hoc nata connubio Iolanta, seu Violantis (temporum namque vetustas, Scriptorumque varietas corrumpit etiam nomina, vel confundit) iuncta matrimonio fuit Sabaudiæ Comiti Aymoni, vel (ut alij nominant) Amedæo Quinto: qui præter alias Principum laudes, de Christianæ pietatis operibus cum Vxore certabat. Animis quòque obuersabatur Vberti Spinulæ gloria, qui Catharinam Filiam nuptum dedit Luchino Vicecomiti, cuius imperio non Insubria tantùm, sed Cisalpina Gallia penè paruit uniuersa. Quinetiam ab eisdem genita altera Catharina honestata coniugio fuit Francisci secundi Estensis Bertoldo nati, Principis Mutinensis. Neque obliuioni dederant Opicium alterum, qui Vxorem duxit Beatricem Filiam Friderici Antiochiæ Principis (Regem aliqui appellant) qui Friderici Secundi Imperatoris Filius fuit. Ob tot, ac tantos principatus, quos affinitatibus complexa est una Spinularum progenies: ob suum sanguinem mistum sanguini Cæsarum tam Orientis, quàm Occidentis Solis: ob insignium Hetruriæ, Insubriæque Vrbium per annos plures dominatum: ob Classium, & Maris Præfecturam non semel ab eâdem possessam: ob alias prærogatiuas, quibus refertæ sunt, non Genuenses modò, sed aliarum quòque Nationum Histo-

Marginal notes (left): *Rodolphus Botereius l. 13.* — *In Genuæ Descriptione cap. 4. sect. 10.* — *Ioan. Cuspinianus de Cæsarib. in Andronico. Aubert. Miræus in Elogijs Gentis Spinulæ, c. 12. & 13. Philibertus Pingon. in Genealogia Ducum Sabaudiæ. Io. Boterus de Principibus Sabaudiæ. Io. Baptista Pigna de Principibus Estensib. l. 4. Philadelph. Mugnos in Theatro Familiar. Siciliæ. Blõdus Flauius Dec. 2. lib. 9. Ioan. Villanius lib. 10. cap. 145. Miræus cap. 15.*

Marginal notes (right): Marchio in Belgium rediens Genuam reuisit. — Magnis ibi laudibus, & plausibus excipitur. — Præclarum eius Elogium ab Hieronymo de Marinis. — Spinulæ illustres affinitatibus Principum. — Opicius. — Argentina. — Iolanta. — Vbertus. — Catharina. — Altera Catharina. — Opicius alter.

Spinularum Familia e potentioribus Italiæ. storiæ; à plerisque Scriptorum meritò recensetur inter potentiores totius Italiæ Stirpes. Hæc igitur vetera honestamenta Spinularum Familiæ recentibus ab Ambrosio Marchione honoribus cumulata immane quantùm Genuensis Vrbis gaudium, acclamationes, & plausus multiplicarunt. Atqui neminem tetigit propiùs hæc gloria, neminem perfudit uberiùs hæc voluptas, quàm Genuensium Matronarum fortunatissimas, Marchionis Matrem Polyxenam, & Ioannam Vxorem: quum in conspectu, complexuque habuerunt illa Natum, hæc Coniugem; qui unius, aut alterius anni spatio famâ sui nominis, & rerum gestarum gloriâ implerat Europam. Sed hæc mutua, domesticaque solatia, & communem Propinquorum, Familiarium, Ciuium lætitiam, exuberantem temperare placuit Diuinæ Maiestati. Postquam enim è Liguriæ, Insubriæque finibus excessit Marchio; incommodâ valetudine uti cœpit, ac tertio quoque die febre tentari. Qui morbus toto eum itinere Bruxellas usque insectatus, alios quidem omnes de tanti Viri salute sollicitos habuit: at generosum ipsius animum absterrere, aut ab instituto cursu reuocare non potuit. Quinetiam *eius vulgatâ morte securitas Batauis creuerat, & gaudium*; ut quidam eorum scripsit.

1606. S. Antonin. Tom. 3. tit. 21. cap. 4. Ioan. Villanius lib. 9. cap. 85.

Matris, & Vxoris Ambrosii gaudiū.

Belgium repetēs, ægrotat in itinere.

Grotius l. 15.

Ante verò quàm in Belgium Marchio perueniret; statuit Archidux iterum Terralij vel industriam, vel fortunam experiri. Quamobrem eum Rhenum versùs immisit: ut locum aliquem flumini circumiectum occuparet: qui nempe futuris expeditionibus viam faceret. At is nihilò benigniore, quàm aliàs, fortè usus, dum Tungros prætergreditur, Vrbem Leodicensis Agri, Fœderatorum Equites aliquot obuios habuit: qui eum, ac Socios aggressi, partim cædunt, partim capiunt: cæteros in fugam vertunt. Ipse cum alio saucius ægrè Traiectum ad Mosam se recepit. Postquàm à vulnere conualuit, Venlonam inde migrauit: ubi Copias nonnullas adiunxit sibi, Rhenoque transmisso Oldensaliam deuenit. Factus de re certior Mauritius vicinorum locorum Præfectos commonefecit, ut sibi præcauentes, defensionem pararent. Sed nunquam satis cautum esse mortalibus solet. Cùm explorari finitima Oppida Terralius iussisset, Brefortium in Comitatu Zutphaniensi minùs validè munitum comperit: adeòque quamprimùm inuadere constituit. Igitur Turrio Lingensi Gubernatori consilium aperit, atque auxiliares ab eo Copias petit. Ille coactis mille, ac trecentis Peditibus, Equitibus quingentis, eò se celerrimè confert. Et quoniam, quæ illuc ducebat militaris via prope Grollam erat, à Fœderatis infessam, ab eâ cautè declinauit: ac præter anfractus longioris itineris, nocturnum quòque tempus

Haræus. Iustinianus initio lib. 5. Thuanus l. 136. Lanarius. Carnerus l. 16. c. 8. Tongeren.

Terralii Copiæ funduntur à Fœderatis.

Di Zutfen.

Idem Brefortium intercipere molitur.

Hosti

1606. Hosti fallendo captauit. Profecti cum illo erant Guillelmus Verdugus Oldensaliæ Præfectus, & ipse Terralius: ac duabus ante Solis ortum horis ad Brefortium steterunt. Præiuit cæteris Terralius, mirus pyloclastrorum machinator, cum ijs, qui Oppidi portæ eiusmodi machinam applicarent.

Cvm primùm peruenere, ab Excubitore rogati: quinam gentium, atque unde adessent: è Grollano Præsidio se venisse, responderunt, Hispanorum incursum fugitantes: ideoque obtestari, ut quamprimùm admitterentur: eos quippe à tergo instare. Dumque inuicem colloquuntur, pyloclastrum valuis admouetur: & repentè porta disijcitur. Ex eo impetu Vigil intelligens, non eos esse, quos se simulabant, extemplo ad arma conclamat. Interim eiusdem generis machina portæ interiori aptatur: eaque pari modo diffracta, quamquam simul uno Tormentariorum occiso, altero saucio. Fragore illo excitati iam aderant Præsidiarij triginta: sed ab Hostium maiore numero oppressi, ferè omnes perempti. Alij vicinum propugnaculum ingressi, inde bombardis, & sclopetis infestare Catholicos. Hi tamen intrepidi pergere: pontem ex asseribus compactum, quem ad eum finem aduexerant, insternere: per eum ad versatilem Oppidi pontem iam eleuatum accedere. Eumdem pyloclastro, & vicinam portam euertunt: atque Oppidum tandem intrant. Quadraginta se Defensores ingredientibus opponunt. Verùm ab his strenuè repulsi coguntur in Arcem se recipere, quò priùs ferme omnes confugerant, tam Præsidiarij, quàm Oppidani cum suo Gubernatore Gosuino Lauico. Narrant aliqui, minùs eos promptos ad sui, Oppidique propugnationem fuisse, quia cum Bacchanalium tunc agerentur dies; licentiæ, insaniæque diurnæ laboribus fessos, commessationibus graues, & saltationibus delassatos altior, quàm oportebat, somnus exceperat. Itaque facilè fuit, vino, somnoque propè sepultos opprimere, ac debellare. Sic de voluptate, quæ soporem induxit, militaris industria peruigil triumphauit.

Tandem Oppidũ capit, non Arcem.

Gaspar Ens lib. 26. Baudart. Grotius lib. 15.

Compvlsis in Arcem Hostibus, Catholici totius Oppidi potiti, aggerem aduersùs eam citra eiusdem fossam erexerunt: ut sese ab eorum, qui obsessi erant, infestatione tuerentur. Cùmque tormenta quatuor in Oppido reperissent; eaque è regione Arcis ad illam quatiendam collocassent: eis uti se non posse doluerunt, quia nihil nitrati pulueris inuentum est. Prouidè quippe Gubernator totum in Arcem deportari iusserat: ut eum Hosti contra se subtraheret, & sibi contra Hostem reseruaret. Quare illo instructis quatuor bombardis continenter in Oppidum fulminabant. E Catholicis verò Turrius relicto ibidem cum mille

Peditibus Verdugo, ad Lingensem suam præfecturam, nè quid interea detrimenti caperet, reuersus est. Verdugus adiecit animum ad munimenta quædam occupanda, quæ circum Arcem erant, nè subsidijs inferendis aditus ab eo latere pateret. Misit præterea, qui Velascum Rurortæ munitionibus præfectum, de rebus ad Bresortium bene gestis, ac de præsenti sulphurati pulueris necessitate penitùs edoceret. Quibus compertis, Velascus confestim suppetias adornauit. Germanum Centurionem cum Peditibus quadringentis Bresortium iussit accurrere: quorum singuli angustis conclusas sacculis denas pyrij pulueris libras deferrent. 1606.

Ad Arcem expugnandam subsidiũ mittitur.

Subsidium aliud Obsessis.

Dvm hoc Obsessoribus auxilium festinatur, longè maius, celeriusque infertur Obsessis. Batemburgius enim in Fœderatorum Exercitu Equitum Magister, cùm ad primum Oppidi capti nuncium Lauico scripsisset, se propediem subsidio adfuturum; post unum, aut alterum diem peruènit: unàque Zelandiæ Præfectus, alijque cum pluribus Equitum turmis, ac Peditum signis, Copijsque ex Grollano, Zutphaniensi, Doësburgensi, Doëtecomensi Præsidijs eductis. Vtque priùs de rerum statu cognoscerent, præmisit Batemburgius in Oppidum Militem Rustici habitu: qui mox renunciauit, magnâ ibidem laborari tum pulueris nitrati, tum annonæ penuriâ. Hoc audito alacriores, Equitatum in vias omnes distribuunt, ut venienti subsidio iter intercludant: Catholicos lunatum propugnaculum ad Arcis aditum obstruendum molientes, inopinatò adorti fundunt, ac fugant: Mosquetarios ducentos in Arcem immittunt. Horum ictibus, ac tormentorum frequenti displosione vehementer infestati sunt, qui Oppidum tenebant: adeòque ex eis ferè centum interfecti: reliqui ad vitam tuendam, in subterraneas cellas, foueasque retrusi. Qui verò fuerant à Velasco cum puluere subsidio missi, iam unâ leucâ procul Oppido aberant; cùm in vicinum Hostem incidere metuentes, pedem retulere. Sed quâ viâ malum declinare studebant, eâdem (uti plerunque fit) malum incurrerunt. Octoginta namque Hostium Equites ab Thomâ Fillerio ductos habuerunt obuiam: à quibus quadraginta occisi: totidem capti: cum cæteris ipse Centurio fugâ Rurortam versùs elapsus est. Alij quòque Oldensaliam profecti sunt, eumdem puluerem importantes. Verùm pauci euaserunt in Oppidum: plures in manus Hostium deuenerunt. Accessit postmodum Henricus Fridericus cum turmis Equitum sex & viginti, ac Peditatu penè iustum Exercitum conficiente. Oppidumque cum reliquis Fœderatorum Copijs ita circumuènit; ut Catholici iam fierent ex Obsessoribus Obsessi.

Succurrit etiam Henricus Fridericus.

Fac-

1596. FACTVS interea de re totâ certior Archidux, iusserat ad subsidium properare Melzium cum Equitatu, cumque suis Legionibus Borgiam, Iustinianum, Sarmentum. Quæ omnes Copiæ, quamuis Rhenum versùs magnâ celeritate deductæ, non tamen ante Hostis aduentum præstò esse potuerunt. Quare qui Brefortium tenebant; instrumenti bellici, Militum, & iam propè commeatuum inopiâ laborantes, ac spe depositâ, posse per insessas Hostibus vias ullum subsidium induci: continentibus præterea, maiorum, ac minorum ictibus tormentorum diuexati, atque in dies numero diminuti, ad Oppidum deserendum mentem verterunt. Igitur cum Hoste circumsidente veniunt in colloquium; deditionem facere paciscuntur cum his conditionibus: ut liberis egredi liceat cum armis: carrique ad extinctos, ac saucios conuehendos commodentur. In unâ conditione variant, imò sibi maximè aduersantur Auctores. Aliqui namque tradunt, uniuersam eos prædam ex Oppido collectam, quæ quinquaginta millium aureorum pretium superaret, unà cum tribus signis, & captiuis non paucis restituere coactos; & Verdugum ipsum relinquere Obsidem, donec omnia præstarentur. Alij contrà, in conuentis fuisse, ut prædam omnem licèret auehere. Quod si verius fuit; maximum supra omnem memoriam dici posset in Hoste victore liberalitatis exemplum: nisi tamen id facere compulisset imminentium à tergo Catholicarum Copiarum metus, qui ad soluendam ocyùs obsidionem adigeret.

Parlamentare. — *Brefortium à Fœderatis recuperatur.*

Caspar Ens. Thuanus. Baudart.

Iustinianus. Camerus. Alexãd. Ziliolus Hist. lib. 6.

BREFORTIO liberato, cùm ingens in procinctu esset Fœderatorum Exercitus ad eum finem collectus, ac Mauritij iussu ad Embricam Castra metatus; suspicionem iniecit Velasco, nè ad Rurortæ munitiones non ita longè dissitas inuadendas traduceretur. Quare ingenti sollicitudine, ac diligentiâ occurrens periculo, locum uniuersum pluribus lunatis propugnaculis communiuit. Aliud munimentum iuxta Rhenum erexit, cui nomen à molâ factum; & quidem editiore situ, ut si unquam Elisabethæ, Alberti-ve Arces Hostis occuparet, inde tormentis eas quatere commodum esset. Pontem quòque Rheno imposuit, quandò dirutus erat, qui fuerat anno superiore extructus. Omnes præterea Copias Brefortium versùs immissas, circum eas Arces secum paratas habuit: tres nempe Legiones Hispanorum sub Tribunis Borgia, Antunio, Sarmento: Italorum duas Iustiniano, & Sangeorgio subiectas: Anglorum etiam unam, Burgundionum alteram. Hoc Milite in omnem Hostis machinationem instructus, expectauit, dum Mauritius suum in Stationes reduceret. Quod vbi factum, suum & ipse dimisit: Anglicam tamen, & Borgiæ,

Velascus Rurortæ munimẽta corroborat.

Emerich.

giæ, Sarmentique Legiones retinuit: quòd ipsorum hyberna nimis longè distarent. 1606.

Qvo tempore Catholici Frisiam inuadebant; Fœderati quasi par pari rependerent, Brabantiam infestabant. Namque Bredanus, & Bergæ ad Zomam Præfectus quingentos circiter Equites, Peditesque trecentos emisere: qui Mechliniam versùs excursióne factâ, Pagum incenderunt, Diuæ Mariæ ad Varam appellatum. Haud tutior Flandria fuit à Slusensium incursionibus. Neque maius ab Hoste, quàm à Militum tumultu periculum. Siquidem Vachtendonchæ deprehensi fuere Præsidiarij, qui non inter se modò, sed in alijs quòque Præsidijs seditionis semina iacerent, postmodum eruptura. Verùm qui tum ibi aderat Sangeorgius, re diligenter inuestigatâ, cum Decurionem quemdam præcipuum machinationis auctorem comperisset; ad se clam accersitum, pugione transfodit: aliosque duos eiusdem sceleris reos strangulari iussit. Ita paucorum pœna, correctio cunctorum fuit.

Fœderati Brabantiam & Flandriam infestant.

Terralivs in Vrbibus, Oppidis-ve inuadendis animosior, quàm felicior, à Brefortio penè simul capto, & amisso non retardari se sensit, sed incitari (quæ ingenia sunt hominum confidentium) ad nouum aliquid audendum. Vt enim in ludo, quo maiorem quisque iacturam facit, eò magis ad ludendum irritatur, spe recuperandi quod perdidit: sic in bello non minor est victis impetus ad arma retentanda, ut damna resarciant, quàm Victoribus, ut lucra continuent. Igitur vicina Slusa cupiditatem Terralio iniecit adoriendi. Cùmque eam explorasset, atque intercipi facilè posse cognouisset; id Archiduci significauit, operam suam promittens, ut Milites in Vrbem inducerentur. Placuit conatus Alberto: itque optatum exitum nancisceretur, Friderico Comiti Vandenbergio, qui Flandriæ Copijs præfectus Brugis degebat, scripsit: iussitque opportuna Terralio auxilia suppeditari. Statim is mille, ac ducentos Pedites, quà Vallones, quà Hibernos eidem tribuit. Quibus-cum ille Brugis digressus, intendentibus se tenebris, quòd eo tempore mare subsidebat, regionem uniuersam æstu crescente obrui solitam, obiectasque paludes, & alueos aquarum, nullâ interpositâ morâ transmisit.

Terralius Slusam potiri tentat.

Iustin. lib. 5. Heraus. Gaspar Ens lib. 26. Grotius lib. 15. Thuanus l. 136. Carnerus l. 162. 9. Lanarus.

Iam intempesta nox erat, cùm in conspectum Oppidi venerunt. Antè verò quàm propiùs accederent; agmen totum in hanc formam dispósuere. Primam aciem, & frontem Exercitûs obtinebat cum quinquaginta Peditibus Formentus Centurio: singulique sclopetum gerebant rotâ instructum, nè fomitis accensi luce proderentur. Proximè sequebantur Hastati ducenti; quibus præerant Centuriones duo Helingerus, & Cranchenburgius, &

Copiarum dispositio.

Vaguardia.

Si-

1606. Signifer Hibernicæ Legionis. Post hos ducebat quingentos partim Lancearios, partim Sclopetarios Claudius Rezorius Legionis Bossuti Comiti subiectæ supremus Instructor. Nouissimum agmen è reliquo Peditatu Tribunus Cabilonus regebat. Hoc ordine distributus Miles iam Oppidi portam attigerat, quæ cùm vix ullo calle esset peruia, ideoque ab incursione Hostium secura, negligenti custodiâ seruabatur. Eam portam malè custoditam docuisse dicuntur Transfugæ duo Catholici, qui Fœderatis militantes, aliquandiu Slusæ morati; atque ad suos postea regressi, eius Oppidi recuperandi rationem aperuere. Fortè accidit, ut qui pascebatur in proximo equus, ad conspectum inusitatæ multitudinis, hinniret. Quo strepitu commotus qui agebat excubias, prodiuit domo; ut si quid esset noui, cognosceret: atque eo tantùm equo præ vestigandi celeritate conspecto, domum se retulit.

Retroguardia.

EXTEMPLO ex primo agmine viginti quinque tum Galli, tum Hiberni, atque inter eos nonnulli pyloclastris instructi, fossam natando traijciunt: pontemque versatilem eleuatum aggrediuntur: catenas, quibus sustinebatur, ferramentis ad eum usum allatis disrumpunt: pontemque ingenti strepitu demittunt. Eo fragore exciti Præsidiarij magno numero aduolarunt: atque ad arma, Oppido toto conclamatum, accursumque est. Interea e Catholicis Tormentarijs unus primæ obiectę portæ pyloclastrum admouet, quo incenso eam ad terram affligit. Tùm secundam aggressus, tantum in ea foraminis patefecit, ut duo Milites unà ingredi possent. Per hunc aditum qui erant in primo agmine irrupere: & Formentus, atque Helingerus ante alios. Verùm ubi ad primam Custodiam peruenere; ab eius Militibus acriter obsistentibus reiecti sunt vi tantâ, ut Formentus, atque Helingerus illico perierint. Quorum occasu adeò perterriti cæteri, ut sine cunctatione terga dederint Hosti. In eo recessu cùm alter urgeret alterum, supra quadraginta in fossam è ponte delapsi, mersique sunt.

Felix rei principium.

EIVS terroris aggredientibus, ac magna molientibus insoliti, causam duplicem nonnulli tradunt. Alteram quòd cùm communis Horologij ferramentum, quod æris campani pulsu significare horas solet, fortuitò suspensum, eas indicare desijsset: suspicati Catholici deditâ operâ id factum, accessumque suum Slusensibus proditum: segniùs multo, timidiùsque, quàm res postularet, cuncta gesserunt. Alteram quòd ijdem Oppidum intrantes, non mosquetis, aut sclopetis, quibus opus erat ad occurrentes Hostes propulsandos; sed hastis tantùm, & gladijs instructi

Infelicis exitus causæ.

Gaspar Ens. Grotius.

 structi

1606.

structi processerunt, vel ad maiorem celeritatem, vel quia nantibus arma illa grauiora impedimento fuissent. Quod si felicitatem ingressûs pari ardore, ac diligentiâ Catholici promouissent, eos nullo negotio potituros Oppido fuisse, ipsi postmodum Oppidani professi sunt. Sed qui struxerant insidias alijs, ab eorumdem insidijs (ut frequens est) sibi maximè metuebant. Et quamuis in hâc improuisâ aggressione cuncta ferè prudenter administrata dicantur: speratum tamen successum defuisse nonnemo credidit, quia Ductor nullus aderat magni nominis, atque existimationis; qui animos trepidantibus adderet, virtutemque languentem vel solâ præsentiâ confirmaret.

Societatis Iesu Sacerdos saucius, & captiuus.

Capti è Catholicis aliquot; inter quos unus è Societate Iesu Sacerdos, quatuordecim vulneribus saucius. *Catholicæ Religionis studio se Militibus adiunxisse* fatebatur: *ac sperasse in Oppido recuperato, Romanaque Fidei reddito, primum se sacrum facturum. Arbitrari verò se*, aiebat, *idcirco Deum Oppugnatoribus non concessisse victoriam, quòd illis constitutum fuisset, nemini parcendo, Hostes omnes internecione delere*. Tanto suo periculo docti Slusenses, tum Oppidum uniuersum communiere, tum eam præsertim portam, quâ Hostis intrarat, lunato propugnaculo præstituto. At Cabilonius cum Exercitu reliquo citra fossam exitum tentamenti præstolatus; ubi eum infelicem cognouit, nullamque spem superesse quidquam proficiendi, se cum suis inde recepit, non sine aliquorum iacturâ, qui in circumiectis alueis traijciendis, æstu marino resurgente absorpti sunt. Comes verò Fridericus, qui cum bis mille Peditibus Damensem aggerem insistebat, ut Oppido capto, Arcem aggrederetur: postquam multâ iam die nihil actum comperit, ipse quòque migrauit. Ægerrimè tulit Archidux tam dexteram opportunitatem Slusæ recuperandæ è manibus elapsam: cùmque exploratum habuisset, id Ductorum aliquot vitio factum; in eos ad aliorum exemplum, ac terrorem animaduertendum censuit. Quare ab Iudicibus causâ cognitâ, sententiâque prolatâ, in Bruxellensi foro Rezorius Instructor, & Crauchenburgius Centurio capite plexi. *Gaspar Em.*

Copiæ contractæ ad Rheni expeditiones.

Iamque ad Rhenanas Catholicorum expeditiones, quas Archidux, & Spinula meditati antea fuerant, & Rex, Regiusque Senatus magnopere probauerant; ingentes undique Copiæ cogebantur. Tria Germanorum Peditum millia, Equitesque quingentos contraxerat paulò antè Dux Brunsuicensis, ut Populos ditionis suæ tumultuantes compesceret. Sedatis verò tumultibus, eas in procinctu Copias Albertus ad stipendia Regis Catholici traduxit. Præerant illis Ioannes Comes Embdanus, Georgius Loc-

co-

1606. comanus Frisius, qui aliàs eidem Regi militauerat; & Ioannes Ernestus Vslerus. Magnum quòque supplementum Exercitûs, duo nempe Hispanorum millia duxerat ex Italiâ Ioannes Brauus de Lacunâ Tribunus. Nec minus existimationis Catholicis armis attulerunt accessu suo Alphonsus Pimentellus Beneuentani Comitis Hispani Filius: & Marchiones duo, Sigismundus Estensis, ac Ferdinandus Bentiuolus: & Marius Frangipanius ex antiquâ nobilitate Romanus.

CONSTITVTVM verò à Spinulâ cum Archiduce fuerat (quod paulò antè significauimus) ut ipse cum altero duorum Exercituum rectà in Frisiam properaret: atque Isalam transmittere conatus, in Velauiam irrumperet: quæ regio patens est, atque Vltraiecto finitima, Vrbi Hollandicæ magni quidem ambitûs, sed non satis munitæ. Quam si caperet, sibique firmaret; maxima posset inde Fœderatis inferre continenter incommoda. Eodem verò tempore Buquoio cum altero Exercitu transmittendus Vahalis erat: atque arma in Betauiam, quæ Geldriæ Prouinciæ pars est, inuehenda: in eâque magni momenti Vrbs aliqua occupanda. Nouiomagum præ cæteris animo obuersabatur; Vrbs eiusdem Prouinciæ præcipua ad Vahalim sita; cuius expugnationem emolumenta maxima sequebantur. Neque plura deerant eiusdem Betauiæ Oppida, uti munitionibus inualida, sic interceptu facilia. Quod si trans ambos fluuios Exercitus uterque deportaretur; pronum erat Copias omnes ad Arenacum (quod iam Arnhemium vocant) in unum cogere, Hostemque propiùs petendo compellere, vel ad prælium haud æquis conditionibus ineundum, vel ad Vrbes, atque Oppida regionis eius deserenda: quibus parum munitis potiri paruo negotio licèret. Toti denique illi terrarum tractui imposita tributa quantùm arma Catholica subleuarent, tantùmdem res Fœderatorum attererent. His ita sapienter prospectis, uterque deducendus erat Exercitus.

Archiducis, & Spinulæ de bello consilia.

Velua. *Vtrecht.* *Betua.* *Nimega.* *Arnhem.*

RECENSEBAT in suo Buquoius Peditum decem millia, Equites mille ac ducentos: rerumque omnium ad bellum facientium abunde erat. In Exercitu verò, quem Spinula deducebat, Peditum duodecim millia, duo millia Equitum numerabantur; carrorum supra tria millia cum ingenti commeatuum, bellicique omnis instrumenti copiâ, cum curulibus molis, & clibanis, alijsque machinis ad susceptum consilium opportunis. Militaris hic apparatus consueto maior, ac varietate operum instructior, magnas primò suspiciones Hosti, mox etiam timorem inusitatum iniecerat: cum eâ præsertim tempestate non tantum sibi suppetere virium probè sciret, ut in aperto campo Catholi-

Fœderati sua loca muniunt. cis posset obsistere. Quare in eam potiùs incumbendum sibi curam existimauit, ut fluminum ripas omnes, quàcumque traijciendum Hostibus erat, Vrbesque, atque Oppida oppugnationi magis obnoxia, munimentis validioribus firmaret. Igitur ad ripam Vahalis, quà Betauiam præterlabitur (quòd in eam partem vis maxima Catholicorum incubitura videbatur) propugnacula plurima super aggeribus ibidem surgentibus excitata. Vnicuique propugnaculo Militum manus imposita, & Vigiles in ipsis aggeribus excubantes. Ita verò alterum alteri vicinum erat, ut ubi primùm necessitas urgeret, sinè ullâ morâ sibi inuicem opem ferrent. Plura quòque nauigia Militibus, ac tormentis instructa, fluuios ultro, citroque iussa percurrere, ut ubique Hostibus traiectionem audentibus obstarent. Circumiectis præterea Pagis, Oppidisque imperatum, ut summâ vigilantiâ, omnique ope conniterentur transitum Catholicis Copijs intercludere. Hæc longo tractu Custodia supra Vahalim, longiore supra Isalam collocata. Demum nè quid ex parte Fœderatorum desiderari posset industriæ militaris: tantum etiam Militum contraxit Mauritius; ut reliquis obstaculis superadditi, & quò vocaret opportunitas, deducti, nullâ sinerent ratione Catholicos pedem ultra fluuios inferre. 1606.

NEQVE solùm hi humanæ artis obices usitati Spinulæ præclaris conatibus oppositi: sed (quod mirum videri possit) præter morem, ac tempus, ipsa elementa, temporumque conditio repugnarunt. Anni quippe tempestas ea fuit, ut tam infesta imbribus, tam sæua procellis à multis retro annis nulla memoraretur. Iam tùm ab ipso anni primordio ventorum, pluuiarum, ac fulminum, ad eam diem inaudita, vis ingruit. Romæ Vaticana Basilica, & Capitolinum Franciscanæ Familiæ Cœnobium, tacta de cælo, cum ingenti Mortalium terrore. Continuatis quotidie imbribus in eam Tiberis altitudinem excreuit, ut supergressus ripas, vias Vrbis, ac fora se superfunderet. Cùmque impetu rapidissimo irrumperet, ad quinque passuum millia obuia quæque corripuit, ac pessumdedit: ut quæ intulit damna, nonnisi decies centenis aureorum millibus resarcienda censerentur. In Belgio verò, Germaniâ, Galliâ, Angliâ, ineunte Vere, horribilis turbo excitatus innumeras penè arbores extirpauit, plurimas turres, aliasque cuiusuis generis ædes euertit: atque in oris maritimis ingentem nauium, ac Nautarum stragem dedit. Grando imbri commista supra Antuerpiam cadens, non modò turres aliquot deiecit, sed tantam vel uni maximo Templo perniciem inuexit; ut ad compensanda dispendia supra duodecim aureorum millia

Hyems vitiis, atq; imbribus horrida.

Tiberis eluuio.

Vn milione.

1606. millia exigerentur. Catsanda Insula, quam suprà memorauimus, parum abfuit, quin irruentibus magno impetu fluctibus absorberetur. Cùmque iam Ver in Æstatem vergeret; Hyems tamen ut cùm maximè sæuire. Quotidianis pluuijs, & plerunque à primo mane ad noctem, Cælum affluere, terræ tractus inundari; viæ omnes; & campi stagnantibus aquis obruti, vix iter agentibus locum dare. Tres integros menses intempestiuam hanc tempestatem tenuisse ferunt. Vt mirandum admodum fuerit, tam aduerso tempore tot Fœderatorum obstaculis obsecundante, tantum in alieno, quantum mox enarrabimus, arma Catholica promouisse.

IGITVR quarto Calendas Iulias Bruxellis discessit Spinula, magnâ Principum, ac nobilium Virorum catervâ comitante: eâdemque die Tillæmontem peruènit. Inde Traiectum ad Mosam à trecentis Equitibus, totidemque Peditibus deductus est. Traiecto digressus tertio nonas Iulias Rurortam tenuit: ubi Tribunum Melzium expectauit, qui cum Equitibus mille, carrisque quingentis ponè sequebatur. Is tormentis octo Venlonâ deuectis, ac sexaginta lembis ad contexendos pontes usui futuris, octauo Idus Iulias ad Rhenum accessit. Ibi coactas in unum Copias Spinula recensuit: atque esse numerum comperit Peditum octo millium, Equitumque bis mille. Simul Edictum promulgari per Exercitum iussit: ut quidquid ibi Fœminarum esset, ad ea remitteretur Præsidia, unde fuerant eductæ; duabus tantum in singulas Cohortes relictis, linteis eluendis, victuique parando. Atque ut hoc veteris disciplinæ militaris fuit: ita illud Christianæ charitatis, ac prouidentiæ; cùm singulis impartiri Fœminis mandauit, quæ quidem spectarent ad Pedites, unum quotidie cibarium panem (munitionis vulgò vocant) quæ verò ad Equites, nummum aureum in singulos menses.

Spinulæ ad Rhenum profectio.

Eius disciplina militaris.

HIS ita constitutis, biduo pòst Rhenum Copias transduxit. Post alterum verò biduum, assiduis, ac vehementibus pluuijs iter interpellantibus, Dorsthenam ægrè peruènit, ac vicinum fluuium Luppiam traiecit. Ad quartum inde diem Enschedam tenuit. Hîc sese illi adiunxere Turrius Tribunus, atque Embdanus Comes cum Peditibus bis mille, & quingentis è Lingano Præsidio eductis, & quadringentis ex Oldensaliâ Hibernis. Iam continentes multorum dierum imbres fossas omnes impleuerant, vias altè obruerant, campos inundarant: neque tamen è Cælo perpetuò ruere cessabant: ut miseri Milites aquis utrinque insectantibus imperatum iter ægerrimè molirentur. Spinulæ iussu, ductuque, cuius animus omni difficultatum obiectu maior

Militum labor, & incommoda.

erat;

erat; Enschedâ digressi, vix post diem unum, noctemque, & partem diei alterius Ghoram attigere: cùm tamen Oppida hæc duo vix octo passuum millibus inter se distent. Accedebat ad incommoda Militum insolens in summâ æstate vis frigoris, & vehementia ventorum. Quod si vel frigori depellendo, vel humori, quo perfusi penitùs erant, exsiccando succendendus esset ignis, nulla suppetebat idonea materies; nisi cespes terræ cuiusdam spongiosæ, quam turbam Indigenæ appellant, alendis ignibus, instar lignorum, in eis regionibus usitatæ: quæ cum id temporis aquam penitùs combibisset, plus fumi, quàm flammæ, succendentium vultibus offundebat. Vbi verò tam laborioso ex itinere fessi, exhaustique viribus ad Stationem, quieti capessendæ, se conferebant; in solum non omnino aridum sese abijcere cogebantur, & stramentis adhuc humentibus incumbere. Neque minor equorum, quàm hominum pernicies erat: qui simul humore ab imbribus, aquisque, quas vado traijciebant; simul sudore, ab insolitis laboribus, perpetuâque in eluctando ab luto contentione, madefacti, in languorem, ac morbum procliues erant. 1606. Ghoer.

Spinulæ sollicitudines.

HIC rerum euentus magnæ spei tam aduersus, optimisque conatibus, cunctisque prouidè præparatis oppositus, Marchionis animum licèt à proposito, incœptoque minimè reuocaret, sollicitum tamen, anxiumque non habere non poterat. Obuersabatur quippe superimpendens periculum, tam florentis Exercitûs grauibus ærumnis, ac malis, quæ patiebatur, atterendi, ac morbis inficiendi: itineris suscepti mora ob viarum difficultates propè insuperabiles; cuius tamen terminus felix à celeritate præcipuè sperabatur: Hosti contrà spatium oblatum ad loca omnia munienda, seque dimicationibus instruendum: Isala denique tantis aquarum accessionibus auctus, ut transiri vado nequiret. His anxius curis, institutum nihilò minùs iter Isalam versùs perrexit, in eam præcipuè partem, quæ Dauentriam, Zutphaniamque spectabat. Inter has Vrbes in aduersâ fluminis ripâ Mauritius castra posuerat, ut quòcumque res vocaret, statim accurreret. Hìc eum detinere studuit Marchio, donec Solræus Comes ad locum quemdam infra Suollam pertingeret, ubi iussus erat Isalam transmittere. Deuenter. Zutfen.

Lochemio potiri cogitat.

INTEREA nè tempus infructuosè tereret, statuit Spinula Lochemium expugnare; exiguum quidem Oppidum, inualidumque Zutphaniensis Comitatûs, sed opportunitate sitûs non parum suis consilijs accommodatum. Cùmque in id Copias omnes impendere, contra existimationem duceret; decimo tertio Calendas Augusti Inicum Borgiam eò delegauit, qui non ita pridem

Carnerus. Inftitianus. Thuanus. Hæræus. Bentiuolus. Marchio ad Archid. 26. Iul.

dem

1606. dem ex Hispaniâ redierat, Arcique Antuerpianæ præfectus fuerat; unà cum Legione cui præerat, Sangeorgioque, Turrioque cum suis: qui omnes erant ad Peditum tria millia: Equites verò quingentos adiunxit sub Ferdinando Gueuarâ. Ipse autem cum cætero Exercitu Borcheloum contendit: Ghoræque reliquit Ioannem Mediceum, & Lucam Cairum cum subiectis Equitum turmis, & Peditibus mille quingentis; ut id Oppidum tuerentur, quod custodiendis designauerat commeatibus; adeòque molas, clibanos, aliaque impedimenta ibidem collocauerat.

Approcci. Vt primùm Lochemium peruenit Borgia, castra posuit; ipsâque nocte obsidionales vias obliquas ducere ad unum Oppidi latus aggressus est. Cùmque postridie renunciatum Spinulæ fuisset, conari Mauritium Lochemium versùs immittere Subsidium; eòdem Embdanum Comitem cum ipsius Legione præmisit, quinque tormentis, & commeatibus instructum, iubens eas Copias in Stationibus muniri. At Borgia propiùs imminere Oppido contendens, ab altero latere aggerem duxit; illinc Hispanis, hinc Italis certatim allaborantibus. Dum verò tormenta disponuntur, Pompeius Targonus è Tormentariorum Præfectis unus, antea sæpè memoratus, vulneratur ab eis, quæ displodebantur ex Oppido. Collis erat Lochemio proximus, eique superimpendens. In eius vertice Catholici munimentum excitarunt, nè forte ab Hoste subsidiario insideretur. Et quamuis assiduis bombardarum ictibus Obsessores peterentur ab Oppidanis: Hispani tamen obsidionalibus vijs iam ad lunatum portæ munimentum accesserant, quod erat ab Defensoribus destitutum: Italique aggere suo ad fossam peruenerant. Tùm ad tormenta displodenda processum est: quibus & aliquot interempti Defensorum, & eorumdem tormenti fulcra perfracta. Igitur post ictus quadraginta, de suâ defensione desperantes, colloquium postularunt: & conditionibus utrinque sancitis, Oppidum cum quinque tormentis dediderunt. Egressi sunt ferè trecenti cum armis, signis, atque impedimentis; ad quæ deuehenda carros etiam Borgia commodauit. Qui sanè Vir militari virtute insignis, cùm tertio obsidionis die potitus Oppido foret; magnopere fuit à Spinulâ tum Archiduci, tum Regi per literas commendatus. Quibus officijs & suâ mercede virtus, & publicâ beneuolentiâ Marchio cumulabatur. E Catholicis extincti non supra decem, ad quadraginta saucij: quorum præcipui Mellinus, & Ricciardus Centuriones.

Borgia Lochemium obsidet.

Scaualcare.

Marchio ad Archid. 26. Iul. ad Reg. 25. Aug.

Eoque tertia die potitur.

Isel. HAEC inter Solræ Comiti mandauerat Spinula, ut Isalæ traiectum tentaret, cùm primùm detumescentes aquas videret. At

is

is ad fluuium progressus, & eum adhuc insuperabilem reperit, & Hostem in altera ripâ ad obsistendum paratum. Dum hæc ad Rhenum Spinula molitetur: suum quòque Buquoius trans Mosam deportarat Exercitum Peditum, uti diximus, decem millium, Equitumque mille ac ducentorum, quos Equites Bartholomæus Sancius Præfecti Locum-tenens ducebat: duodecim etiam tormenta, & quadraginta cymbas in usum pontium secum aduexerat. Cùmque iuxta Pagum Mocham inter Grauiam, & Nouiomagum, peruenisset; ibidem substitit, ex eâ parte Vahalim traijcere conaturus. Quà Rhenus in Hollandiam influit, bipartitum facit aquarum diuortium: & læuum quidem flumen, quod Betauiam alluit, Vahalis nomen induit: dexterum, quod Isalam dicunt, Velauiam amplectitur. Huius ripam ad eamdem Insulam pertinentem pluribus (uti dictum) munimentis Fœderati custodiebant leucarum tredecim spatio, ab Arnhemio ad Hattemium: atque ita condictum fuerat, ut si quid ab Hoste discriminis impenderet, alterum alteri noctu igne, interdiu fumo significarent. Vahalis verò ripam per leucas octo Tilam usque muniebant. Hunc ergo cum transmittere Buquoius cogitaret inter Schenchianam Arcem, Vrbemque Nouiomagum, hanc rationem iniuit.

1606.

Buquoius cum Exercitu Vahalim traiicere magna arte conatur.

Moch.

Betua.

Velua.

Tieli

Forte di Schinch.

QVATVOR Peditum millia ex omni Natione delegit, & quingentos Equites Cesari subiectos: eosque duobus tormentis, ac triginta cymbis instruxit: cunctisque Iustinianum præfecit. Is noctis initio iter ingressus est, Spardorpium versùs, quà traijciendus erat Vahalis. In hoc horarum quatuor itinere solidam noctem, & consequentis diei partem insumpsit, ob densissimum nemus, aggeremque, cui fuit insistendum, quà lutulentum, quà interruptum: quare tres cymbæ nullâ ratione deuehi potuere. Vbi ad flumen Iustinianus deuenit; agnouit in aduersâ ripâ dispositæ tria signa Peditum, ac tres Equitum turmas Fœderatorum. Non idcirco tamen absterritus, cymbas in fluuium demitti iussit; eisque quingentos Pedites partim Hispanos, partim Italos imposuit, seque unà cum illis. Postquam medium fluminis tenuit; Nautarum Præfecto iniunxit, ut statim atque sublato in altum pileo signum daret, cum cymbis omnibus magno impetu proueheretur: atque in alteram ripam, quà commodissimus foret descensus, eniteretur. Simul Alphonso Latroni Hispanorum Tribuno, qui cum primis nauibus traijciebat, imperauit, ut postquam appulisset, in ipsâ ripâ consistens, eos congregaret, qui subinde allabebantur; contractoque Militum numero in Hostem se conuerteret, eumque velitando detineret, donec reliquus Exer-

Spardorp.

Iustinianus eò traiectum bis tentat, sed frustra.

1606. Exercitus, & ipse Ductor appelleret. A diuturnis, & continentibus pluuijs præter solitum erat & tumidum, & rapidum flumen. Siue igitur quòd eius impetum secum in pronum rapientem, cymbæ sustinere non possent: seu quòd nimio pondere graues agi se, regique pro opportunitate non sinerent: siue potiùs Nautarum vitio, qui perpetuos Hostium ictus reformidarent; nè medium quidem fluuium illæ tenuerant: cùm à profluente correptæ, delatæque sunt in partem longè inferiorem eâ, ubi facienda erat descensio. Neque enim huic ubique datur locus ab altioribus ripis. Quamobrem retrocedere coactæ sunt. Tentauit denuo traiectum Iustinianus, reductis in superiorem locum nauibus: sed dum in eo laboratur, tantum temporis effluxit; ut interim alia tria Peditum signa cum quatuor bombardis fuerint à Fœderatis ad ripam custodiendam immissa. Quatuor item bellica nauigia ab Arce Schenchianâ properarunt: sed ea tormentis Catholicorum petita, Nouiomagum versùs relapsa sunt. Quòd verò pariter ex aduersâ ripâ, nunquam cessando, fulminabatur in cymbas, easque cum maximo detrimento ictus transuerberabant: optimum factu duxit Iustinianus ab incœpto parum fortunato desistere: cymbasque iussit ab aquis remoueri. Nautarum Præfectus metuens ob naues fluuio correptas pœnas dare, cymbâ quâdam ad Fœderatos transfugit.

De rerum improspero successu certiorem Buquoium fecit Iustinianus. Ille suismet oculis cognoscere locum voluit: cumque traiectui iudicans importunum, ad Stationem remigrare Milites iussit. Catholicorum triginta partim cæsi, partim saucij: pauciores è Fœderatis. Buquoius ad Archiducem misit Iustinianum, ut rem totam euolueret: simulque de eâ per literas docuit Marchionem. Is quòque interea Isalæ traiectum tentauit. Quare Solræum Comitem Almeloâ acciuit: eumque cum Turrio, atque Embdano, & quater mille Peditibus, Equitibus octingentis Lucæ Cairo subiectis, quatuorque tormentis in Masterbruchgensem Insulam immisit, ut iuxta illam transmittere Isalam niteretur: aut si minùs id posset, ad Suollam obsidendam castris locum optaret. Ipse verò pridie Calendas Augusti cum reliquis Copijs Borcheloo mouit, alijsque sibi Lochemij adiunctis, eâdem die cum Peditibus mille quingentis, atque Equitibus mille Zutphaniam contendit eo consilio, ut Mauritium, de Vrbis huius oppugnatione sollicitum futurum, auerteret ab intercludendo Isalæ traiectu Solræo. Vbi prope Zutphaniam deuenit: alios eiusdem fluminis eo loci altitudinem metiri iussit: alios misit ad Hostis castra circumspicienda: statimque Lochemium regressus

Isel. *Almeloe.* *Spinola quòque transmittere Isalam studet.* *Masbruch.* *Suol.* *Zutfen.*

est. Mox verò Alphonso Diazio eidem Oppido præfecto, & quadringentis Militibus ad præsidium relictis; Calendis Augusti cum Exercitu Peditum septem millium, Equitumque mille octingentorum Zutphaniam versùs mouit, perpetuis adhuc pluuijs insectantibus. Berchelæ fluuio, qui ad eam Vrbem Isalæ se immiscet, eamdemque intersecat, pontem imposuit, ad bombardas, atque impedimenta transuehenda; utque per illum traijceret Equitatus. Peditum verò commodo, ubi aqua stagnabat, aggerem è ramalium fascibus exstrui mandauit. Dies, noctesque hæc profectio tenuit. Dauentriam præsertim obambulabant: ut in eâ quòque propugnandâ Mauritium occupatum detinerent. Tertio demum die Dortham insederunt, horarum trium itinere Lochemio dissitam. Atque initio quidem ob impeditas assiduis imbribus vias, nonnihil alimentorum penuriâ laboratum, non sine Spinulæ sollicitudine, ac dolore. At post paulum sereniore tempestate liberior patuit aditus commeatibus transuehendis. 1606. *Berchel.* *Fascine.* *Deuenter.* *Dorth.*

INTEREA digressus Almeloâ ex Marchionis præscripto Solræus, iam Ordelam peruenerat, ut inde Hasseletum, & vicinam Insulam Masterbruchgensem adiret. Verùm ipsi pariter infesta conditio temporum, viarumque difficultates tamdiu remoratæ sunt iter, ut id consilium Mauritio patuerit. Misit is extemplo Militum manum cum tribus tormentis ad fluuium Vechtam, quem transmissurus erat Solræus. Cùmque hic, ut traijceret, pontones, ac cymbas in aquam demitti iussisset: hostiles duas naues animaduertit transitum prohibentes. Ad eas arcendas, expediri mandat, instruique bombardas. Verùm qui in eas conijciendi erant globi, Lingâ, Oldensaliâque deuecti, maiores comperti sunt, quàm ut capi possent à tubis bombardarum. Hoc erratum à fluminis traiectu, totâque expeditione Solræum reuocauit. Adeo leuis error plerunque, in bellicis præsertim rebus, negotium omne pessumdat. Igitur cùm neque Vahalim, neque Isalam transmitti à suis Copijs posse videret Marchio; mentem aliò, conatusque conuertit: neque ex eis regionibus antè recedere decreuit, quàm præcipuam aliquam earum Vrbem, aut Oppidum expugnaret. Duæ præ cæteris obiectabantur animo Vrbes ad Isalam sitæ: Zutphania, & Dauentria. Verùm ambas adeo munitas nouerat, quà flumine alluente pro fossâ; quà operum structurâ, Militumque Præsidio: ut ad eas capiendas & longum tempus, & vires longè maiores, quàm quæ promptæ tùm essent, requirerentur. Mauritius præterea inter utramque sua Castra locauerat: ideoque paratissimus erat ad alterutram præsenti subsidio roborandam. Ab eis ergo tentandis abduxit animum Spinula, alióque *Ordel.* *Hasselt.*

Fluminum traiectu non succedente, obsidioné alteri Marchio meditur.

que

1606. que traduxit. Haud inde procul Grolla est, earum neutri amplitudine, ac dignitate comparanda: non parui tamen momenti tum in se ipsa, tum quòd opportuna foret Lingæ, Oldensaliæque tutandis. Eius itaque obsidionem in bellico Senatu propositam, probatamque, Augusto ineunte Marchio aggressus est.



DE BELLO BELGICO LIBRI DECIMI NONI

SVMMA.

GRollæ ſitûs, & munitionis deſcriptio. Ea obſidetur à Spinulâ. Oppidani erumpunt, & cum ſuâ pernicie propulſantur. Marchionis diligentia: Hiſpanorum virtus. A Targono pons è telá conficitur. Italorum, & Burgundionum vigor. Captis munimentis, Grolla nonâ die deditur. Inſidiæ Fœderatorum vanæ. Rhenobergæ obſidio decernitur à Spinulâ in bellico Senatu. Loci poſitus, ac munimenta deſcribuntur. Mauritius de Rhenobergâ valde ſollicitus. Marchio ipſe obſidionem ponit. Hoſte verò erumpente periclitatur cum Velaſco. Altera eruptio repulſa. Tertia quòque, quæ Magna dicta. Spinula lunatum munimentum capit: & maius propugnaculum, cæſo Præfecto. Germanorum diſcrimini Buquoius, & Meneſius ſubueniunt. Mauritianos aliquot Melzius vincit. Iuſtinianus, & Brancatius in hac obſidione præſtantes. Hiſpanorum mira conſtantia. Italorum præparatio ad vallum capiendum. Noſocomium ſaucijs deſtinat Marchio. Idem Subſidium impedit à Mauritio ductum. Noua Melzij victoria. Obſeſſores vallum capiunt. Rhenobergæ deditio. Marchionis lepidum dictum, & factum. Quot, & quales Viri utrinque ceciderint. Quàm inſignis victoria. Quàm damnoſa Fœde-


ratis,

ratis, de Mauritio conquerentibus. Ab ijsdem Venlona incassum tentatur. Catholici Milites tumultuantur. Eos compescere student Archidux, & Spinula. Lochemium recuperatur à Mauritio. Ab eodem Grolla obsidetur. De eâ tuendâ consultat Spinula. Rationes in utramque partem. Tuendam decernit. Eò Subsidium celerrimè ducit. Pugnare cum Hoste statuit. Verùm ab hoc obsidio soluitur. Qui tumultuati fuerant, sedantur. Spinulæ cum Meursensibus Induciæ. Noua seditio Militum ab Archiduce punitur. Herculanum in Geldriâ intercipit Henricus Fridericus Mauritij Frater. Militaris impietas dum diripitur. Noua scelera seditiosorum: qui tamen à Spinulâ componuntur. Contra eiusmodi homines Archiducis Edictum. Eorumdem miserię. Linganæ Arcis incendium.



DE BELLO BELGICO
LIBER DECIMVS NONVS.

Grollæ situs, & munitio.



N explicatâ planitie Zutphaniensis Comitatús Grolla iacet,ut alibi scripsimus: hinc amnis Berchelæ non ingenti alueo, sed situs opportunitate defensa: illinc altâ fossâ communita, Slingæ fluminis aquis abundante. Latis, excelsisque mœnibus cingitur, & quinque cuneatis propugnaculis, ita inter se dispositis,ut ab omni parte Oppugnatores pateant ictibus tormentorum. Percommodum id Oppidum erat Fœderatis, ut in proximas regiones, neutri Partium subiectas, Exercitum ad hyemandum transmitterent. Quamobrem idem, ut sibi custodirent, exterioribus lunatis munimentis, & fossis, fossarumque loricis probè firmarant. Præmisit illuc Spinula cum Equitibus mille ducentis Velascum, ut loca ad obsidionem occuparet. Ipse postridie, Nonis nempe Augusti, cum Exercitu, & commeatibus eòdem peruènit. Duas ibi Militum Stationes disposuit. In alterâ Borgiam, Antunium, Sarmentum cum Hispanis, & quadringentis Hibernis collocauit. Alteram Sangeorgio, & Balansonio addixit, cum Italis, Burgundionibus, Anglisque quingentis. Harum singulis obliquos viarum accessus ad aliquod è lunatis munimentis,& è quinque propugnaculis imperauit. Neque ullâ interiectâ morâ, eâdem nocte manus operi admotæ: ac Sangeorgij Milites in primis id operis ad quingentos passus promouere.

1606. *Lib.6.*

Spinula Grollam obsidet.

Gaspar Ens lib.25. Haræus. Iustinianus lib.5. Carnerus l. 16.c.11. Thuanus l. 136. Bentiuolus lib.7. Grotius lib. 15. Botereius l. 13. Beyerlinch. Approcci.

At nihilò segniores Oppidani continenter fulminare bombardis, & mosquetis: multosque Mortales aut extinguere, aut vulnerare. Cùmque hoc terrore se nihil proficere ad accessus interrumpendos viderent; facto repentè agmine, sexcenti simul è portis eruperunt: atque in Hispanos impetum facientes, eos propulsare conati sunt. Verùm hi consuetâ virtute non modò constanter, ac fortiter restitere: sed etiam quadraginta ex illis vel cæsis, vel saucijs, eosdem in Oppidum referre pedem coëgerunt. Sexto Idus accessit ad Castra cum suis Copijs Solræus: cui Marchio tertiam Stationem attribuit. Ex eâ statim Turrius, atque Embdani Comites Fratres Ioannes, & Christophorus, cæterique Milites obsidionales vias cœperunt educere: tarditatem aduentûs

Oppidanorũ eruptio repulsa cum cæde.

com-

1606. compensare ardore operis contendentes. Quo in labore Christophorus Comes hostili tormento ictus, ac vulneratus. Inter hæc Spinula ingenti sollicitudine, ac vigilantiâ locis omnibus præsens esse, commendare magnanimos, animare languentes, fessos, aut saucios consolari: nullum Ducis optimi munus prætermittere. Nè qua verò esset in Castris alimentorum penuria; ex Monasteriensi ditione finitimâ carros plurimos commeatibus onustos adduci iubebat. Velascus quòque suis Hispanis aderat aggeres exstruentibus: exemplo, consilio, iussis, hortatibus eosdem propellens, ad militarem eius obsidionis gloriam præ cæteris Nationibus reportandam. Neque Italicarum, aut aliarum Præfecti Copiarum suis partibus deerant: & Nationes ipsæ magno inter se certamine virtutis, & laudis in opus incumbebant.

Christophorus Comes Embdanus saucius.

Marchionis sedulitas.

Et iam ad oppugnationem nihil expectari aliud videbatur, nisi uti tormenta essent ad viam aperiendam disposita. Hæc verò dispositio serior aliquantò fuit, cum ob imbrem assiduum, ac vehementem; tum quòd Thomas Vinguartius, è Tormentarijs Magistris unus, erat grauiter saucius. Post alteram tamen noctem parata concussio: & , quæ proximè consecuta est, quartâ obsidionis die Hispani ad designatum sibi lunatum propugnaculum accesserunt. Cùmque pyrobolos oppugnationi præuios adornarent, ex eorum Signiferis unus idem propugnaculum audacter ascendit. Quo Defensores conspecto, & cæteros subsequi facilè suspicati; repentè in fugam auersi, locum deseruere. Successere statim Hispani, imprudenti Hostium terrore prudenter usi; & bellici ardoris prærogatiuam, de more, secundante fortunâ; Italos, & Burgundiones, quò minùs destinatum sibi munimentum attingerent, altior interiectæ fossæ aqua prohibebat. Verùm hìc etiam Targoni Machinatoris ingenium opportunè usui fuit. Is namque è telâ pontem intexuit, trabibus, doliolisque subiectis; ut aquis innataret, ac Militibus pensilem viam sterneret. Itaque per eum fossæ iniectum, ad munimentum oppugnandum, alacriter itum est. Iacti pyroboli non minorem intulere metum Præsidiarijs, quàm Signifer modò fecisset. Quare hoc etiam propugnaculum destituere: quamuis in eo medio receptus extructus esset.

Hispani lunatum munimentum capiunt.

Pons è tela, Targoni opus.

Itali, & Burgundiones alio propugnaculo potiuntur.

Parte aliâ cùm ad fossam se promouissent Hispani, eam opplere moliebantur. At id nè fieret, Defensores omni ope contendebant. E quatuor bombardis ad latera munimentorum dispositis, sacculos emittebant globis, talisque ferreis refertos. Artificesque quòque ignes passim iaculabantur è mœnibus, ut locus appareret, ubi laborabant Hispani. Eorumque complures, qui lu-

cani-

canicis, fascibus, cratibus fossam obstruebant; mosquetis, alijsque tormentis medium inter opus occidebant, aut vulnerabant. Paribus armis summouere Defensores nitebantur Catholici: sed impare successu. Quippe assiduis ingruentibus ex Oppido ictibus, cùm quadraginta cecidissent Hispanorum, ac plerique sauciarentur, coacti sunt, opere nondum perfecto, retrocedere. Contrà verò Turrius, atque Embdanus sinè magno certamine progrediebantur; quandò defensionis vis omnis in alias partes, ubi maius erat periculum, incumbebat. 1606. *Salsiccie. Fascine. Gabbioni.*

At Sangeorgius exteriore lunato munimento potitus, in eoque tormentis aliquot collocatis; viribus omnibus ad fossam peruenire conatus est. Cui succedens Balansonius ponte illà, ut modò dictum, fossam transmisit, ac propugnaculum tenuit. Id cum aliqui conscendissent; medium ingenti aggere intersectum offenderunt. Hispani, quò suo potirentur, Germanos aduocarunt, qui fossam opplerent. Turrius, atque Embdani Comites lunatum aliud munimentum aggressi, paulò pòst occuparunt. Quibus Hostium progressibus Grollani perterriti, deditionem facere decreuerunt. Inito colloquio conuènit, ut cum armis, signis, impedimentis migraretur. Carri ad res transuehendas centeni commodati. Nono ab institutâ obsidione die, mille ac ducenti Pedites egressi, tormentis undecim in Oppido relictis. Ex Obsessis ad centum quinquaginta vel extincti, vel saucij. Ex Obsessoribus cecidere ducenti, atque inter eos Centuriones duo, alijque insignes Viri. Vulnerati verò trecenti quinquaginta: in quibus aliquos etiam Centuriones. Adeo ubi plus animorum est, ibi plus plerunque discriminis. *Canterus l. 16. c. 11.* *Alia munimenta capiuntur.* *Nona obsidionis die Grolla deditur.*

Bvqvoivs interea ab Iustiniano Mocham reuerso accepit, Archiducis mentem esse, ut Nouiomagum obsideretur; nisi contraria foret Spinulæ sententia. Huic verò consilium idem placebat, uti Buquoio per literas significauit. At is rem nimis arduam censebat. *Quamquam enim non omnino valida ea Urbs esset: ingenti tamen subsidio, quod intercludi non poterat, illam à Fœderatis*, aiebat, *instructum iri. Neque se trajciendi Vahalis spem omnem abiecisse. Quippe è locorum peritis facilem sibi transitum, commodumque promitti. Quem ubi nancisceretur, tunc nullo negotio se posse Nouiomagum prohibere subsidio.* Accidit per id temporis, ut cùm Buquoius pabulatum mitteret, modò Nouiomagum versùs, modò Gennapium; animum Hostes induxerint, aliquod ei detrimentum inferre. Quare tum Nouiomago eductis, tum è Betauiæ Præsidio euocatis mille quingentis Peditibus, & quatuor Equitum Cohortibus; has Copias trans Vahalum miserunt, quà Iustinianus *Nimega.* *3. Augusti.* *Ghineppe.*

eumdem

1606. Foraggiare. Porsi in aguato.

Insidiæ à Fœderatis frustra positæ.

eumdem traijcere tentarat. Illæ Gennapium versùs progressæ, ubi Catholici pabulari consueuerant, se in insidijs collocarunt. Verùm cùm ibidem diutius perstitissent, neque eo die Catholici profecti essent, interceptione desperatâ, Nouiomagum iter arripuerunt; eam Vahalis partem transmissuri, iuxta quam erant Hostium Castra. Quod ubi renunciatum Buquoio fuit; extemplo cum Equitatu, & bis mille Peditibus, ad eos intercipiendos, opprimendosque contendit. Pontem idcirco adiuit, quo transeundum Hostibus erat. Sed ubi peruènit, iam illi traiecerant. Carpens tamen agmen nouissimum, captiuos aliquot fecit, qui præ lassitudine persequi nequiuerant cursum cæterorum.

Dar' allacoda.

INTEREA pluuijs, quæ dies paucos cessarant, rursus ingruentibus, ac vias omnes inundantibus, ad conuehendos in Castra commeatus iter obstruebatur. Quod Spinula versans animo, ægrèque ferens incommoda, quibus affligebatur Exercitus: atque Isalam nullâ ratione traijci posse intelligens; tum quòd à Mauritio continenti custodiâ Militum, alijsque super alias munitionibus defendebatur; tum etiam quia maioribus in dies aquarum accessionibus tumescebat: ad aliam expeditionem appulit animum. Hæc ut præeunte consultatione maturior susciperetur; Senatum bellicum conuocauit. In eo præsentem rerum, ac temporum conditionem paucis exposuit: Isalæ traiectum desperatum: penuriæ periculum: Exercitûs detrimenta. *Vnam sibi*, dixit, *videri deliberationem in eis angustijs opportunam: si Rhenobergam non ita longè positam aggrederentur. Ad annonæ copiam eam esse inprimis instructam. Commodam quòque ad commeatus per Rhenum Embricam usque deuehendos. Patentem semper illac in Frisiam transitum. Rurorta munitionibus magnum inde aduersùs pericula tutamentum. Quid quòd Rhenobergâ captâ multis, ac non leuibus commodis spoliandus esset Hostis? Non inde vectigalia postmodum contracturum. Non per eam aditum ad Coloniensem, ac Geldriensem ditionem alendis Militibus, ut ferè quotannis factum, apertum iri. Denique multum inde Catholicis emolumenti, multum Fœderatis incommodi (quod nemini ignotum esset) euenturum.*

Spinula in Senatu bellico Rhenobergæ obsidionem proponit, & persuadet.

Rinsberga, ò Renbergh.

Emerich.

HIS, alijsque rationum momentis suadebat Marchio Rhenobergæ obsidionem. Et facilè Senatui bellico persuasit. Quare ad eam strenuè aggrediendam toto pectore incubuit. Cùmque quas apud se Copias habebat, nequaquam operi tanto pares existimaret (firmandis quippe præsidio captis ab sese Frisiæ locis valde imminutum intuebatur Exercitum) Buquoij Militem sibi adiungendum duxit, quem transmittere Vahalim posse iam propè desperabat. Igitur Buquoio susceptam deliberationem per literas

aperit: mandat ut quamprimum cum lectissimis ex uniuerso Exercitu Rhenobergam contendat, & loca occupet obsidioni commoda, quâ parte Geldriam spectat. Ipse Solræum præficit Grollæ, præsidioque relinquit Pedites mille quingentos, & cum Equitum cohorte Henricum Comitem Vandenbergium. Tùm decimo tertio Calendas Septembris cum Exercitu cætero Grollâ discessit: & Castra prope Brefortium posuit. Sub noctem verò digressus pariter est Simon Antunius cum bis mille, & quingentis Peditibus ex omni Natione delectis, Equitibusque septingentis, ac duabus bombardis, totidemque pontonibus: habuitque in mandatis à Spinulâ, ut latus Rhenobergæ alterum, quod Frisiam respicit, insideret. 1606.

BVQVOIVS, quò magis profectionem maturaret, commissâ Exercitûs reliqui deducendi curâ Ioanni Menesio Tribuno; secum duxit quatuor Peditum millia, Equitesque quingentos, bombardis quatuor, & senis cymbis aduectis. Iamque in conspectu Rhesæ erat, cùm Hostium bellicam nauem, aliasque quatuor conspexit, quæ Pedites octingentos, Rhenobergam à Mauritio subsidio missos vehebant. Ergo directis in eas tormentis, iussit assiduis ictibus transuerberari. Bellicæ Præfectus secundum ventum, ac fluuium nactus, ad Schenchianam Arcem eas deducere aggressus est. Verùm bombardæ ictu clauo sibi subrepto, atque à Sclopetarijs acriter infestatus; sex præterea hostilibus cymbis insectantibus; optimum factu duxit in aduersam Hosti ripam Milites exponere. Non idcirco tamen effûgit, quin Catholicorum veniret in potestatem. Alia quatuor nauigia, dilapso Milite, concremata. Buquoius iter susceptum persequutus, undecimo Calendas Septembris Rhenobergam peruènit, quam postridie attigit Antunius.

Quinque aliquot Hostiû naues captæ. *Rees.*

IN ditione Coloniensis Archiepiscopi, Septem-Virique Cæsarum Electoris, Rhenoberga est, ad læuam Rheni ripam sita (quæ Geldriam spectat) unde & nomen inuènit. Annis hisce Belgici belli postremis, alternis infessa fuit modò Catholicorum armis, modò Fœderatorum: uti suis locis narrauimus. Quippe utrique Partium percommoda ob opportunitatem fluminis, facilisque in Frisiam traiectûs. Æqua circum eam planities panditur; nisi quà colles aliqui clementer assurgunt, è quibus peti tormentis Oppidum potest. Ad ictum bombardæ vicina sunt nemora densis arboribus impedita, angustisque semitis in aperta camporum deducentibus. Neque desunt frequentes circà paludes, quæ difficiliorem illuc accessum reddunt. E regione verò Insula medium insidet flumen, à nobis aliàs memorata: in quâ munimentum

Rhenobergæ positura, & validę munitiones describûtur. *Iidem Historici, qui de Grollâ.* *Lib. 9. 11. 13.*

1606. mentum antea Parmensis Alexander erexerat; Mauritius postmodum validiùs roborauit. Oppidum quòque hic ipse ab omni parte muniendum curauit: ubi anno superiore animaduertit, Catholicas vires in eam regionem traduci. Quatuor olim planæ formæ munimentis instructa erat Rhenoberga, quorum singula suis fossis præcincta. Nouas præterea munitiones, tam Catholici adiecerant, quàm Fœderati: magnum præsertim aggerem nouorum instar mœnium circumductum, cuneatis subinde lateribus, ac mutuò sibi obuersis, prominentibus: & fossam alteram aquis abundantem. Sed neque hoc turamine contentus Mauritius, nouissimè quindecim undique lunata propugnacula excitarat, & suam cuique fossam addiderat. Exteriorem loricam extruxerat, quam viam tectam vocant: quatuor magnos aggeres erexerat: receptus quinque diuersis partibus fabricarat. His munitionibus, quasi triplici circumdata muro, Rhenoberga tantum agri circumiacentis iam occupabat: ut multum impendendum temporis Obsessoribus esset, plus multò laboris exantlandum antè, quàm ad oppugnanda mœnia posset accedi. Quinetiam Insula ipsa, quam diximus ex aduerso surgere; tot firmata munimentis erat, ut pro Arce satis validâ Rhenobergæ foret. Nam præter antiquam structuram ampliore fossâ circumseptam, Rheni aquis influentibus, ad Stationem tutam nauibus exhibendam: ingens vallum, forcipis instar decussatim dispositum excitarunt; eique minus alterum similis formæ adiecere: lateribus in quatuor partes exstantibus, atque alluentibus fossis. Tres quòque receptus in circuitu ædificarunt. Vtque ex Insulâ ad ripam alteram Oppido aduersam prompta Militi migratio foret, è nauibus, pontonibusque compactum Rheno pontem imposuere. In ipsâ verò ripâ munitionem erexerant quatuor propugnaculis ad latera roboratam cum fossâ, tectâ viâ, tribusque extrinsecùs lunatis munimentis, inter quæ magnum aggerem duxerant; millium aliquot hominum capacem. Denique quartâ ferè leucæ parte mœnibus procul, Rhenum inter, aliumque exiguum amnem, receptaculum excitarant. Vt non immeritò tam multis circumsepta munitionibus Rhenoberga, noua quædam Ostenda diceretur: cuius nempe expugnatio pariter Spinulæ Marchioni reseruabatur.

Piatte forme. *Mezelune.* *Strada coperta.* *Trinceroni.* *Ritirate.* *Tenaglia incrociata.* *Iustinianus, & apud Haræum.*

AT Mauritius ad Isalæ, ac Vahalis transitum intercludendum totâ mente, ac viribus intentus; ubi de Rhenobergæ obsidione cognouit, Exercitûs sui Præfectis, Ordinibusque Fœderatis disertè professus est: *Sibi constitutum, aut Rhenobergâ Spinulam summouere, aut facere sua vita iacturam.* Tanti æstimabat Oppidum illud

Mauritii sollicitudo pro Rhenoberga. *Carnerus c. 12.*

illud amittere. Quare statim quàm potuit maximas undique Copias contraxit, plerisque Præsidijs penè vacuis relictis. Tùm ad Schenchianam Arcem Henricum Fratrem præmisit cum bis mille Peditibus, ac ferme pari Equitatu. Multum in eo Gallicæ Nobilitatis erat, illuc profectæ, ut in tam celebri se palæstrâ exerceret, ac militarem gloriam compararet. Id ubi perlatum est ad Buquoium, renunciari Spinulæ iussit, qui iam cum Exercitu iuxta Vesaliam erat. Mandauit hic extemplo Antunio, ut cum Peditibus mille Buquoio se adiunctum iret. Cùmque ille sexcentos Italos, & quadringentos Germanos secum duceret: adesse propiùs Hostem, increbuit rumor. Quamobrem opportunius visum cum Copijs omnibus pergere. 1606.

Spinula Rhenobergam petit, atq; obsidet.

Retroguardia. Vãguardia.

SPINULA, postremis Ordinibus Velasci curæ commissis, ipse cum primis Rhenobergam contendit: eòque decimo Calendas deuenit. Ibi primùm contra munitionem extimam, quam imminentem diximus ripæ citeriori, Stationes locat. Tùm Francisco de Fonte mandat, ut cum Equitibus quingentis transmisso prope Rurortæ propugnacula Rheno, suppetias Buquoio ferat: qui disposito in aciem Milite Nassauium Iuuenem subsidiarias Oppido Copias deducentem præstolabatur. At is opacæ noctis tenebris defensus, & quòd locorum peritus, per syluarum ambages longo circuitu, procul Catholicis Castris profectus est; duo Peditum millia, Equitesque ducentos, in quibus flos Gallici sanguinis, in Oppidum induxit. Cùm tamen postremi Ordines intrarent, adortus eos inopinatò Fontius aliquos interemit, alios captiuos abduxit. Henricus verò cum reliquo Equitatu ad Mauritium Fratrem se retulit. Hic Rhesam inter, ac Vesaliam positis castris, Rheno pontem iniecit: & sese neruis omnibus, viribusque ad soluendam obsidionem parabat.

Ab eruptione Hostium periclitatur cum Velasco.

POSTRIDIE quàm peruenerat Marchio, unà cum Velasco se contulit ad eum receptum, quem inter Rhenum, ac minorem fluuium fabricatum memorauimus: ut illac ad Buquoij Stationes migrarent. Cùmque ibi consisterent; accidit præter omnem opinionem, ut Equites ferè centum quinquaginta eruptionem Rhenobergâ facerent. Hi secum ductis aliquot Mosquetarijs, in id receptaculum irruerunt. Namque ubi primùm Catholicus Exercitus ad Rhenobergam Castra statuerat; destitutum id fuerat à Fœderatis (quandò pauci, qui aderant, Præsidiarij tueri non poterant) atque à Catholicis occupatum. Præerat illi cum quadraginta solum Equitibus Franciscus Irazauallius. Nec longè aberant Ioannes Pantoia supremi Castrorum Præfecti Locumtenens, & Saugeorgius Comes. Qui periculo suorum audito, pe-

1606. pedestres aliquot Copias aduersùs Hostem promouerunt. At his nihil impressionem remorantibus, parum abfuit, quin Spinula, & Velascus in manus Hostium venirent. Quippe statim atque armorum illi sonitum ex eâ parte sensere, aduolarunt, ut quid rei esset, cognoscerent. Eos verò ubi Hostis animaduertit, tam gloriosâ prædâ pellectus, ad receptum usque insectatus est. Quò postquam peruenere, Mosquetarios viginti eduxit indidem Marchio, atque Hosti obiecit. Hi Ductoris sui non modò animati conspectu, sed multò magis periculo inflammati, eiusque defensi gloriæ ambitiosi, tam strenuè se gesserunt: ut duobus maximè imminentibus, ex equo ad terram stratis, Marchionem, & Velascum discrimini exemerint: Equitibus aliquot leuioris armaturæ auxiliantibus, retrocedere Hostem coëgerint: nonnullos occiderint, alios ceperint: tres, quatuor ve tantùm è suis desiderarint.

Hoc minùs prospero successu magis irritati animi tum Hollandorum Rhenobergæ iacturam metuentium, tum Gallorum, ad militarem gloriam anhelantium, nouam in diem posterum eruptionem pararunt. Igitur Equites pares numero pridianis, aliquâ Peditum vi terga tegente, Buquoij Castra postridie sunt aggressi. Quibus Equites Catholici, qui in excubijs erant, alacriter occurrerunt. Nec longa dimicatio fuit, Catholicorum virtute repulsi Fœderati, in Vrbem se recipere adacti sunt, aliquot suorum extinctis, captoque Flessensi Comite Gallo, cuius equus perfossus ceciderat. — Iterum erumpentes repelluntur.

Per id temporis Ioannes Menesius Tribunus cum reliquis Buquoij Copijs ad Castra peruenit. Ei Spinula pòst viciniorem Oppido collem Stationem designauit. Tùm Buquoio præcepit, ut ductis aggeribus progredi conaretur ad maius vallum, & lunata propugnacula; utque Castra validè ab omni parte muniret. Quà verò Rhenobergâ Meursam iter est, atque ubi turris quædam semiruta spectabatur, Iustinianum cum subiectâ Legione collocauit; adiunxitque Billij Legionem, tres Hibernorum centurias, Italorum duas è Legione Brancatij, Equitesque trecentos sub imperio Cesaris. Eidem mandauit, ut principio in receptum quemdam impetum faceret: eo capto, magnum aggerem, ac postremò vicinum propugnaculum aggrederetur. Hoc latus omni ope tueri Fœderati propterea studebant, quòd propugnaculi fossa destituta erat aquis. Atque ut in omnem partem prospiceret Marchio, ad Luppiam fluuium, quà transiri vado poterat, receptaculum excitari iussit: impositumque Rheno pontem prope Rurortam transuehi secundo flumine voluit eisdem nauigijs, quibus innitebatur; & iuxta Rhenobergam collocari. Mandauit præ- — Marchio diligenter omnia disponit. — Terzo, ò Reggimento. — Lippa.

præterea, ut geminâ viâ munimentum, quod erat è regione Insulæ, inuaderetur. Aggerem quippe præstructum iam Defensores deseruerant. Hinc igitur Hispani progredi cœperunt aggeribus sub Antunio Tribuno: illinc Itali, Burgundiones, & Vallones: quos omnes idem ille destitutus Hostibus agger ab eorumdem ictibus defendebat. Ita militaris industria vel ipsos labores Hostium in suum usum conuertit. Parte aliâ Iustinianus locum valde opportunum, Oppido scilicet imminentem, inter duas paludes occuparat; aggeremque ab alterâ duxerat ad alteram: cuius extrema receptibus firmabat, ut eis bombardas aliquot imponeret. 1606.

Eruptio magna dicta, a Catholicis propulsata.

NECDVM perducta ad summum opera erant, cùm ut ea disturbarent, Obsessi uniuersum Equitatum in quatuor diuisum turmas effuderunt. Octingenti simul Pedites agmine bipartito eruperunt: unàque omnes impetum in eum, qui extruebatur, aggerem fecerunt. Magnam eruptionem hanc appellare soliti Fœderati, quòd maximis, ut nunquam in totâ obsidione, viribus irruerunt. Aggredientibus primis obiecit Iustinianus Cesatem, Alexandrumque Brancatium cum Equitibus triginta, qui tùm agebant excubias. Mox Peditatûs partem extra aggerem eduxit. Dumque hi omnes egregiè se, ac locum tuentur; magna vis Equitum, Peditumque subsidio accurrit è Castris. Atrox hìc prælium exarsit, utrâque partium acerrimè dimicante. Tandem verò Catholici pugnâ superiores ad loricam usque mœnibus præstitutam Hostes pepulerunt, multis eorum cæsis, aut vulneratis. Neque ulteriùs insequi destiterunt, donec ab lunato quodam munimento frequentibus tormentorum ictibus infestati, sese recipere coacti sunt. Desiderarunt hi in eo conflictu Renginum Sclopetariorum Equitum Præfectum, aliosque complures. Duo verò Centuriones è Iustiniani Legione cum Equitibus quindecim saucij reuertère.

INTEREA neruis omnibus Antunius, ac Sangeorgius enitebantur, ut munitionem Insulæ præstructam occuparent. Iamque propiùs lunatum propugnaculum accesserant: ac bipertitò dispositis bombardis Hostem petebant. Hic verò aliam ausus eruptionem, triplici agmine Catholicos inuadit. Atque ubi prima frons, centum quinquaginta Pedites habens, apparuit; plerique, qui operibus insistebant inermes, dedere se in fugam. At Turrius Tribunus cum Vallonibus aliquot, Italis, & Burgundionibus ex aggere aduolans, magno animo, maiore constantiâ sese Hostium primis, ac sequentibus agminibus interiecit. Quo factum est, ut hostilis acies repressa, progredi non auderet. E primis

1606. mis verò illis alij cæsi, alij capti, alij saucij; paucissimi incolumes cum reliquis remigrarunt.

Catholici verò tam prospero euentu alacriores, instare vehementiùs operi: cùm præsertim Spinula præsens urgeret, atque ad integram accelerandam victoriam omnes animaret. Itaque quartâ die lunati munimenti fossam ab geminis lateribus attigerunt, Hoste ipso tantam celeritatem demirante. Marchio militarem ardorem nil remittendum ratus, ad oppugnationem iri iussit. Hæc tanto impetu suscepta, ut Defensores obsistere cùm nequirent, in fugam se coniecerint. Propugnaculo deserto Catholici extemplo potiti, idem validiùs munierunt. Quoniam verò à Sclopetarijs quibusdam ante maiorem munitionem collocatis assiduè impetebantur, tres Militum centurias aduersùs eos Balansonius immisit, qui eosdem loco cedere coëgerunt: simulque propugnacula extra maius munimentum omnia occuparunt, non tamen sine cæde suorum, & sanguine; Centurione Vallone extincto, alijs quadraginta quà interfectis, quà saucijs. Iamque Catholici cunctas adhibebant vires, ut fossæ maiori munimento obductæ citerius labrum tenerent. Id consequuti, qui proximi excubabant, Antunius, & Sangeorgius. Statimque fossam aquis carentem transmiserunt: ductisque, quibus se tuerentur, aggeribus, propiùs ad munitionis propugnaculum quoddam accesserunt. In ipsum Spinula decem dirigi tormenta iussit, ut eorum impetu disijceretur. Cùmque id crebrâ concussione tantum aperuisset hiatûs, ut per eum fieri posset impressio, hanc parari mandauit.

Spinula lunato munimento potitur.

Contrascarpa.

Verum ut impressioni parceretur, Hostium effecit præpropera desperatio, ex repentinâ cæde Præfecti Edmundi Scoti, multorum stipendiorum Militis, & obscuris quidem orti natalibus, sed virtute, ac fide altos militiæ gradus emeriti. Is tertio Nonas Septembris cum pro suo munere Hostium castra spectaret; emisso è bombardâ globo ictus in capite, vitam amisit. Quo casu, & aliorum nece, qui locum tuebantur, exterriti, antè se inde in tutum recipere decreuerunt, quàm ab Hoste introgresso opprimerentur. Ergo munitionem deseruere, quam tamen varijs receptibus, ac septis ad defensionem interciderant. Summo quippe timori, ac desperationi nullum videtur validum sepimentum, nullus receptus tutus. In ipso verò discessu militaribus casis è ligneâ materie ignem subiecere. Cuius exsurgentes flammæ indicium rei Obsessoribus fecere. Quare munitionem varijs è partibus ingressi, propugnacula, & muri loricam offendère tribulis, ac muricibus ferreis resperſa. Non tamen eo lucro contenti, Hostes

Gaspar Ens.

Maiore deinde propugnaculo, ob cædem Præfecti.

ſtes inſecuti ſunt,ut eis traiectum fluminis intercluderent. Cùmque aliqui ad receptaculum quoddam confugiſſent, malè ſe ibi tutos arbitrati; locum, & quinque in eo tormenta deſeruere: ac raptim, ſparſimque ſe ad pontem citatiſſimâ fugâ effuderunt. Inſtare tergo Catholici, & premere tantâ vi fugientes, ut plerique ſe in fluuium præcipitarent. Cæteri Rheno tranſmiſſo pontem interruperunt; eiusque diſiectas partes in aquas iactarunt, ab ſe aliò deferendas. At, qui munitionem Inſulæ tuebantur, Præſidiarij continentibus bombardarum ictibus Catholicos in citeriore ripâ poſitos infeſtabant. Eorum aliquot occiderunt: alios, ac duos præſertim Centuriones, vulnerarunt. Quippe in loco recèns occupato nondum ullo ſe aggere vallauerant. Sed & ipſi Catholici fulminabant in Inſulam ex eo, quod paulò antè ceperant, munimento. 1606.

Mauritii dolor ex propere Spinulæ progreſſibus.

VBI ad aures Mauritij peruènit, ſolo quatriduo capta propugnacula cuncta, quæ citra Rhenum erant, ſtetit attonito ſimilis, nec magis dolore, quàm admiratione defixus: quia nimirum in animum induxerat, vix illa viginti dierum ſpatio poſſe expugnari. Nec minor ex eo ægrimoniæ ſenſus acceſſit, quòd is factus fuerat tam ſubitò ab Hoſte progreſſus, ipſo in proximo, nempe ad Veſaliam degente, & quaſi ſpectatore, cum tredecim Peditum, & tribus Equitum millibus ex omnibus penè Fœderatorum Præſidijs euocatis.

DVM hæc ex uno Rhenobergæ latere fortiter à Catholicis, feliciterque geruntur, ex altero, quod Buquoius urgebat, minimè ceſſatum eſt. Namque nocturno tempore receptaculum quoddam nullo negotio captum: eiusque faſtigio impoſita tormenta Oppidum quatere, ac Defenſores reprimere cœpere. Agger quòque ad lunatum munimentum deducebatur: cùm Rhenobergâ noua ex improuiſo fit eruptio Equitum centum & quinquaginta, Peditum quadringentorum. Hi ſtatim in Germanorum centuriam, quæ ad opus armis depoſitis incumbebat, impreſſionem faciunt. Germani cùm, quo ſalutem defenderent, nihil præter fugam haberent, ei ſe committunt. Progreditur Hoſtis, eorum receſſu factus audacior, ad receptaculum uſque modò memoratum. Ibi verò ſtare coactus eſt, & cum Præſidiarijs eius acriter dimicare. Dumque ſtrenuè utrinque res geritur, armorum fragore audito, Buquoius extemplo, ac Meneſius cum parte Copiarum accurrunt; atque Oppidum versùs iter accelerant eo conſilio, ut medium intercipiant Hoſtem. Is autem nihilò in periculo proſpiciendo hebetior, præuertendo ſegnior; effuſiſſimo curſu, ac penè fugâ retrò ferre gradum in Oppidum. Inſectati Catholici,

Germanis periclitantibus Buquoius, & Meneſius ſuccurrunt.

non

1606. non paucos peremerunt, aut vulnerarunt, Centurionem unum cepere. Vnum contrà eiusdem Ordinis desiderarunt è suis, alijs quibusdam cæsis, alijs saucijs ad triginta.

His euentibus ad Marchionem perlatis, iussit Antunium, Turriumque cum suis Copijs ad Buquoij Stationes trans Rhenum pergere: pontem verò iam eidem fluuio (uti diximus) impositum secundo flumine deuehi, ac Rhenobergam propius admoueri. Eiusdem custodiæ addixit quinque Germanorum centurias sub Velasci præfecturâ. Tùm ipse quòque ad Buquoij Castra se contulit, & quo res essent loco, probè perspecto; aggeri, qui ducebatur, insistere iussit Menesium cum Scotorum, atque Hibernorum Legionibus. Iustiniani verò,& Brancatij Copijs imperauit, ut alternis quæque noctibus aggerem tuerentur. Turrium denique, Bossutium,& Achicurtium ad receptum quemdam Borico proximum occupandum misit.

Mavritivs inter hæc Luppiæ fluminis transitum prope Vesaliam tentauit. Quamobrem Pedites mille, Equitumque turmas aliquot illò præmisit: unàque bellicam nauem Rheno deferri voluit cum paucis cymbis: quibus centum ferè Milites transportati, ubi primùm ripam alteram tenuerunt, receptui exstruendo dederunt operam, haud procul receptu Catholicorum. Quo comperto Velascus Melzium eòdem impulit cum aliquibus Equitum turmis. Hic impetu in Hostem facto, tantâ vi, ac virtute pugnauit, ut eum fuderit, ac fugarit; multos occiderit, atque ipsum eorumdem Centurionem; multos adegerit dare se in flumen præcipites. Ipse verò cum suis mox inde retulit gradum, nè quid à displosis è bellicâ naue bombardis detrimenti pateretur. Nocte autem subsequutâ Velascus cum Equitibus mille ripam eamdem perlustrauit: nec frustra. Eumdem quippe offendit Hostem iterum appulsum. Verùm ad eius conspectum ille recessit: ipse ad Castra reuersus est. Maiores adhuc immisit Mauritius Copias, in suo consilio perstans, ut eum locum occuparent. Et potitus tandem est voto. Ripam tenuit: ingentem in eâ aggerem erexit: alterum minorem excitauit in diuersâ parte cum receptaculo, Peditibusque instruxit. Catholicorum verò receptum expugnare cum decreuisset; præmisit qui suo nomine Præsidiarijs denunciaret: nisi deditionem illico facerent, ad unum omnes internecione cæsum iri. Vtque facto vim dictis adderet, duo in eorum aspectum produci tormenta iussit. Quorum impetum sustineri non posse, cùm pro certo haberet, qui loco præerat, honestis conditionibus eum dedidit.

Mauritij Milites à Melzio victi.

Alii plures recepti Catholicorū potiuntur.

Mavritivs imposito Luppiæ ponte, eumque frequenter ul-

Spinula Oppidum capere festinat.

tro, citroque transmittens, magnam inijciebat Catholicis suspicionem, conniti se quâuis viâ subsidium immittere Rhenobergam. Quare Spinula expugnationem eius accelerandam censuit, ac Stationes validiùs muniendas. Mandauit ergo Militibus, ut obliquis accessibus promouendis, vehementiùs undique insisterent. Velasco verò, ut Stationem suam contraheret, atque intra Rhenum, & aggerem prope pontem locaret; ipsoque aggere cuneis aliquot additis eamdem muniret. At ex eo latere Oppidi, quod respicit Boricum, quia nullâ Militum illud Statione claudebatur; vallum deduci voluit ab ripâ fluminis ad paludem: & præ illo fossam; ac varios in longitudinem receptus, æquis inter se spatijs distantes. Vallum alterum ab Rheno prætendi iussit ad eamdem paludem, quò Militem ab Vrbis tormentis tueretur. Tantum verò inter ea reliquit interualli, ad iactum nempe tormentarij globi, ut illac turmatim posset Equitatus à palude ad syluam procurrere. Alium quòque aggerem cuneatim fabricatum, receptibusque distinctum duxit in eam partem, quâ sylua desinit in planitiem Oppido subiectam. Iustiniani præterea Stationem vallis, ac receptaculis pro opportunitate firmauit. Neque ullum Ducis optimi munus in se passus desiderari; Equites in omnem partem Exploratores misit, qui Mauritij gressus indagarent, consilia scrutarentur: ut quibuslibet eius tentamentis maturè posset occurrere.

1606.

Ad vn tiro di bôbarda.

Corritori.

INTEREA Hispani deductis ab se aggeribus ad maius Oppidi vallum peruenerant: pluresque bombardas disposuerant ad idem quatiendum. Itali verò ab receptu Hostium ducentis ferè passibus remoti, quatuor eum tormentis acriter verberabant. Noctu verò Iustinianus Oppugnatores immisit: qui eumdem aggressi, fugatis Præsidiarijs, ceperunt. Tùm aggerem ad eum usque deduci iussit. Qui dum extrueretur, non semel Hostis erupit ad opus interturbandum: sed quia paruo numero, facilè propulsatus. At postero mane ducenti receptum eumdem, qui Oppidum versùs patebat, aggeremque nondum perfectum, & communitum adorti, diruere cœpere. Iustinianus verò displosis contra eos tormentis, immissisque duabus centurijs, ad mœnia se recipere coëgit; aliquot utrinque tum saucijs, tum extinctis. Brancatius, ad quem eius noctis custodia spectabat, aggerem redintegrauit: locum communiuit: impressionem trium bombardarum instituit. Cùm verò tam ipse, quàm Iustinianus animaduertissent, ab receptu quodam Hostium, qui superat ad læuam, è transuerso suos Milites peti; certiorem eâ de re Marchionem fecere. Qui statim in mandatis dedit, ut nocte proximâ inuaderetur. Igitur ad

Metter' in fuga.

Iustiniani, & Brancatij virtus in obsidione.

Batteria.

1606. ad eum occupandum, bini Centuriones Iustiniani, totidemque Brancatij cum subiectis sibi centurijs diuersâ viâ contenderunt. *Imboscate.* At in itinere offendêre dispositas Hostium insidias. Quamobrem hos Catholici extemplo aggressi, ad maius usque vallum ingenti armorum strepitu persequuntur. Quo strepitu cæteri Iustiniani Milites acciti, vallum idem intrarunt. Cùmque Iustinianus non eum esse, quem petebant, locum agnouisset: ac nemo per noctis tenebras ad destinatum perducere auderet; suspensis omnes animis hærebant. Tùm Iosephus Gamurinus, Iustiniani Miles, qui commodùm ad receptum peruenerat, eumque obseruarat à Defensoribus destitutum, ad eumdem se præbuit Copijs omnibus ducem. Vbi locum tenuere, quòd is, quà respiciebat Oppidum, patens erat, munitionibus occluserunt.

HAEC inter Turrius Tribunus, cæterique Præfecti Vallonum ad aliud receptaculum aggere ducto, binâ impressione factâ, idem ceperant. Verùm quòd illac aditus non patebat ad Oppidum, deserendum putarunt. Et quia Iustinianus, & Brancatius Marchioni renunciandum etiam curarunt, Italorum Copias ab læuâ parte maioris Hostium valli vehementer lædi: nec posse propterea propiùs accessibus promoueri: locum illum is Turrio attribuit cum receptu nuper occupato: cui bombardis aliquot impositis cœpit hic vallo sensim propinquare. E maximis hoc *Ritirate.* erat, quæ Hostes erexissent, duobusque receptibus firmatum, quorum exteriorem fossâ præcinxerant. Hanc iam tenebat Menesius, adeòque iussus fuit à Spinulâ statim oppugnatum ire. Compertum Hispani habebant, duos sub eo vallo cuniculos effossos. Idcirco non rectâ, sedâ tergo id inuaserunt. Tùm Hostes igne cuniculis admoto, in ea, quæ diximus, receptacula raptim se subduxere. Hispani potiti quidem sunt vallo, sed non sine graui iacturâ, octoginta ipsorum partim occisis, partim saucijs. Se verò in ingressu munientes, paulatim progrediebantur: donec tandem è receptu citeriore Hostem depulerunt. Non erat hic probè communitus: ac propterea veriti, nè à Fœderatis repeteretur, duplo maiorem ei custodiam imposuerunt. Cùmque iam sibi nihil à cuniculis metuerent; sub exortum Auroræ succensus eorum unus terram repentè disrumpit: atque ipsorum plerosque proripit in sublime, tantâ strage, ut supra septuaginta aut extincti reciderint, aut vulnerati. Hìc verò, ut ubi maximè, eluxit Hispana constantia. Quippe nec Sociorum clade, nec suo periculo exterriti reliqui & locum tenuerunt, & se ibidem muniendo firmarunt. *Hispanorum constantia in magno discrimine.*

NEQVE minore animi magnitudine Italis opus fuit, vehe-

mentet à maiore vallo infestatis, ad quod aggerem ducebant. 1606. Cùm enim id non admodum excelsum foret, mosquetorum inde ictus non incassum feriebant: sed ad viri staturam supra terram delati, aut hunc, aut illum petebant. Cui malo conatus occurrere Iustinianus, tentandum censuit, an posset priùs vallo potiri, quàm eòdem agger pertingeret. Id verò successurum sperabat, si munimentum aliud hostile occupasset, cuius ruderibus, ac ruinis fossam oppleret. Duobus dimidiatis propugnaculis ea munitio constabat, cum sexaginta passuum loricâ: nec deerat receptus interior: & Milites quingentos in aciem dispositos capiebat. Igitur eo consilio Marchioni proposito, probatoque, Milites ad id operis in hunc modum designauit. Signiferos duos cum quinquaginta Socijs præire iussit; qui bipartitò in latera Hostem inuaderent, ipsumque loco pellere niterentur: eo pulso, extra munimentum consisterent, illo se tuentes. Duos quòque Centuriones cum duabus centurijs destinauit, qui à fronte aggrederentur, mosquetorum ictus ad receptum, ac tectam viam perpetuò dirigentes, nè illinc numerus Hostium maior erumperet. Centuriones totidem elegit, qui cum alijs ducentis interea solo fossam æquarent. Binas item centurias præstò esse voluit, ac paratas ad ferendum subsidium. Vnam denique magnis corbibus instructam, ut ex eis septum contextum inter aggerem, & vallum interijceret. His prouidè constitutis, præcessere Signiferi, atque Hostibus propulsatis, locum tenuere. Centuriones etiam suo munere strenuè perfuncti. Iamque dirui munimentum cœperat, ac fossa impleri: cùm ijdem Signiferi generosis animis suis magis obsequuti, quàm imperijs Iustiniani, intectos sese Hostibus præbuere; à quibus grauissimè percussi ceciderunt, alter extinctus, alter saucius. Eorum Milites Moderatoribus destituti, reliquis, quià fronte valli stabant, se adiunxerunt. Rhenobergenses à Catholicis minimè retardati, quòd horum situs humilior erat, quàm ut mosquetis eos arcere possent; eruptionem fecerunt. Et quandò latus valli dextrum vacuum inuenerunt, magnam inde perniciem Obsessoribus inferebant. Quod animaduertens Iustinianus, & fossam adeò latam intuens, ac profundam, ut breui tempore impleri non posset; receptui cecinit, sexaginta ferè Militibus amissis, binisque Centurionibus cæsis, totidem vulneratis. Brancatius operi nauiter insistens, aggerem deduxit quinquaginta ferme passibus prope vallum.

Iustinianus disponit Italos ad vallum hostile capiendum.

Applanare il fosso.

Gabbionata.

A x. quâ parte laborabant Hispani, iam aggere peruentum erat ad munitionem, quæ una reliqua erat ante paludem Oppido viciniorem. Eam Fœderati reliquerant, duos subter cunicu-

los,

1606. los, seu furnulos incendentes. Successerunt Hispani; eamque sibi validiùs roborarunt. Cùmque paludem traijcere contenderent, à propugnaculo, quod ad læuam superabat, magnopere infestabantur. Quod ubi Spinula comperit; dispositis tormentis id concuti, oppugnarique iussit: paludem verò iniectis ramalium fascibus, & ligneis farciminibus transmitti. Iustinianus erigi cœptum à Brancatio aggerem ad latus dextrum valli perduxit: alterumque molitus est usque ad sinistrum. Hinc fossâ potitus, oppugnare iterum vallum aggressus est. Sed tunc etiam tam infestos habuit assiduis ictibus Hostes, ut triginta suorum vel occisis, vel saucijs, incœpto desistere necesse habuerit. Tentauit eamdem belli fortunam Brancatius, sed non dispare successu. Hostes quippe succenso cuniculo, & crebris ictibus magnum ei damnum crearunt. Vt propterea, factâ triginta Militum iacturâ, in tutiorem locum se receperit. Vbi perlatum ad Marchionem fuit, crescere in dies numerum sauciorum; quâ erat Christianâ charitate, Nosocomium instituit in Oppido Alpâ, dimidiâ ferè leucâ Stationibus remoto, & neutri Partium subiecto. Adiecit ad tutamentum Peditum aliquot, Equitumque custodiam, præfecto Northurio.

Fascine. Salsiccie.

Marchio Nosocomium aperit pro saucus.

TVRRIVS interea cum Vallonibus aggerem deduxit ad quamdam munitionis partem ab lateribus minimè defensam, atque ab Hostibus destitutam. Illâ igitur potitus, tormenta imposuit; vallumque maius ad dexteram prætergressus, in excelsiorem quemdam locum inter vallum, & paludem obliquis accessibus peruenit; quem valde sibi opportunum existimauit, cùm læuum latus ab Hispanis tegeretur. Iustinianus verò valli quod erat reliquum occupauit, haud magnâ Militum iacturâ, quamuis alio cuniculo ab Hoste succenso.

Approcci.

CVM tantos progressus à Catholicis factos Mauritius comperisset, ac propè iam esse ut Oppidum expugnaretur: nihil morandum diutius censuit, quin illud valido, præsentique subsidio confirmaret. Quare suas extemplo Copias in sex minores, quatuor maiores acies distribuit: earumque latera turmis Equitum communiuit. Per noctem verò cum eis ad campos Alpæ finitimos deuenit. Inde Meursam, horarum trium itinere distantem, mille, & quingentos Pedites immisit: qui eò per nemorum anfractus concesserunt. Ipse retrocessit, hoc, uti fama fuit, suscepto consilio. Spinulæ Stationes Boricum versùs inuadere decreuerat: eodemque tempore in Velascum impressionem simulare. Meursam profecti Milites Italos à tergo adoriri iussi: simulque ex Oppido duplex, & copiosa eruptio facienda, in eosdem Italos à fronte

Mauritius ducit Subsidium Rhenobergam.

te

te alterâ, alterâ in Marchionem, contra quem occurrenti Mauritio se coniungerent. Verùm scitè institutis rebus successus defuit; melioribus consilijs Spinulâ præuertente. Is namque Mauritij mente compertâ, ad suam Stationem accersiuit cum Equitatu, & Peditatûs parte Velascum, cumque Legione subiectâ Iustinianum. His Copijs auctus, Hostem in horas ad prælium expectabat. At postero mane per Exploratores cognito, eum in campis Alpæ morari, Velascum illuc misit cum Equitatu, Peditibusque quater mille. Qui paulùm progressus audiuit, recessisse Mauritium: ideoque etiam ipse regressus. 1606.

Sed impeditur à Spinula.

CONTIGIT inter hæc, ut Melzius circa Meursam pabulatum iret. Cùmque Oppido circumiectus Ager obsitus nemoribus sit; & loca, unde pabula petebantur, sparsim disiuncta: Meursensibus Præsidiarijs, uti commodum, ita frequens erat erumpere ad Prædatores deprædandos. Idem ergo & contra Melzium ausi centum quinquaginta Pedites prodiere. At eorum quinquaginta vel cupiditate, vel confidentiâ cæteros antegressi, à Melzianis trucidati sunt. Reliqui se recipere tutius duxerunt. Foraggiare.

Melzius manum Hostium cædit.

IAM Hispani supra paludem Rhenobergæ proximam, corbium seriem, & pensilem quodammodo viam construxerant. Quod Obsessi conspicati, atque imminentem Oppidi iacturam veriti, magno numero, maioribus animis eruperunt. Tùm delatis ad ignem subijciendum adminiculis, molem illam succenderunt. Ad cohibendum incendium, Hostesque profligandos, Catholici frequentes aduolarunt. Adfuerunt Exercitûs Principes, & Buquoius, & ipse Spinula: breuique Fœderatos recedere coëgerunt. Verùm in eo, quamuis tumultuario, conflictu eorum aliquot mosquetis, ac pyrobolis percussi: Vrsaonis Dux (Ossunam hodie vocant) & Beueronis Marchio testulis in vertice, Menesius mosqueti globo sub oculo vulnerati: Amblisæ verò Dominus Gallus, & Loricatorum Præfectus extinctus. Sed nulla maior id temporis facta, quàm Turrij Tribuni iactura. Relicto is, uti diximus, ad dextram vallo maiore, ad propugnaculum quoddam occupandum progrediebatur: & iam ab illo parum aberat: cùm eum incumbentem aggeri, ac solo vertice supereminentem, Oppidumque versùs respectantem, mosqueti globus perculit in latus: qui, quòd à tergo inuectus erat, à Catholicis profectus per summum infortunium credebatur. Vehementer omnium animos infelix hic exitus Turrij commouit. Vir quippe fuit ingentis animi, summi iudicij, multæque experientiæ: atque ob has, aliasque virtutes & Archiduci, & Spinulæ charus in primis. Eum, quem inuaserat, locum subire Marchio iussit

In eruptione repellenda Catholici quidam Principes saucii.

Turrius tormento exemptus.

1606. ſit Achicurtium, & Boſſutium: Legioni verò Vallonum, quam regebat, Claudium Lanoium, Mutteriæ Dominum, præfecit.

At Iuſtinianus vallum, quod erat ad læuam, inuaſit, & cepit. Dumque in eo Milites conſiſtunt, cuniculus ab Hoſtibus recedentibus ſuccenſus terram diſiecit, eorumque aliquot vulnerauit. Subſequutus Brancatius, è receptu quodam ad dexteram Obſeſſos fugauit, & citeriore foſſæ labro potitus eſt. Cùmque id totum tenere nequijſſet, accurrit auxilio Iuſtinianus, & reliquum occupauit. Ripæ verò bombardas impoſuit, quibus ligneas domunculas militares in aridâ foſſâ occultas quaſſauit, atque ex eis Hoſtem exegit. Tùm corbium in eâdem ex tranſuerſo diſpoſitâ ſerie, propugnaculum oppugnatum iuit. Cuniculum quòque ſubter eodem effodi iuſſit: ac tormenta ſupra vallum collocauit, quibus hiatum peteret à perrumpente cuniculo ducendum.

Catholici vallo potiuntur.

Contraſcarpa.

Caſe matte.

Gabbionata.

Ab latere Hiſpanorum, ſaucij Meneſij locum Spinula demandauit Didaco Herreræ, ſupremo Legionis eius Inſtructori. Et iam Hiſpani peruenerant ad munimenti foſſam, quam aquis inſtructam iniecto ponte traijcere conabantur. Neque illos Obſeſſi tribus bombardis in cornu quodam diſpoſitis, & frequentibus pyrobolis vehementer infeſtantes, ab incœpto retardabant. Imò in eius exteriore angulo conſiſtentes, ſuffodère cuniculum: quo ſuccutiente, diſiecti propugnaculi ruinæ ſupra pontem relapſæ, hunc ad latus fregerunt. Per alterius tamen lateris anguſtias, quantumuis ægrè, perrexerunt Hiſpani: atque in hiatu facto ſeſe munire aggreſſi. Rhenobergenſes ad extrema ſe redactos conſpicati, extremum quòque virium adhibere contenderunt. Namque è receptu, qui erat in propugnaculo, ſummâ vi erumpentes, pyrobolis in Hiſpanos acriter inuecti ſunt. Cùmque aditus eſſet anguſtus, irrumpere nequierunt Obſeſſores, ſed ipſorum quadraginta quà cæſis, quà ſaucijs, in priorem ſe recipere locum neceſſe fuit. Achicurtius parte aliâ cum Vallonibus traiectâ foſſâ, cuniculum agebat ſub propugnaculo. Tormentis triginta duobus Rhenoberga quatiebatur: ab Hiſpanis viginti, à Vallonibus quinque, ſeptem ab Italis: qui cuniculum etiam inſtruxerant.

Rhenobergæ ſupremum diſcrimen.

At Obſeſſi Mauritiano Subſidio diu ſperato, ſæpiùsque promiſſo, ſe tandem deſtitutos videntes, neque ſuſtineri amplius oppugnationem poſſe, deficiente præſertim nitrato puluere (cuius penuriâ, ipſi poſtea profeſſi ſunt, deditionem diebus octo præfeſtinatam) Calendis Octobribus colloquium ab Hoſte poſtularunt. In eo conuenit, ut egrederentur Præſidiarij cum armis, ſignis, atque impedimentis, ad tympanorum pulſum, fomitibuſque ſuccenſis: duo quòque minora tormenta ſecum aueherent: tre-

Ex lit. Marchionis ad Regem, 9. Octobr.

Rhenoberga tandem deditur.

1606.

trecentos carros, ac naues duas Spinula commodaret. His conditionibus postridie migrauere Pedites ter mille, ac trecenti, in quinquaginta tria signa distributi: nongenti praeterea saucij: Equites centum quinquaginta: totidem Nautae. De Gallorum Equitum discessu lepidum quiddam narratur. In eruptionibus, quae non modò creberrimae, sed & numero Militum frequentissimae fuerunt: ita ut aliquando mille, & quingenti simul, interdum duo millia prodierint; Equites etiam Galli in pedes deiecti cum caeteris excurrebant. Quo animaduerso, Marchio partim admiratione, partim indignatione commotus; quòd ad sua Castra inuadenda illi ipsi, quorum equestre ingenium est, pedites aduenirent; spopondisse dicterio fertur: *Si Rhenobergam caperet, eos sese pedestres* (haud leui Gallis poenâ) *ex Oppido dimissurum*. Rhenobergâ expugnatâ, quod ioco promiserat, seriò praestitit. Equites Gallos iussit pedites migrare: *Ut quandò contra se Nationem, ac naturam eiurauerant; discerent in posterum pugnando manibus magis fidere, quàm pedibus vel alienis, vel suis*. E Foederatis perijsse dicuntur supra quadringentos: Catholicorum verò ferme quingenti: atque inter hos, Centuriones Prada, Brusatorus, Blancus, Magius, Lanarius, Mediceus, Monfortius, Castromedianus, Agrellus, Merodius, Durchius, Serguinius. Vulnerati septingenti: in quibus fuere praecipui: supremi Instructores duo, Pallauicinus, & Mormilla: Centuriones Gentilis, Miraballus, Airolus, Ceretolus, Vicecomes, Sanpetrus, Menesius, Esclergius, Cardenas, Francus, & praepositus Italorum accessibus Gamurinus. Relicta in Oppido tormenta quatuordecim, bellicae naues duae, cymbae quadraginta, pontones ingentes tredecim, bellici apparatûs haud multum: quia multum absumptum in obsidione.

Ex ijsdem literis.

Spinulae lepidum dictum, & factum.

Caesorum utrinq; numerus, & conditio.

NIMIUM quantum existimationis, & gloriae Marchioni peperit haec, multis nominibus insignis, victoria: tum quòd post quinque tantùm hebdomadas reportata: tum quòd ab Hoste non solùm Belgâ foederato, ad Oppidum retinendum neruis omnibus connixo; sed Gallo quòque auxiliari, qui eò pugnabat ardentiùs, quia pro gloriâ, & aduersùs Hispanos: tum etiam quòd maximi momenti locus, aditusque ad hostiles, aliasque Prouincias, validissimè ab omni parte munitus captus est: tum denique quia cum gemino Exercitu gerenda res fuit, altero à fronte Oppidum propugnante, altero à tergo imminente, atque in horas prouocante. Tanti aduersùs haec omnia ponderis fuit in Spinulâ magnanimitati adiuncta diligentia. Hanc eamdem victoriam, quae ante duodecim annorum Inducias postrema tempore, non di-

Huius victoriae magnitudo, & gloria.

Iustinianus. Carner.c.13.

1606. *Gaspar Ens lib. 17. Grotius. Haræus.* dignitate fuit; magnum intulisse Prouincijs Fœderatis non mœrorem modò, sed etiam metum tradidere Scriptores. Siquidem vicinorum calamitas nostris incubare ceruicibus videtur: & Rhenoberga capta spem se tuendi Hollandiæ, Zelandiæque Vrbibus infringebat. Nec leuis Fœderatorum Ordinum querela fuit: Mauritium non attulisse Oppido laboranti, & pro virtute, quam præ se tulit, meritò deposcenti subsidium, quod potuisset, si omnem adhibuisset industriam. Vt igitur tam existimationi suæ, quàm Ordinibus aliquâ ratione satisfaceret; loci unius iacturam, alterius adeptione compensare decreuit. Quare de Grollâ obsidendâ ventum est in consilium: sed eâ potiri non ita pronum; si *Venlò.* præsertim Spinula victor eò se conferret. Ad Venlonam potiùs conuertit Mauritius animum, quam breui intercipi posse spes maior erat. Misit ergo illuc Gasparem Colignium Castilioneum cum duobus Peditum millibus, Equitibus mille. Is ubi peruènit, *Rastello.* ad septum portæ, quæ Mosam spectat, pyloclastrum applicuit: cuius impetu statim disiectum est. Alterum portæ admotum: eodemque tempore propugnaculum, quod sine fossâ ripæ fluminis imminet, scalis appositis conscensum. Verùm qui eius custodiæ præerat, Hieronymus Aluarus è Sangeorgij Legione Centurio, strenuè Ascensoribus obsistens, eorum primum impetum sustinuit. Interea Vandenbergius Comes Hermannus, Geldriæ Prouinciæ Gubernator, qui Venlonæ sedem habebat; factâ Militum, atque Oppidanorum manu, ad defensionem accurrit, Hostemque semel, atque iterum propulsauit. Quare receptui cecinit Colignius viginti è suorum numero desideratis.

Hostiū damna, & querelæ de Mauritio.

Venlona frustra tentatur à Fœderatis.

SPINVLA solo æquatis circa Rhenobergam aggeribus, partes Oppidi labefactatas restituit. Cùmque stipendia Militibus persoluere conaretur; pecunia defecit ex Hispaniâ. Hinc arreptâ occasione, Militum aliquot in audaciam proiectiores, ab reliquo Exercitu secessionem fecerunt, per circumiecta loca palantes. De quo periculo præmonuerat Marchio Regios in Aulâ Hispani- *Lib. 17.* câ; ut antea dictum. Misit extemplo Spinula, qui promissâ criminis veniâ reuocarent. Sed uti semper meticulosum est scelus, *Mol.* neque ulli facilè fidit: non illi redierunt ad Castra, sed Molam commigrarunt; ibique conspirantes, Electum, cæterosque Ma- *Ham.* gistratus, pro more, nominarunt, eodemque die Hamam contenderunt. Hoc incommodo euentu, super alia plura obstacula, à nouis belli laboribus attentandis retardatus est Marchio. Exercitum autem quiete, & commodis refouere opportunius duxit. Quamobrem Antunium cum subiectâ Legione Ruræmundam, *Herclens.* & Herculanum ad hyemandum misit: Sangeorgium verò Venlonam,

Militum Catholicorum tumultus.

Spinula Copias in hiberna dim.

lonam, & Vachtendoncham. Ipse, Buquoio cum iustis Copijs Rhenobergæ relicto, cæterum Exercitum Coloniam versùs deduxit, ac per Villas circumiacentes distribuit. 1606.

AD compescendos Seditiosos, hinc Spinula Velascum immisit cum bis mille Peditibus, Equitibus septingentis, ac duabus bombardis: illinc Archidux Alphonsum de Lunâ Tribunum cum Militum manu è Præsidijs euocatâ. Grobbendonchio verò Syluæ-Ducis Præfecto Albertus idem mandauit, ut cum Præsidiarijs paratus esset eos medios intercipere, si fortè Hamâ discederent. Quo cognito Seditiosi tutius sibi putarunt Bredam transfugere. Verùm eo in itinere obuium habuere Northurium cum Syluæducensi Præsidio. Is amicis hortatibus conatus est eos ad obedientiam reuocare. Sed illi probis consilijs improbâ simulatione respondentes, dum verba dant, & spem faciunt in ordinem redeundi: repentè nemus quoddam, & paludosum occupant locum, ubi contra Northurij vires muniti, eius tam credulitatem, quàm impetum eludunt. Inde Hocstratam quingenti Equites ferè omnes, deuenerunt. Illuc festinauit Luna cum suis Copijs, & sexcentis Equitibus, duobusque tormentis à Velasco acceptis. Præire autem iussit cum Equitatu Gueuaram. At Seditiosi Bredam versùs fugam arripiunt, carpentibus extremum agmen Gueuaræ Equitibus. Decem ex illis cæsi, alij vulnerati: reliqui Terheidam, Bredanum in Pagum, se coniecerunt. Luna temerarium existimauit ulteriùs persequi in hostili ditione securos.

Seditiosi, Northurio deluso, ad Fœderatos cōfugiūt.

ORDINES Fœderati gemino emolumento alacriores, & Catholicorum Exercitu diminuto, & suo Rhenobergæ Defensoribus aucto, ut iam Peditum millia quindecim, Equitum tria recenserent: non omittendam opportunitatem rati, Grollæ festinam oppugnationem Mauritio demandarunt. Is extemplo, abrupto quem struxerat ponte, suisque munitionibus dirutis, Grollam versùs Castra mouet. Ex itinere ad Lochemium recuperandum quatuor Peditum millia, Equitesque sexcentos mittit. Qui dispositis supra collem duodecim tormentis, intra quatriduum loco non satis valido potiti sunt. Diazius Præfectus cum Catholicis Rhenobergam migrauit. Grollam ubi peruenit Mauritius, eam obsidione cinxit. Præerat ei per id temporis cum suâ Equitum turmâ, & sexcentis tantùm Peditibus Henricus Comes Vandenbergius. Cæteræ namque Copiæ Oppidi præsidiò relictæ partim peste perierant, partim Hostium metu diffugerant. Angore animi magno cruciabatur Henricus, quòd tam imparatus in tanto discrimine deprehensus foret; ingentemque inimicum Exercitum haberet in conspectu, spem verò subsidij longinquam. Virtuti

Iidem Scriptores.

Mauritius Lochemium recipit.

Grollam obsidet.

1606. tuti tamen, atque existimationi non deesse statuens, quâcumque posset viâ locum tueri contendit. Igitur in lunatis munimentis, quæ prima obiecta Hostibus erant, maximam Militum partem collocauit: tùm bombardarum, ac mosquetorum copiam exonerari iussit in Obsessores. Hi contrà in accessibus ad Oppidum promouendis, muniendoque aduersùs Hostem venturum Castrorum tergo toti erant. Henricus Vãdenbergius eam munit.

INTEREA Spinula certior, Mauritium ab Rheno digressum; Embdanum Comitem cum sexcentis Peditibus Lingam transmiserat: Buquoio, ut quadringentos Grollam mitteret, imperarat: ipse quò Mauritius arma conuerteret, sedulò circumspectabat. Postquam verò Lochemij capti, Grollæque obsessæ ad eum fama peruênit; de Lochemio quidem nulla sollicitudo, Oppido parum munito, paruique momenti, quodque nullo negotio recuperari posset: at ad Grollam retinendam, Oppidum multis nominibus sibi commodum, vehementer incitari se sentiebat. Verùm uti res erat aleæ plena, & si minùs succederet, criminationibus obnoxia; nonnisi de bellici Senatûs consilio eam aggredi voluit. Dehortabantur ab ope Grollæ ferendâ plerique, cùm dicerent: *Longè validiores numero Fœderatorum Milites esse, quàm Catholicorum. Horum partem in tumultum iam erupisse, ob stipendia non prorsus persoluta: nec procul esse, quin alij ob eamdem causam erumperent. Ei malo præ penuriâ occurri non posse. Exercitum paulatim alimentis destitui. Tempestatem anni quietem poscere Militi, non continuatos labores. Æstatem fuisse præter morem effusis imbribus bello intractabilem: quid Autumni finem futurum natura sponte nimbosum? Ad Grollam obsessam vix dari subsidio viam inter regiones quà hostiles, quà Hostibus interclusas. Inuadendos Obsessores tam validis munitionibus circumseptos. Grollam demum obsidione liberare, vel lentum esse negotium, vel desperatum.* Spinula de Grolla tuenda consultat. Quæ dissuadeant.

ALIORVM contrà sententia erat: *Rem non adeò desperatam, aut arduam videri. Non tam facilè, aut breuì potuisse Mauritium ab omni parte Castra communire. Tempus obstitisse pluuijs importunum: solum repugnasse in humili planitie aquis latè stagnantibus respersum, aggeribusque tam educendis, quàm sustinendis ineptum. Qui si circumiectis collibus imponerentur; tam propinquos Oppido fore, ut facilè tormentis inde disturbari possent. Grollam cùm plures circumcirca ducerent viæ, non omnes potuisse tam validè à Fœderatis obstrui, quin irrumpentibus Copijs aliqua earum pateret. Magis alienâ tempestate arma moueri solita, ubi par, imò minor necessitas urgeret. Militem ab recentibus victorijs alacrem, spe aduentantis stipendij sustentatum, haud ægrè ad parta tuenda perductum iri. Ad extremum tanti ponde-* Quæ suadeant.

ris id opus esse: ut nulla difficultates obijci possent, quæ superari non deberent. Grollæ namque iacturæ Oldensaliæ, Lingæque amissionem necessariò subiungi. Vtramque ab eâ protegi: cum eâ utramque in potestatem Hostis venturam. Sic Transrhenana loca omnia, quæ Catholicis tot sumptibus, ac tanto sanguine steterint; eisdem uno ferè tempore ademptum iri: cuiusque anni gloriam tot laboribus partam, repentè in nihilum abituram. 1606.

Marchio suadentibus assentitur.

HAEC momenta rationum maiorem in Marchionis animo, semper ad audendum propensiore, vim habuere: Archiducisque accessit approbatio. Igitur per Coloniensem Agrum effusum Militem in unum redegit, Rhenumque transmittere iussit ad Nouesium. Tum Ruræmundâ Velascum, Antunijque, ac Sangeorgij Legiones è Præsidijs reuocauit. Vniuerso Exercitui cogendo, recensendoque planitiem designauit Dorsthenæ adiacentem, quam Luppiæ flumen alluit. Inde Rhenobergam processit, Rhenumque traiecit tertio Nonas Nouembris. Erant in Exercitu millia Peditum septem, Equites mille, tormenta decem, carri quadringenti tam commeatu, quàm instrumento bellico onusti. Sub ingressum itineris, bombardis tribus displosis suum Obsessis aduentum significauit. In progressu verò, singulis noctibus unâ exoneratâ, magis magisque propinquum se declarabat: ut ad obsidionem fortiter sustinendam faceret animos. Et sanè non incassum. Namque tam vicino subsidio confirmatus Henricus, quamuis accessibus Hostis adeò promouisset, ut quinquaginta passibus à fossâ lunatarum munitionum distaret, & iam tormenta disponeret ad quatiendum: intrepidus ipse tamen maioribus, minoribusque bombardis, & generosis eruptionibus egregiè sese, Oppidumque tutabatur. Cum eo verò infeliciter actum, quòd quatuor centuriæ, subsidio missæ à Buquoio, in Hostium Stationes inciderunt: à quibus Milites partim trucidati, partim cum Centurionibus capti.

Nuis.

Grollam Subsidiû ducit.

E pluribus, quæ Grollam ducebant, vijs, eam elegerat Spinula, quæ breuissima: tum ut Oppido suppetias eò ferret opportuniùs, quò celeriùs, tum nè Obsessoribus sese validiùs muniendi spatium daret. Hæc iuxta Pagum erat Besselitum appellatum. Cui propior factus, à præmissis Exploratoribus comperit, ex eâ parte ita roboratum Hostem, ut neque perrumpi, neque depelli ullâ ratione posset. Cùmque viam aliam longiorem per Oppidum Vredense ingressus esset: id quòque latus probè ab Hollandis obstructum deprehendit. Quare longissimum capessere iter coactus est, quâ parte colles assurgunt. Eos insedisse Hostem cognouit, simplicibus excitatis, necdum perfectis aggeribus. Neque

1606. que enim sibi persuadere Mauritius potuerat, tam subitò Spinulam Grollæ subsidio accursurum, tot, ac tantis obuijs difficultatibus superatis. Illud etiam commodi, ex eâ parte Catholicis accedebat, quòd cùm Oldensalia esset à tergo, liberum erat Solræo cum Milite è Frisiæ Præsidijs educto cæteris Copijs adiungi. Cùm ergo sexto Idus Nouembris ad Pagum Rechumum nomine, leucæ spatio Grollâ distantem, Marchio peruenisset, ac Stationem in nemore locasset: Solræus eum conuênit cum Peditibus ferè mille, Equitibus ducentis, & aliquo commeatu. Hîc iterum habito militari Senatu de ratione pugnæ: num aggrediendus Hostis in munitionibus esset, an occursandum in campum prodeunti: quæ optima factu forent, eò prudentiùs, quòd multorum iudicio, deliberata. Postero verò mane paulò ante lucem, relictis in Statione cum iustâ custodiâ impedimentis, Copias in aciem Spinula eduxit eo consilio, ut interceptum Hostem simul ipse ab tergo, simul Henricus Grollâ erumpens à fronte inuaderet.

Subueniendi celeritas.

Spinula Hostē intercipere aggreditur.

Coglier in mezo.

Squadron volante.

Copiarum dispositio.

DISPOSITVS in hanc formam eius erat Exercitus. Primum agmen mille ac ducenti Pedites obtinebant, ex omni Natione lecti, atque ad imperium Ducis semper parati: quod vulgò Agmen volans appellatur, atque in principijs collocari solet. Duobus hi tormentis instructi, ab Antunio veterano, strenuoque Tribuno ducebantur. Proxima illis erant agmina bina pariter procedentia: Hispanorum alterum Menesio moderante: alterum Italorum, cui præerant Iustinianus, & Brancatius: ac bina cuique attributa tormenta. Postremum locum Vallones, ac Germani maiore numero tenebant, duas & ipsi bombardas ad terga sitas secum trahentes: quibus præfectus fuerat Achicurtius. His Solræi Copiæ accessere, Embdani Comitis ductu, in Oppidum, si quis pateret aditus, irrupturæ. Exercitûs uniuersi utrumque latus Equitatus tegebat, in plures turmas distributus: quarum duas, & maximas omnium, & magnis opportunitatibus reseruatas, atque ex hoc nomen habentes, hinc Bentiuolus Eques, hinc Lucas Cairus regebant. Toti verò Equitatui præerat Velascus, in eius fronte ad dexteram equitans: eiusque vicem obibat, qui gradiebatur ad læuam, Melzius. Equites ipsos utrinque stipabant carri ordine longo dispositi, ac bombardâ in medio, & Mosquetariorum alis ad latera muniti. Custoditus hac industriâ Equitatus fuit, quia cùm hostilis esset numero longè superior, periculum erat, nè ille victus dissiparetur, aut in latus inuaderetur ab Hollandis. Cogebatur etiam unà cum Peditatu pugnare, mutuòque addere vires, & accipere. Nullum sibi certum locum Marchio designauit, quò liberior in omnem, ubi opus foret, partem ac-

curs

Marchionis, ac Militum alacritas.

curreret. Hilari ergo vultu acies obequitans, alacritatem omnibus impartiebat: recentes victorias iactabat: nouas pollicebatur. Hi contrà lætis acclamationibus respondere: certâ spe implere animum Ductoris; videri non ad pugnam ire, sed ad triumphum. 1606.

Iam ad iactum bombardæ prope Castra Mauritiana Catholicus Exercitus venerat: cùm animaduertens Mauritius opinionem suam à Spinulæ tum solertiâ, tum diligentiâ delusam (venturo quippe alijs duabus vijs ut obstaret, egregiè sese instruxerat: tertiam nunquam induxerat animum initum iri) cogitare de receptu cœpit. Ad eum plura incitabant: munimenta, quà premebat Hostis, nondum perfecta: locus ad acies explicandas incommodus, quia bombardarum ictibus, quæ ab Oppido fulminabant, obnoxius: tum quòd temerarium videbatur Copias non ordinatas Exercitui tam benè disposito obiectare: tum etiam quia constitutum ei iampridem erat, nequaquam in aperto campo vires suas, quamuis maiores, periclitari. His adeò causis adductus, municiones omnes destituit, & Berchelâ amne transmisso in Stationem se recepit iam antea munitam. Promouit Spinula, & vacuas municiones occupauit. Indè cum expedito agmine, Equitibusque quadringentis aduersùs Mauritij Castra progressus est. Velascus verò ad ipsam Hostium Stationem peruenit: unde prodeunte Equitatu, leuis inter utrosque velitatio exarsit. In eâ Fœderatorum Signifer captus, alij periere. Marchio Grollam versùs regrediens, erectos circa eam aggeres deturbari iussit: ac mille Peditibus auxit Oppidi Præsidium. Tùm ad Exercitum reuersus, Militibus, ob animorum promptam alacritatem, gratias humanissimis verbis egit. Deinde certior factus, Hostem recedere, migrauit Rhenobergam. Quantum verò ex Grollâ obsidione tam subitò liberatâ ipse reportauit existimationis, & gloriæ apud omnes; gratiæ autem apud Regem, Archiducemque, quibus ea liberatio maximè cordi fuit: tantumdem Mauritius apud suos, apud Hostes opinione decreuit. Nec falsò prudentum præconio iactatum: *Rhenobergam captam, & Grollam paulò pòst conseruatam, recenseri meritò posse inter clarissima facinora per tot annos in Belgico bello patrata*. Rhenobergæ præfectus ab Archiduce fuit Antonius Auila: Grollæ à Spinulâ, Henrici Comitis postulatu, donec alius destinaretur, Paulus Franciscius. Interea Seditiosi, qui iam ad bis mille ducentos excreuerant, Terheidâ digressi, Endouiam occupauerant, munierantque. Quo cognito Archidux, de sententiâ Marchionis, conueniendum cum eis censuit. Missi qui rem tractarent; sed ab illis reiecti. Marcellus tandem de Iudici-

Mauritius obsidionem soluit.

Spinulæ gloria ex Grolla recepta.

Bentiuol. in fine lib. 7.

Seditiosi componuntur.

bus

1606. bus agendi dexteritate eosdem ad concordiam perduxit. Statio designata Diesthemij. Intrarunt Equites mille, Pedites mille ac ducenti. Lucius Dentices Obses datus.

DVM adhuc ad captam Rhenobergam consisteret Catholicorum Exercitus; contigit, ut cum turmis aliquot Cesates iuxta Meursam pabulatum iret. Propior verò factus Oppido, cum eius Gubernatore in colloquium venit. Negabat is, infestari Meursam posse, quippe neutri Partium addictam, quamuis in Comitatu esset, quem sibi Mauritius testamentario iure vendicabat. Si per Marchionem licèret, ipsum conuenire sibi esse in votis dicebat. Renunciauit hæc Cesates Spinulæ: qui paucis antè diebus ad inuadendum Oppidum Exercitûs partem transmittere statuerat. Sed Copiæ diminutæ, ac pecunia exhausta prohibuere. Facta Gubernatori conueniendi potestas. Quare sæpiùs hinc cum Spinulâ, illinc cum Mauritio tam scitè transegit, ut inter Meursenses, & Catholicos Induciæ bimestres fierent, his conditionibus adiectis. *Nè Meursæ Præsidiarij subiecta Catholicis loca ullâ ratione vexarent: nè-ve quidquam hostile aduersùs ea molirentur. Nè Catholici contrà detrimenti quid Meursensibus inferrent. Nè-ve Fœderati molestiam exhiberent ulli locorum in eo Comitatu, qui sub Archiducis potestate forent: uti Cracouum, & Rhenana munimenta.* His inducijs obuiàm iuit Spinula Hostium tentamentis: nè fortè Frisiæ partem aliquam à se occupatam inuaderent: cui ut suppetiæ ferrentur, minuendum esset Præsidium Rhenobergæ, nondum ab omni parte post oppugnationem munitæ. Grollâ reuersus cum Copijs Marchio in Agrum Coloniensem, eas in Præsidia diuersa distribuit: & rebus cæteris Velasco commissis, Bruxellas se contulit. Exceptus ibi ab Archiducibus, Aulâque uniuersâ, & Belgico Senatu eis beneuolentiæ, honorisque argumentis, quæ tot merebantur ab eo res tam breui tempore præclarè gestæ. Casertæ verò Princeps virtutis ergo aurei Velleris insigni ab Alberto, Regis Hispani iussu, donatus, in Italiam concessit. Quò pariter se retulere Prænestinus Princeps, atque Alexander de Monte à Pontifice Maximo reuocatus.

Marchionis cum Meursensibus Induciæ.

Idem Bruxellas reuertitur.

Anno 1607. SVB ingressum anni millesimi sexcentesimi septimi nouus exsiluit inter Catholicos Milites tumultus. E Frisiæ namque Præsidijs, in quibus ad tutiorem locorum custodiam frequentes erant Milites, ideoque angustè degebant, quadringenti quà Vallones, quà Germani, quò commodiùs viuerent, transfugère ad Fœderatos. Itaque Bredanum in Agrum profecti, Terheidæ se munierunt, ac suos de more Magistratus crearunt. Quasi nè illi quidem, qui legitimis imperijs refragantur, vitam agere nisi sub imperio

Nouus Militum tumultus.

Ab Archiduce punitur.

1607.

perio possint. Vbi ad Archiducem perlata res est, Edictum promulgari iussit, quo eos rebelles, atque hostes declarauit, propterea quòd ad Fœderatos, eorumque patrocinium confugerant: certam pecuniæ summam ijs promittens, qui eorum quempiam aut viuum, aut occisum tribunalibus traderet. Spinulæ verò magnopere commendauit, ut illorum augeri numerum vigilantiâ suâ prohiberet; industriâque curaret, eosdem internecione deleri. Hunc ad finem iussi Grobbendonchius Syluâ-Ducis, Melzius Herentaliâ, cum mille ferme Peditibus, Equitibusque sexcentis, è suis Præsidijs eductis, aduersùs Seditiosos prodire, eosque simul omnes per noctis tenebras aggredi ex improuiso. Successit res ex sententiâ. Inopinantes adoriuntur, occupant munimenta, opprimunt eos, ac profligant. Septuaginta cæsis, quadraginta captis, reliqui in cymbas effusi per proximum amnem Bredam se recepere, fouentibus, ac protegentibus Fœderatis. Captiui inserto in laqueum collo, exemplum, ac terror cæteris, ex arboribus pependerunt.

Metteraglia.

MEVRSENSIBVS Inducijs prorogatis, Classem Hollandi eduxere ad Hispanica maria infestanda. Eodemque tempore contraxerunt Equitum duo millia, & mille Mosquetarios equis imposuere: cunctosque Henrici Friderici ductu immiserunt ad intercipiendum Herculanum, exiguum, inualidumque Geldriæ Oppidum. Consueuerant Oppidani pecuniam quotannis contribuere Fœderatis, ut ab eorum incursionibus eximerent sese. Verùm biennio iam id omiserant, Henrici Comitis Vandenbergij iussu, qui Oppido cum suâ turmâ præsidio erat. Cuius Frater Hermannus Geldriæ Præses audito, ab Hoste Militem cogi; commonefecit extemplo Vrbes, atque Oppida tum suæ, tum Limburgensis prouinciæ, tum aliarum, quibus impendère periculum poterat, ut ab eo cauerent, seque validè communirent. Cùmque præsertim Herculano metueret Henricus, quod erat præsidio Peditum destitutum: Iustinianum per literas rogauit (præerat is Ruræmundæ Præsidiarijs, leucis quinque procul Herculano) ut duas ad se transmitteret centurias. Haud supra ducentos quinquaginta habebat is apud se, cùm ingentem Militum numerum misisset pridie Traiectum ad Mosam, qui venientes in Frisiam belli Præfectos aliquot stiparent. Neque minùs timendum erat ab Hostium impressione Ruræmundæ, cuius portæ sine versatili ponte, fossa sine aquis, mœnia sine lateribus proiectis. Compertum præterea fuerat, Hostem ad Pagum Valbecam æquè Ruræmundâ, atque Herculano distantem peruenisse. Quare nè sibi obesset, dum alteri prodesset; non plures centum viginti quinque

Herclens, Erchelens.

Henricus Vandenbergius tueri parat Herculanû in Geldria.

que

1607. que mittendos censuit: eisque Franciscum Filium præfecit. Vbi Herculanum attigere, quatuor in partes ab Henrico distributi, atque ad tres Oppidi portas, & in foro collocati; iussique locum tueri, nec nisi ipsius concessu deserere. Franciscus, qui fori custodiam elegerat, ut inde promptior accurreret, quòcunque necessitas vocaret; instrumenti bellici copiam ab Henrico petijt, cuius non satis esse dicebat suis. Penuriam ille causatus, daturum se spopondit in tempore. Neque enim improuisò se oppressum iri: quandoquidem tres emiserat Exploratorum turmas, quæ aduentum Hostium maturè nunciarent.

HENRICVS Fridericus interea memorato in Pago procuratis suorum corporibus, Herculanum versùs properè mouit. Quò ubi peruènit, ad aperiendam sibi per insidias viam, hoc astu usus est. Ad Oppidi portam è suis duos præmisit, qui sese Hermanni Comitis Nuncios simulabant, cum literis ad Henricum Fratrem. Is ibi tùm fortè aderat, auditosque Nuncios iussit portam alteram adire, quam patefactum iri pollicebatur. Adueniunt eodem tempore Rustici, afferentes, viam Hollandos insistere, horæ itinere ab Oppido remotam. Sed neutra simulatio Hosti profuit. Vigiles quippe, vicinis Copijs conspectis, ad arma conclamarunt. Ad clamorem Comes aduolauit: cunctosque suum locum seruare iussit. Hollandi Oppido imminentes, licèt ipsorum aliquot mosquetorum ictibus caderent; portam primam pyloclastro admoto perfregerunt: indè secundam, tertiam, quartam, cùm sub earum fornice tuti à tormentis essent. Vrgebat Henricus Mosquetarios, ut Hostem propulsarent; sed quia muri lateribus destituti, parum proficiebant. Franciscus Iustinianus pyloclastrorum audito fragore, quamuis ab Henrico non euocatus, cum paruâ suorum manu accurrit: Hostibus obuiàm venit, qui iam quartam portam intrauerant: semel, atque iterum eos repulit: monuitque Oppidanos, ut carris, alijsque obicibus aditum intercluderent. At illi saluti suæ potiùs consulere statuerunt, armis depositis misericordiam ab Hoste sperantes, cùm pecuniæ contributionem in posterum promitterent, ob inopiam intermissam. Hollandi ad pugnam instructi, centum præeuntibus loricâ, sclopetis, hastatisque bipennibus obarmatis, quadringentis mosquetarijs subsequentibus, impetum in Catholicos fecerunt. Hi numero paucissimi longè pluribus cedere coguntur, quindecim suorum cæsis, totidem saucijs, Francisco Iustiniano tribus acceptis vulneribus ad terram afflicto. Itaque Oppido potitus Hostis vitam ijs condonauit, qui commissum locum tenuerant: & Comiti Henrico, qui cum paucis in Templum se receperat.

Henricus Fridericus id intercipere aggreditur.

Fœderati Herculanum capiunt.

MORATVS ibidem Henricus Fridericus eâ die, ac nocte subsequutâ: Milite Oppidum depopulante, muliebrem, ac virginalem pudicitiam violante, profana, ac sancta nullo discrimine diripiente. Sacris calicibus impij mutuò sibi propinarunt: & quod memoratu horrificum est, sacrosanctum Eucharisticum panem pedibus conculcare non reformidarunt. Ignem quòque domibus iniecere: earumque viginti concrematis, Oppidum vniuersum incendio consumpsissent, nisi ut hoc extingui posset ab Oppidanis, Sorores Henrici Comitis à Principe precibus impetrassent. Migrauit is Nouiomagum cum onustis ingenti prædâ Militibus; Oppidumque, quia tueri non poterat, destituit. Iustiniani quos ceperat, dimisit; Comite, ac tribus Signiferis, redemptionis pretium pro cæteris etiam pollicentibus, secum abductis. Tot flagitia, ac sacrilegia ab Hollandico Milite perpetrata, est qui tribuat iuuentuti Ductoris: sed veriùs, aptiùsque Magistræ talium operum Hæresi tribuisset. 1607.

Militum in direptione impietas.

Thuanus l. 138.

INTEREA Seditiosi, qui Bredanum in Agrum transfugerant, à Fœderatis in Betauiam mari traducti, prope Schenchianam Arcem se munimentis obuallarunt. Vbi cùm aliquandiu mansissent; ob armorum cessationem subsequutam, armis à Fœderatis exuti, quibus ab eisdem instructi fuerant, iussi sunt extra fines migrare, ni vellent occidione deleri. Quamobrem alij aliò dilapsi. Qui verò Diesthemij morabantur, specie pabulandi multas auertebant prædas, multam perniciem inferebant, non finitimis modò Populis, sed remotioribus quòque, neutrique Partium obnoxijs. Leodicensem præsertim Agrum infestarunt: imò sub ipsa Vrbis mœnia confidenter progressi, ad eliciendam inde pecuniam, grauiora Ciuibus damna intentarunt. Iamque Suburbijs ignem aggrediebantur inijcere: cùm erumpentes Vrbe Leodicenses eosdem inuaserunt, propulsarunt, plerosque interfecerunt. Non idcirco tamen eorum compressa licentia. Quin magis indies contra ipsum Archiducem, & Marchionem insolenter insurgere: stipendia procaciter postulare: minari se alios plurimos sibi aggregaturos. Dentices Internuncius ultro, citroque discurrere: ad Albertum, ad Spinulam frequens adire, ut viam aliquam rebus componendis indagaret: sed nullam inuenire. Pollicitus tandem est Archidux, intra tres menses, hoc est Octobri dimidio eis persolutum iri stipendia. Ad tantam pecuniæ summam cogendam, quanta debebatur, nempe quadringentorum millium aureorum, desudandum admodum fuit Marchionis industriæ. Verùm assiduitate eius, ac diligentiâ, quâ Negotiatoribus in antecessum soluentibus, quâ mutuò acceptâ pecuniâ, effectum est,

Seditiosorum noua flagitia.

1607. est, ut dicto tempore stipendia Seditiosis Militibus numerarentur. Hi verò discerpto, quo usi fuerant in secessione, vexillo, sub varijs fuere signis per Exercitum diuisi.

AT Archidux non omnes implere se partes prudentiæ censuit, præteritis, aut præsentibus malis medendo: nisi etiam futuris occurreret. Animo quippe obuersabatur, quàm frequens ea tumultuum pestis glisceret in Exercitu, quàmque latè contagio serperet, vix ullâ Natione labis eius experte. Quot præterea, & quàm grauia damna semper inueheret ærario regio, quod eis sedandis exhauriebatur: susceptis expeditionibus, quibus in summâ necessitate deficiebat Miles: finitimis Populis vexatis, Oppidis direptis, regionibus deuastatis. Hæc & experimentis ipse compererat, & cum alijs pluribus fuerant à Spinulâ commemorata. Quamobrem eodem suasore, nouum Edictum vulgari iussit: quo mandabat, *Ut quicumque Diesthemij fuerant Seditiosi, intra horas viginti quatuor ditione suâ Belgicâ demigrarent; nè-ve in eam referre pedem auderent, ausum capite luituri.* Cunctis etiam, qui parebant Archiduci, edicebatur, *Ut euoluto tempore discessui præfinito, in eorum quemque intra fines obuium, tanquam in Hostem agerent, certâ mercede propositâ eosdem iudicio sistentibus. Hispaniarum quòque Regis omni ditione interdicebatur. Eam namque Regis ipsius mentem esse.* Hoc Edicto non aliter, quàm decretoriâ mortis sententiâ pronunciatâ, miserando cunctis fuere spectaculo, quicumque antea vel terrorem primo tumultu incusserant, vel odium meruerant publicum peruicaciâ. Humani quippe ingenij est in magnis calamitatibus vel meritò positos miserari.

Archiducis Edictũ contra Seditiosos.

AD vocem horrendi Edicti hæsere principio Seditiosi, inopinato nuncio, ac dolore defixi. Tùm lacrymis ubertim effusis deplorare supremam perniciem suam; eòque vehementiùs, quòd eam ipsi sibi suâ peruersitate creauerant. *Lamentari iacturam uno tempore factam ætatis in Belgico bello contritæ; tot laborum pro Rege, atque Archiduce toleratorum; existimationis tam frequentibus vitæ periculis partæ. Toto sibi ferè terrarum Orbe Catholico intercluso, vix ullum patère perfugium, nisi ad Hostes & Regis, & Archiducis, & communis religionis, & paulò antè etiam suos. Quam verò se inuenturos fidem apud eos, qui auitam, & sanam fidem abnegassent! aut quam securitatem apud sui Principis rebelles!* Quòd si quem habuissent obuium amicum, propinquum, commilitonem; non eum contrà intueri, sed defixis in terram oculis verecundè, ac flebiliter salutare. Tam subitò calamitas inclinauerat animos illos, adeò pridem contra suos Principes erectos, ac refractarios. Nonnulli, qui Edicto intra spatium temporis præstitutum minimè paruerunt;

Eorundem miseria.

capti ſtatim, & ad laqueum damnati. Alij cùm ad Populos Partium immunes confugiſſent, quos priùs excurſionibus, ac deprædationibus vexauerant, eâdem ab eis morte multati. Hæc extrema remedia tam crebris, tamque pernicioſis tumultibus admota, adeò fuere Catholicis armis ſalutaria: ut nullus eorum in poſterum erupiſſe tradatur, quamuis non ſemel Exercitus, uti varias ob cauſas contingit, penuriâ laborarit. 1607.

Arx Lingana incenſa.

SVPREMVM hoc anno exitium paſſa eſt Arx Lingana. Excitatum namque fortuitò in eâ incendium ſerpendo deuènit ad receptaculum pulueris tormentarij. Quo ſuccenſo, impetus flammæ uſquequaque erumpentis ædificium omne diſiecit, atque Arcem funditùs dirutam æquauit ſolo. Maius Linga periculum incurriſſet: nè videlicet in eâ trepidatione interciperetur ab Hoſte vicino. Sed armorum ceſſatio, tractatioque Induciarum id temporis inſtitutæ, ut alia pleraque, ita hoc etiam damnum ingens auertère.



DE

DE
BELLO BELGICO
LIBRI VIGESIMI
SVMMA.

INstituitur tractatio Pacis, vel Induciarum inter Catholicos, & Fœderatos. Quæ super his mandasset Rex Hispaniæ Spinulæ Marchioni. A quibus inita tractatio. Eorum oratio ad Fœderatos. Archiducum literæ ad Ordines. Horum responsum. Illorum benignitas. Ioannes Neyus Franciscanus, præcipuus tractationis Administer laudatur. Eius profectio ad Ordines Fœderatorum. Colloquium cum Mauritio, & Barneueltio. Difficultates tractationis. In Ordinum conuentu profert Neyus Archiducum Chirographum. Ordinum de illo sensus. Neyus Bruxellas reuersus aliud inde Chirographum ad Ordines refert. His suspecta varietas. Fœderatorum scriptum, in quo Regis Hispani consensus exigitur ad tractationem. Neyus Hollandiâ digressus, & clam reuersus orationem habet in Ordinum conuentu. Horum responsio. Cessatio armorum sancitur cum plausu. Rex Galliæ Legatos mittit ad Fœderatos. Eorum oratio ad Ordines. Ordinum responsum. Horum, & Angliæ Regis mutuæ legationes. Spinulæ ad Regem Hispanum literæ. Regis responsio. De armorum cessatione querelæ in Hispaniâ. Spinulæ indignatio, & per literas querimoniæ, præsertim de Ibarrâ misso in Belgium. Tres

ad

ad Marchionem Epiſtolæ regiæ. Neyus à Spinulá mittitur ad Aulam Hiſpanicam. Regis in eum benignitas. Verreychius fert ad Ordines regiam confirmationem. Quæ in eá non placerent. Hiſpani Regis clementia. Eius, & Marchionis mutuæ literæ. Alia confirmatio ab Rege mittitur. Neyus, & Verreychius orant in Ordinum conuentu. Neque ſecunda confirmatio placet. Quinam præcipuè Paci aduerſarentur. Queritur Rodulphus Cæſar, ſe non conſcium tractationis. Fœderatorum excuſatio. Multi Principes Legatos mittunt in Belgium. Galliæ, & Angliæ Regum de Pace ſenſa. Delegati Prouinciarum conueniunt. Tractationem decernunt de Pace, vel Inducijs. Delegati Catholicorum eliguntur: quorum primus Spinula, ſed inuitus. Ioannis Manſicidorij laus. In Hollandiá humaniter, atque honorificè excipiuntur. Spinulæ, ac Mauritij congreſſus notabilis. Delegati Fœderatorum. Manſicidorij, & Spinulæ infortunia. Quid actum in primis congreſſibus Delegatorum. Mutuæ Catholicorum, ac Fœderatorum querelæ. De Indicá nauigatione Mercatorum ſuaſio. Rurſus ad Regem mittitur Neyus. Multa capita tractanda à Fœderatis propoſita: à Catholicis pauca. Neyi cum Rege colloquium. Eius moræ in Hiſpaniá cauſæ. Petrus Toletanus in Galliam legatus. Caput de libertate religionis in tractatione laborat. Nouum fœdus Galliæ, & Angliæ Regum cum Fœderatis. Hiſpani Regis literæ ad Archiducem. Quid egerit in Galliá Toletanus. Longæ Induciæ Paci præferuntur. Earum tractatio ſuſcipitur ab Oratoribus Regum.

gum. Ab Ianino prȩſertim oratione perſuadetur Fœderatis. Mox etiam Delegatis Archiducum: Denique duodecim annorum Induciȩ cum certis conditionibus ſanciuntur, Europâ plaudente.



DE BELLO BELGICO LIBER VIGESIMVS.

Paris, aut Induciarum tractatio instituta.



T post bellicos tot annorum labores, ad Induciarum pacata negotia, tanquam ad quietum aliquem, amœnumque recessum, in extremo huius Historiæ Libro veniamus: pretium operæ me facturum existimo, si rem totam fusè, ac diligenter exponam. Namque & tam laboriosi curriculi, belli nimirum annos quadraginta prætergressi, meta opportuna fuit duodecim annorum quies; & huic meritò præiuit biennij præparatio, quo tum arma cessarunt, tum frequentes instituti sunt Partis utriusque congressus, in quibus de re tanti momenti à prudentissimis Viris accuratissimè disceptatum. Imò in hanc tractationem non ij tantum incubuere, quorum præsertim intererat, eorum-ve lectissimi Delegati; sed maximorum etiam Regum, ac Principum conuenere Oratores: quasi non de unius Belgij, sed de totius Europæ tranquillitate ageretur. Tot quòque superandæ obuenere difficultates, ut miraculo propè fuerit, rem tam arduam potuisse ad optatum finem perduci. Verùm eorum, qui rem tractarunt, tanta fuit in agendo dexteritas, in consilijs solertia, ubique prudentia, constantia, patientia; ut quem propositum habebant, scopum tandem attigerint. Europa videbatur uniuersa harum Induciarum expectatione suspensa: neque sermonum, aut euntium ultro, citroque literarum frequentior, uberiorque materies. Hinc etiam factum, ut eis vix constitutis, non illi modò, qui Belgicum bellum, aut alias eius temporis res gestas posteritati mandabant, hanc, ut memoratu dignam in primis, tractationem suis inseruerint monumentis: sed singulares plerique libellos de Belgicis Inducijs euulgarint. Horum ego ita sequar vestigia, ut magis tamen eis literis, & scriptis insistam, quæ à præcipuis tractationis huius Auctoribus, atque Administris identidem transmissa, meas ad manus venerunt.

1607.

Eius Scriptores.

Card. Bentiuolus, Ioan. Meursius, Dominicus Baudius.

Regis Hispani data Marchioni mandata.

IGITVR quò rem ingrediar, cùm postremùm ex Hispaniâ Spinula discessit; in regijs mandatis non ultimum illud habuit, ut Belgicum inter Bellum administrandum, si qua tractandæ Pacis,

Iustin. lib. 6. Carnerus l. 16. c. 15. 16. Thuanus l. 138.

1607.
Gaspar Ens lib. 28. Haræus anno 1606. & sequent. Grotius lib. 15. 16. 17. Bentiuolus lib. 8. Botereius l. 16. Beyerlinch anno 1607. 1608. Miræus eisdem ann. Bulengerus lib. 12. Lanar. eisd. ann.

cis, aut prolixiorum Induciarum oboriretur occasio, eam libens amplecteretur: ac pro suâ diligentia rem conficiendam curaret. Quod verò aliàs, & non semel ab Archiduce Alberto, quod ab alijs Belgij Gubernatoribus, ab Regibus, ab ipso Cæsare tentatum cum Fœderatis, sed frustra, fuit: id tandem exequi, & quidem feliciter Spinulæ Marchioni datum est. Tempus quippe ceptauerat ad tractandum valdè opportunum: cùm bello superior, ac tot recentibus victorijs Hosti formidandus; non indecorum sibi ducebat offerre Inducias, qui recusare oblatas potuisset. Siquidem speciosa victori Pax ea est, quæ victis necessaria. Neque verendum, ab Hoste reiectum iri, ceu toties antea; quando vires eius attritæ, Copiæ diminutæ, pecunia in dies deficiens, & arma iam iam ceruicibus imminentia validè persuadebant, ut commodam pacem tam pernicioso bello præhaberet. Re itaque cum Archiduce diu, multùmque perpensâ; ad explorandum, quæ foret id temporis mens Fœderatorum, ire in Hollandiam iusserunt Valrauium Vittenhorstium, Horstij, & Chessseliensis in Geldriâ ditionis Dominum. Is ex Hungariâ paulò antè reuersus, ubi Equitibus mille, Præfecti locum tenens, præfuerat; Hagam Comitis profectus est, specie Consanguinei sui cuiusdam inuisendi. Ibi de re demandatâ verba clam iaciendo, deprehendit, non adeò tùm alienos à tractatione concordiæ Fœderatorum animos, uti anteacto tempore fuerant. Pœnâ quippe indictâ vetuerant ullum de pace, vel inducijs sermonem seri. Hæc ubi lux affulsit non desperato negotio; ad id Archiduci, ac Spinulæ commonstrandum, Bruxellas redijt Vittenhorstius. Nec longo tempore interiecto, anno scilicet superiori exeunte, remissus idem est Hagam, ad ampliorem aditum tractationi aperiendum: eidemque comes additus Ioannes Geuartius, Iurisprudentiæ admodum peritus, qui magis ex arte posset datam sibi Prouinciam administrare. Hi primarios Viros, ac magnæ auctoritatis conuenientes, disertioribus verbis Pacem proposuere: atque Archiducum præsertim propensionem in eam, & studiosam boni publici mentem in hanc ferè sententiam declararunt.

Ex literis Marchionis ad Ville-Longæ Comitem, 8. Ian. 1607.

Primi tractationis Administri in Hollādiam missi; Vittenhorstius, & Geuartius.

Quòd elapsis retrò annis, quæ sua erant, armis repetenda curauerint; id suo iure fecisse, inficiari neminem posse. Iam verò communes calamitates miseratos, & Belgium non modò dissectum, & laceratum, sed ad extremum exitium penè redactum, non sine lacrymis prospectantes, luctuosissimo bello, tantorum causa malorum, finem, aut modum aliquem exoptare. Pacem, vel Inducias primos offerre, quas vix oblatas accepturi videbantur. Nullas eos aequas, atque honestas conditiones recusaturos: neque quidquam postulaturos, quod Fœderati abnue-

Eorum concio ad Fœderatos.

re meritò possent. Si tam diuturno bello fessi, tot laborum, ac sumptuum pertæsi, tot cladibus, & damnis attriti, perpetuam Pacem, aut multorum annorum Inducias ad quiescendum, & respirandum expeterent; integrum eis esse, locum, ac tempus designare, quibus utriusque Partis Delegati conuenirent, ad rem tanti momenti bono publico discutiendam. Quòd si iustis de causis non palàm omnibus eam habendam tractationem censerent, sed in arcano cum paucis: id quòque per Archiduces probatum iri: eisque nihil antiquius, quàm cum Belgis belgicè, hoc est ingenuè, sincerèque transigere. 1607.

Non ingrata prorsus hæc fuit Archiducum animi declaratio Primatibus illis Fœderatorum. Quia tamen verba præteruolant, scripta diutiùs manent: ad tantum negotium tutiùs promouendum, eamdem Archiducum voluntatem scriptis expressam Hollandi postularunt. Cùm verò nullum eiusmodi Chirographum promptum esset, ad id exposcendum reuersus est Bruxellas Geuartius. Neque post multos dies Hagam se retulit cum literis, quæ mentem Archiducum disertè, ac publicè testabantur. Has ut palàm proponerent, datus est eis paulò pòst Ordinum solemnis conuentus.

Archiducum literæ ad Ordines Fœderatorum.

In eo præfati multa de clementi Archiducum ingenio, semperque propenso ad quietem, & communem Belgij tranquillitatem animo: multis quòque interiectis de belli calamitatibus, quas à tot annis perpetuò tolerarent, deque Pacis commodis, atque emolumentis; ex allato Chirographo iterum asseuerarunt: *Quamquam iustissimæ causæ, ad res suas repetendas, bellum Alberto, atque Isabellæ suaderent; malle ipsos tamen publicæ Belgarum utilitati multum de suo iure concedere, quàm spe recuperandi quod amiserant, arma prosequi, utrique Partium adeò luctuosa. Induerent ipsi quòque Fœderati tam mitem animum: amplecterentur, quæ ultro ijs occurrebat, quietem, ac felicitatem: prospicerent Coniugibus, ac Natis suis, eam Pacem tamdiu suspirantibus: redderent demum Belgio Belgium, hactenus ab sese miserè distractum, & Patriam illam industria, literarum, Artium, in pristinum florem, & gloriam reuocarent. Eligerent verò ipsi utrum mallent: aut Pacem perpetuam, quâ sibi, rebusque suis in ætatem omnem consulerent: aut certè plurium annorum Inducias, quarum beneficio, labefactata Urbes, atque Oppida reficerentur, agri desolati redirent ad pristinum cultum, vastata regiones in integrum restituerentur. Conditiones demum quas vellent, peterent: nihil Archiduces, nisi quod æquo, honesto-ve repugnaret, denegaturos.*

His tam liberaliter, benignèque propositis, gauisi quidem in sinu Fœderati: verùm ius illud Archiducum in suas Prouincias obtrusum, atque inculcatum pupugit non leuiter animos. Vt tamen

1607. men cautum, sibique commodum ad eosdem darent in re tantâ responsum, dies aliquot ad consultandum inter se sumpserunt. Quibus elapsis, duobus Archiducum Internuncijs, rursus ad suum concilium euocatis, in hæc ferme verba responderunt. *Paruam, aut nullam spem ineundæ Pacis, aut etiam Induciarum affulgere: dum Archiduces quidquam sibi iuris in Fœderatas Prouincias vendicarent. Iam ante annos quinque supra viginti eas sese, iugo quouis excusso, in libertatem decreto promulgato asseruisse. Pro eâdem libertate tuendâ tot annos atrocissimum bellum tolerasse, tot subijsse calamitates, tantum pecuniarum, tantum sanguinis profudisse. Eamdem assensu Principum Europæ ferè omnium confirmatam: qui eum Fœderatis Belgis egerint semper, tanquam cum liberis Populis, & nullius Mortalis imperio subiectis. Eiusdem in omne futurum tempus prorogandæ causâ, non sumptibus, non laboribus, non periculis ipsius vitæ parcere se firmissimè statuisse. Quare ad ea, quæ Archiducum nomine proposita essent, nullum aliud à Fœderatorum Ordinibus responsum dari, quàm quod Maiestatis Cæsareæ, multorumque Principum Legatis redditum antea fuisset: eum ijs, qui nullo venalem pretio libertatem adimere quoquo modo sibi tentarent; ullam Pacis, vel Induciarum instituere tractationem nec velle se, nec debere, nec posse.* Horum responsio.

CVM hâc adeò grandiloquâ responsione Fœderatorum ad Austriacum Principem, Hispanique Regis Sororem, reuertêre Bruxellas Vittenhorstius, & Geuartius. Ea tamen fuit mitissimorum Principum clementia, ea tranquillitatis, bonique publici cupiditas: ut non parum de maiestate, nedum de suo iure remittentes, scribere Vittenhorstium iusserint ad Fœderatos. *Non esse mentem Archiducum eâ, quam obtulerant, tractatione quidquam de ipsorum iure detractum ire, non decreta rescindere, non libertatem ullâ ex parte violare: sed solum commune bonum ob oculos habentes, Pacem, aut Inducias proponere. Si ad eas Fœderati propenderent, Archiduces quòque libentissimis animis incubituros.* Hâc facilitate Principum in rem præsentem valde opportunâ, mitiora quòque visa sunt reddi pectora Fœderatorum: ac mollior tractationi aditus patefactus. Ad eam neminem omnium aptiorem religioso quodam Viro, Franciscanæ Familiæ generali, ut appellant, Commissario apud Belgas, Albertus, & Spinula censuere. Quippe ut arma militares animos: ita Pacis tractatio Deo sacros homines decet: quique sequestres plerunque sunt inter Mortales, ac Diuinum Numen iratum; interpretes quòque agere debent reconciliationis humanæ. Archiducum lenitas in Fœderatos.

MORABATVR eâ tempestate Bruxellis Ioannes Neyus, Antuerpiensis patriâ, Martini Arausionis Principi Guillelmo familiaris Ioannis Neyi Franciscani descriptio, & laus.

liaris Filius: ideoque puer ipse cum puero Mauritio Guillelmi Filio sæpè versatus. Post vigesimum ætatis annum à Sectarijs ad Catholicos se recepit: ac paulò pòst Diui Francisci Ordinem, cui ab Obseruantiâ nomen, amplexus est. In eo per varios gradus tum sapientia, tum virtute progressus, ad munus tandem generalis per Belgium Commissarij ascendit. Diutius in Hispaniâ fuerat, ibique grauioribus literarum studijs operam dederat: quo tempore magnam regalis Aulæ notitiam hauserat. Quinetiam anno proximè superiore eamdem frequentauerat Aulam: unde regressus in Belgium, à Villæ-Longæ Comite literas in sui commendationem ad Marchionem tulerat. Vir erat eximiæ, Belgicâ præsertim linguâ, facundiæ: ad Nationis illius ingenium unicè factus; suauitate morum in consuetudine gratissimus: politicarum rerum peritus, quantùm ad rem, quæ agebatur, satis esset. Addunt alij persuadendi vim efficacem, atque flexanimam, variarum scientiam linguarum, aulicarum artium cognitionem; ac naturam demum in omnem partem ita versatilem, ut varios induere nosset vultus, prout res, ac necessitas postularet. Non ideo tamen à natiuo Belgarum candore, animique sinceritate recedebat: Cælesti magisterio probè doctus in unum iungere prudentiam Serpentis exuuias identidem commutantis, atque ingenuam Columbæ simplicitatem. Is igitur & quia tractandis Fœderatorum animis accommodatus: & quia Nationis eiusdem, & eorum plerisque vel amicitiâ, vel sanguinis propinquitate coniunctus, & Mauritio præsertim ab ineunte ætate familiaris; aptissimus omnium Archiduci, & Marchioni visus est, ut ad Pacis negotium instituendum in Hollandiam mitteretur. Quid verò aliquandiu ibidem egerit, non aliunde veriùs, sinceriùsque deriuare me posse existimaui; quàm ex eiusdem Neyi commentario in scriptis relicto, atque Archiducibus tùm oblato; ut quidquid ab se actum fuerat, perspectum haberent. Narrationem quippe rerum nemo pleniùs exequetur, quàm qui eas gessit; nemo veraciùs, quàm qui integritatem vitæ profitetur.

1607.

Bandius lib. 1. de Induc.

Bentiuolus.

Ex lit. Marchion. ad Regem, 18. April.

Baudius. Thuanus.

Hic tractationi præficitur.

Eiusdem de ea commentarius.

Igitur Hollandiam intrandi facultate à Fœderatis acceptâ, religiosisque vestibus in profanas commutatis, cum Hollando Mercatore Varnartio Cruello Bruxellis discessit quarto Calendas Martias anni millesimi sexcentesimi septimi, & sexto Nonas Risuicum peruenit: qui Pagus est Hagâ Comitis leucæ dimidio distans. Hìc iussus erat à Mauritio, & Ioanne Barneueltio Hollandiæ Patrono subsistere, donec ei fieret progrediendi potestas. Eius namque ingressum occultum esse voluerant, antequam de institutâ tractatione ad Fœderatas Prouincias retulissent. Ex eo

Ex eisdem literis Marchionis.

Pago

1607. Pago literas Neyus dedit ad Cornelium Arsenium Fœderatorum Ordinum Actuarium (vulgò Graphiarium vocant) quibus significabat aduentum suum; utque de eo Mauritium, ac Barneueltium certiores faceret, rogabat. Morem ille gessit: atque ab eis respondit: ipsum sub noctem Hagam rhedâ deuectum iri. Ergo nocturno tempore Hagâ transmissam rhedam ingressus, eò contendit. Accidit in itinere, ut per obscurum Equites duos conspicaretur rhedam utrinque stipantes, sclopetis, alijsque armis instructos. Atque ut in hostili regione, per noctem, ac penè solus erat; facilè Neyum formido vehemens incessit, nè in homines incidisset malæ mentis, ac fidei, à quibus rebus omnibus, ac præsertim literis, quas ferebat ab Archiduce; ad eius indaganda consilia, spoliaretur. Sed exitus deinde contrarium patefecit. Ad eius nempe custodiam, ac tutelam immissos à Mauritio: nè quisquam ei negotium facesseret in itinere. Hagam perductus, iussu Comitis ab Arsenio exceptus hospitio. Inde paulò pòst per certum hominem clam quòque deductus in Palatium. Iusserat verò Mauritius, ab aulis, cæterisque partibus ædium, per quas ingrediendum erat, Aulicorum turbam omnem secedere. Tùm ad interiora domûs manu ignoti hominis ductus, Arsenio tacitè fores aperiente, Mauritium, ac Barneueltium confidentes offendit. Assurrexere statim in occursum venientis; hilarique vultu consuetis eum honoris, ac beneuolentiæ argumentis exceperunt. Ac prior Mauritius: *Nam quî ausus es (inquit) Hagam intrare, solo Gheusij verbo confisus?* Eo quippe vocabulo, mendicum significante, Catholici per contemptum Fœderatos iam inde ab initijs Belgicorum tumultuum appellarant, ipsique sibi per iocum id asseruerant. Tùm Neyus & ipse arridens: *Quis verò* (respondit) *non confideret verbis tam excelsi, tam spectabilis Gheusij, qualis tu es, Princeps Excellentissime?* His verbis, alijsque officij causâ prolatis; ubi ad rem ventum est, eadem, quæ non semel antea fuerant Archiducum nomine propósita; scriptis consignata, eorumque signo obfirmata tradidit perlegenda; subiecitque: *In eis elucere ipsorum animos verè regios, qui nullius utilitatis habitâ ratione, sed solâ contemplatione lacrymarum, quæ à tot millibus hominum effunderentur, tam diuturno, & calamitoso bello ad extrema miseriarum redactis; quamuis tam excelsi Principes essent, neque consulerent admodum existimationi suæ, neque ea præcauerent, quæ de nimiâ ipsorum indulgentiâ oblocuturi essent Europæ Reges, ac Principes uniuersi. Quæ verò est ista, quam prædicas, indulgentia?* Mauritius subdidit. Cui Neyus. *Parum-nè vobis videtur de eo iure cedere in istas Prouincias, quod à Maioribus traditum per manus, tam facilè elabi è manibus patiuntur:*

Neyi suspicio vana.

Deducitur ad Mauritium.

Cum eo, & Barneueltio colloquitur.

Fam. Strada Decad. 1. l. 5. de Bell. Belgico.

tiuntur: eosque liberos Populos declarare, in quos ut sibi debitos, ac iugum detrectantes, arma tot annos mouerunt? Non ipsi (respondit Mauritius) sed nostra manus hanc nobis peperere libertatem. Nostris ararijs toties exhaustis ea redempta: nostri sanguinis pretio, totque millibus animarum profusis, heu quàm carè nobis stetit! Christiani Reges, ac Principes uniuersi, prater unum Hispanum, eique adiunctos Archiduces, hoc est præter Hostes, hanc nobis palàm assentiuntur libertatem. Neque id in tractatione poscimus, ut eâ donemur ab Archiducibus: sed ut, quales sumus, liberi ab eisdem habeamur. Quod si tales habere nolunt; subijciant, si possint, imperio suo. Nos enim, uti fecimus usque adhuc, acrius pro libertate, quàm pro vitâ pugnabimus. His dictis, fessum non magis ab itinere, quàm à contentione plura dicendi Neyum ad quietem dimiserunt: Arcisque Palatio coniunctæ Præfecto eum magnopere commendarunt; ut in suis exceptum ædibus non minùs lautè, atque honorificè, quàm ipsos sese, tractaret. 1607.

Difficultates initio tractationis.

DIES aliquot Neyus cum Mauritio, Barneueltio, Arsenioque, hi verò cum alijs primoribus Viris, sibique fidissimis rem egerunt. Fœderati se nimiæ facilitatis accusabant, quòd copiam conueniendi, & colloquendi Hostium Internuncio fecissent: negotiumque adeò desperatum ducebant, ut somnio simile dicerent. Neyus etiam quemdam veluti labyrinthum ingressus sibi videbatur, unde cum felici successu referre vestigium ægrè speraret. Quippe cum genere hominum rem esse videbat admodum suspicioso, & sibi semper ab insidijs, ac fraudibus metuente: quodque ita liberè, & confidenter pronunciaret, ac si non modò sub nullius esset iure, sed neque ullius ope indigeret. Quare multum Neyo adhibendum artis, atque industriæ fuit, ut hinc nullum paterentur detrimentum Principum suorum rationes: illinc Fœderatorum animos, in omnem occasionem imminentes, ab se, atque à tractatione minimè redderet alienos. Tandem ad maximum Ordinum Conuentum (quem Generalem appellant) eâ de re visum est referre. Ex eo ad Neyum Internuncius missus Arsenius, qui Chirographum postularet demandatæ ipsi de Inducijs agendi potestatis: ut Archiducum subscriptio, & signum in Conuentu recognoscerentur. Negauit id Neyus tradere, ex Archiducis interdicto. Quod ubi Ordinibus renunciatum fuit; postularunt ut ipsemet id in Concilium deferret. Detulit Neyus, exceptùsque in eo valdè honorificè fuit, assurgentibus cunctis, atque in sede è regione Senatûs Principis collocatus. Barneueltius paucis, cur eum accersissent, exposuit. Tùm Neyus: *Quod mittere Chirographum recusasset, Archiducis interdicto, non sibi ut inurbano, tribuendum. Albertum verò interdixisse, quòd existimaret, cum*

In Ordinum Conuentum Neyus admittitur.

1607. *cum tribus tantùm Viris, non cum Ordinum Conuentu agendum.* Oblatum à Neyo Chirographum sibi per manus tradidere Senatores: inspectisque singillatim subscriptione, ac signo, reddidere. Tùm à Barneueltio rogatus, *Ecquid haberet, quod palàm omnibus eloqueretur: Nihil se habere*, respondit, *nisi persanctè testari Archiducum in Belgicos Ordines apprimè ingenuam, ac sinceram mentem, & commune bonum unicè spectantem.* Quo dicto dimissus est.

Archiducum Chirographū tradit.

POST unum, atque alterum diem Barneueltius, Arseniusque cum alijs tribus Neyum conuenere, atque ab Ordinum Senatu hæc retulere. *Perspectum ab se, ac diligenter expensum Archiducis Chirographum. Plurima in eo notata, quorum causâ illud probari nullo modo posset. Tractationem omnem Induciarum, aut Pacis ad nihilum redituram, nisi aliud melioribus instructum conditionibus Bruxellis mitteretur. Eius, quod exigerent, formam quamdam omnium sententiâ comprobatam, scriptisque mandatam, se ad ipsum transmittere, ad Archiduces deferendam.* Quam ubi Neyus accepit, rogatus fuit: *An ea tractatio Hispani Regis consensu fuisset instituta? Negauit Neyus hac de re quidquam sibi ab Archiduce pronunciatum. Credibile tamen id esse: quando Fœderatis liberum in Hispaniâ commercium Albertus pollicebatur.* His transactis, abeundi ex Hollandiâ veniam ab Ordinibus impetrauit; simulque redeundi facultatem, si tamen quod ferebat Chirographum Archiduces ab omni parte confirmarent.

Ordinum de illo sensus.

BRVXELLAS reuersus Neyus de cunctis, quæ cum Fœderatis egerat, certiores fecit Archiduces. Nec diu moratus, Hollandiam repetijt cum tribus aliquantùm inter se diuersis Chirographis, eoque Alberti præscripto: ut primo loco primum offerret. Quod si minùs placeret Fœderatis, alterum exhiberet: sin & hoc reijceretur, tertium proderet. Postquam Neyus Hagam peruènit, in Conuentum Ordinum deductus, primum obtulit Chirographum. Quod simul perlectum, & reiectum est. Tùm Neyus secundum produxit in medium. Idque pari consensu repudiatum. Quâ geminâ non tam suâ, quàm Archiducum repulsâ velut offensus ille, veniam discedendi petijt, subiecitque in discessu. *Quæ tam benignè scripta fuerant, attentiùs consideranda se relinquere.* Illi tantò vehementiùs, quantò veriùs indignati; *Conuentum dissoluendum, & quàm primùm in suam cuique Prouinciam redeundum* pronunciarunt: *ipsique Neyo discessionem in diem posterum indicendam. Quid enim* (exclamabant) *apparere sinceritatis in eâ dissimilium Chirographorum scriptione? Cur non in primo mentem suam omnem Archiduces aperuissent? An non id esse paulatim escam insinuare, quâ belluarum instar ingenui Belgæ caperentur? At non ita ab sese cum Archi-*

Neyus Bruxellas reuersus, repetit Hollandiam.

De variis Chirographis Ordines stomachantur.

chiducibus actum. Quacumque vellent, omnia primâ fronte, primo, ac postremo futuro scripto candidè se, sincereque postulasse. Qui viam aliam insisterent, in tractationem secum nunquam venturos. 1607.

Haec sub noctem, & clandestinò ut accepit Neyus, rem omnem euersam, ac pessumdatam ægerrimè ferens; aliquod in supremà desperatione remedium adhibere conatus, primo manè libellum supplicem porrigendum Ordinibus curauit, quo dicendi copiam in Conuentu flagitabat. Remiserunt illi ad eum Barneueltium, Arseniumque acriter querentes de Archiducum agendi ratione parum sincerâ. Cùmque ipse multa contrà de sincerissimâ eorum mente prolocutus fuisset: magnopere ad extremum rogauit, uti spatium daretur ad Albertum scribendi, aliudque ab eo Chirographum expectandi, Ordinum voluntari prorsus facturum satis. Quamquam enim tertium adhuc supererat, quod proferret: quia tamen recenti experimento cognouerat, quantum indignationis, & stomachi ex prolato post primum secundo Ordines concepissent, nè multò plus furoris, ac tragœdiarum excitaretur ex tertio; apud se id esse, cautè dissimulauit, atque exposcendum dixit ab Archiduce. Cùmque id intra dies octo transmissum iri omnino confirmaret: concesserunt ei Ordines tamdiu immorari: atque ad suas quique Prouincias rediere. Ex hac unius, alteriusque Chirographi prolatione, tam suspiciosa de Neyo, alijsque Archiducum Administris opinio inuasit animos Fœderatorum: ut ægrè illis in posterum fidem haberent, atque in omni tractatione sibi metuerent ab ijsdem imponi.

Armorum omnis cessatio cur Mauritio displiceret.

Scripsit ad Marchionem Spinulam eodem tempore Neyus: Monuisse Mauritium, nè in conditionibus Induciarum illa acciperetur, ut hostilis omnis actio cessaret. Periculum quippe aiebat fore, nè nimia familiaritas inter utriusque Partis Milites contraheretur: ex quâ deinde, si præcipua Pacis tractatio successu careret, proditiones, aliaque multa detrimenta nascerentur. Illud etiam consecuturum inde militiæ perniciosum: quòd eâ desuetudine vigor militaris torpesceret, ac paulatim eneruaretur. Se verò respondisse. Eam familiaritatem vitari posse, si suos intra limites cuiusque Partis Miles contineretur; pœnâ capitis indictâ, si quis eos transiliret. Mauritium denique subiecisse. Vt in Galliâ tùm sancita Pax, cùm maximè bellum feruebat: ita transigi rem in Belgio posse: neque proniorem esse ad concordiam viam, quam pugnantibus tritam.

Septimo die palàm fecit Fœderatis Neyus, expetitum se Chirographum accepisse: atque adeò solitum Hagæ haberi Senatum postulauit. In eum euocatus, rursus optimam Archiducum

mentem

1607. mentem commendauit: qui vix habitâ ratione dignitatis, atque auctoritatis suæ; ut publico bono consulerent, quæcunque Fœderati poposcissent, benignè concederent. Quare cum illis & ipsi agerent pari facilitate, nè nimiùm tendendo rigoris neruos, negotium frangerent. Atque ut hoc tertium Archiducum scriptum Fœderatis obtulit Neyus in Conuentu: sic aliud Fœderatorum porrexit eidem Barneueltius, ut domi id recognoscens, animaduerteret, an aliquid contineret, quod interpretari opus esset, dum ipse Hagæ moraretur. In eo postulabant Ordines omnino, ut trimestri spatio Regis Hispani consensus, atque ut ipsi loquebantur, aggregatio haberetur. Quæ conditio ut ante discessum confirmaretur à Neyo, vehementer exigebant. Hic autem id se posse Archiducis iniussu negabat. Imò verò eiusdem auctoritatem, atque existimationem lædi non leuiter, asserebat: si Belgij supremus Princeps eam rem decernere nequire sinè alterius consensu diceretur. At Barneueltius fusiori oratione conficere conatus est; prorsus necessariam esse eiusmodi conditionem, ad tantum, ac tale negotium validiùs, stabiliùsque firmandum. *Palàm quippe omnibus esse*, aiebat, *Exercitus, qui Alberto militarent, Hispano Regi subiectos: & Militem Regium, non Archiducis vocitari*. Adiecit Mauritius: *Frequenti exploratum id sibi experimento; cùm captiui apud se Hostes, non Archiducis, aut Spinulæ, sed Regis, & communis Domini Milites appellarentur*. Illud etiam Barneueltius addidit: *Regiæ in arma Belgica, atque in ipsum Belgium, quâ parte parebat Archiduci, potestatis maximo esse argumento; quòd Militum Tribuni, & primarum Arcium Præfecti, ac præcipuè Antuerpianus, Gandauensis, Cameracensis, ab Rege, non ab Archiduce crearentur. Imò & ipsas Arces Regis esse, cùm regijs essent Præsidijs communitæ. Neque verò inscio, aut inuito Hispano posse Archiducem liberos declarare Belgij Populos; quandò Philippus Rex hoc nomine Secundus cum eâ lege ipsi dotale Belgium tradidisset, ut nullam eius partem alieni faceret iuris: quod si faceret, uniuerso principatu deuolueretur. Cùm ergo in hac Induciarum tractatione tot Belgicas Prouincias habere pro liberis deberet; nonnisi de Hispani Regis consensu præstare sinè suo periculo id posse*. Ad hæc Neyus respondit. *Quia Rex Hispaniarum Archiduci largè suppeditabat & Militem, & pecuniam ad bellandum; officij leges exposcere, ut præcipua Belgici principatûs, atque Exercitûs munera in eos conferret Viros, quos ipsi Rex idem arctissimâ affinitate coniunctus proponeret ijs honorum gradibus exornandos. Non tamen illorum quemquam, aut Militem ullum, aut militiæ Præfectum, ac nè ipsum quidem Marchionem Spinulam exemptum ab Archiducis imperio. Verùm omnes cuiuscumque generis, conditionis, auctoritatis ab*

Fœderatorũ scriptum Neyo traditur.

Hispani Regis consensum ad tractationem cur Fœderati requirerent.

Neyi responsio.

illius nutu pendère. Neque auxiliares vel Copias, vel opes quidquam dominatûs rite deposcere in regna, quæ iuuentur auxilijs. Quod ante non multos annos apertissimè patuerat in suppetijs ab eodem Rege transmissis ad Gallia Fœderatos. Quod verò spectaret ad conditionem ab Secundo Philippo dotali principatui adiectam; id sibi minùs notum, ut in eâ negotiatione recenti: sed libenter eius donationis Chirographum se inspecturum. Cæterùm quæ maioris essent momenti, in pleniore congressu tractanda, cùm accuratiùs multò de Pace, vel Inducijs longioribus disceptaretur. Tunc autem, quando de armorum per octo tantum menses cessatione agebatur; non tot rerum rationem habendam. Quippe iubere Militem cum Hoste manus conserere, vel in suis Castris, aut Urbibus se continere; in solâ positum esse Archiducis potestate, neque ullius alterius terrarum Principis expectari consensum. His dictis, ab Senatu cum bonâ veniâ Neyus discessit. Utque eum ad regium assensum tractationi interijciendum Fœderati adducerent; Philippi Secundi Chirographum, de Belgico principatu Alberto dotis nomine concesso, Ordines eidem miserunt. Non tamen idcirco persuasere illi, quod volebant. Cùmque is præsertim causaretur, eâ de re nihil sibi ab Archiduce præscriptum; neque se nosse, quænam super eâ re mens eius foret; per Arsenium Internuncium eidem significarunt, ut cum clausulâ hâc (si placeret Archiduci) conditionem illam exigendi ab Hispano consensûs adijceret. Tùm demum Neyus assensus est, cùm rem videret ad arbitrium Alberti redactam esse. 1607.

Neyi Bruxellas reuersio, & congressus cum Verdusio.

His ita constitutis, Bruxellas redijt, & cum Archiducibus de gestis, ac gerendis rebus colloquutus, ad Hollandicas naues missus est, quæ ante Lilloum propugnaculum consistebant. In eis reperit Didericum Verdusium (quem alij nominant Theodorum Dousam) Commissarij titulo ab Ordinibus eò legatum: ut Chirographum Archiducis de aggregatione acciperet à Neyo: cum formulâ Fœderatorum id componeret: ac si plenè congruerent, Hagam referret: eâ tamen impositâ lege, nè in hâc negotiatione terram attingeret. Obtulit scriptum Neyus: cum suo contulit Verdusius. Et quia nonnulla deprehendit, quæ non legebat in suo, confestim id reiecit. Remissum Bruxellas fuit; aliudque reportatum omnino formulæ consentaneum. Dum id Neyus Diderico porrexit, dono simul dedit aureum torquem admodum pretiosum, quod à Spinulâ in eum finem acceperat. Optimè quippe norant; negotium nullum esse tam arduum, quod auri ope non conficiatur.

Cum verò tentaret Neyus ulteriùs progredi Hagam versùs, ut cum Fœderatis ageret de cessatione armorum in mari quòque, à

1607. à Marchione vehementer inculcatâ: vetuit id Verdusius ex Ordinum interdicto. Institit ille rogando, ut ad Ordines scriberet: rem se maximi momenti habere, quam coram eis proponeret: ac tamdiu secum moram traheret ad Lilloum, donec rescriberetur. Morem ille humaniter gessit. Responsum inde ab Ordinibus fuit. *Quòd supremi Ordines in suas quique Prouincias remigrassent, non ante sex hebdomadas Hagam repetituri; optimum factu videri, ut Neyus Bruxellas sese referret. Sibi curæ interim fore, ut redeuntibus ad Conuentum ijs Ordinibus, tempori acciretur.* Iniquissimo id animo Neyus tulit; tum quòd obsisti videbat consilio suo; tum quia malè secum agi existimabat, ad Fœderatos redire prohibito, quando tam exoptatum ab eisdem Chirographum, & quale omnino requirebant, ab Archiduce impetrarat. Iterum ergo ad preces versus, nouam petere moram à Diderico (patientiâ namque, ac tempore maxima quæque difficultas perrumpitur) donec ipsemet literas daret ad Ordines, ac responsum acciperet. Negare id ille nesciuit, diutiusque commoratus est, quàm ei Hagæ præscriptum: quasi valde tenaciter aureâ illâ catenâ Neyo deuinctus.

Ordines Neyi reditum in Hollandiam morantur.

Delft. DVM responsum præstolantur, decreuit Neyus progredi cum Diderico Delphos usque; atque illinc eum Hagam dimittere, ut in Senatu renunciaret: *Fœderatorum referre plurimùm Neyum rursus audire, si promoueri vellent Induciarum negotium.* Non adducebatur Verdusius, ut id concederet. Verùm tot ille promissis eum pellexit, tam efficacibus verbis impulit, ut manus ad extremum daret. Itaque Roterodamum profecti, leucæ dimidio prope Delphos obuiàm habuere Tabellarium, responsum ab Ordinibus ferentem. Idem ac superius hoc erat, ut Bruxellas Neyus reuerteretur. Is verò tùm incredibili dolore affectus, in quam se partem conuerteret, ignorabat. Si Bruxellas versùs, metuebat non temere, nè tractatio uniuersa prorsus euanesceret. Sin Hagam pergere contra geminatum Ordinum interdictum auderet; in procliui erat, ut captiuus ab ipsis factus, non modò tractatione omni prohiberetur in posterum, sed etiam pœnæ ob insignem contumaciam subesset. Neque minus sollicitudinis, aut mœroris Verdusium incessebat, memorem, quàm seuerè vetuissent Ordines quempiam secum adducere.

Roterdam.

Ille tamen clam eò tendit.

PERVENERE tamen de nocte Delphos: Neyus intra nauem se cautè continuit: Hagam Didericus perrexit. Pessimis eum verbis, ac modis Ordines accepere, quòd in suum interdictum tam audacter peccasset: parumque abfuit, quin ei Commissarij munus adimerent. Postridie verò eumdem ire ad Neyum iusserunt, eumque Delphos introducere: ut donec aliud ipsi statuerent, in-

Rursus in Côuentu Ordinû admittitur.

Cœnobio Divæ Agathæ sacro moraretur. Tertiâ die Hagam eum euocarunt: atque in Senatu honorificè de more acceperunt. Ibi pro re suâ huiusmodi verba fecit. *Confirmasse Archiducem, quod ipse vel eius iniussu Fœderatis promiserat, si tamen eidem esset placiturum. Tantum esse Pacis, vel Induciarum communis boni gratiâ desiderium: ut quidlibet ad eas idoneum, quamuis ab aduersâ Parte proponeretur, obuijs extemplo ulnis exciperet. Neque difficultatibus absterreri, neque operæ suæ ulli parcere, ut belli finis tam optatus, tam salutaris omnibus, aliquando sequatur. Imò animum versare in partes omnes, & cum sapientissimis Consiliarijs suis, ac præcipuè cum Spinulâ Marchione, summi iudicij, ac mira solertia Viro, inuestigare quæcumque ad concordiam & rectè sanciendam, & diù conseruandam opportuna videantur. Inter cætera verò subijsse animum; valde ad eam rem profuturum, si non solum terrâ, sed etiam mari, hostili omni actione temperetur. Quid enim ad publicam quietem facere: si bellum terrestre sileat, maritimum perstrepat? An non utrobique lacrymabilem fieri pecuniarum, & sanguinis profusionem? Ludicram dici mereri, fictitiamque eam belli cessationem, quæ arma deponat in terrâ, sumat in mari. Ut verò tam necessarius habitus ab ipsis Fœderatis Hispani Regis assensus & facilè, & tempore præstituto ab eodem impetretur; nihil opportunius Alberto, eiusque Concilio videri, quàm si Classis Hollandica, quæ maritimam omnem oram Hispaniæ infestat, extemplo reuocetur. Tùm quippe demum intellecturum Regem, seriò Fœderatos Pacem, aut Inducias velle; eâque sinceritate, quam tantopere profitentur, facta conuenire dictis, ex more Belgarum.*

RESPONSUM ad hæc Ordines huiusmodi dedère. *De ijs, quæ proposita fuerant, eo tempore decerni non posse: sed maturâ deliberatione, atque accuratâ consultatione opus esse. Rogare se, ut quæcunque ore protulerat, scriptis mandaret; quò diligentiùs singulis Prouinciarum Delegatis considerare, atque expendere liceret.* Exequutus alacriter id Neyus est: scriptoque tradito, Delphos recessit, nè suspicionem Fœderatis inijceret, se cum alijs eâ de re clandestina inire colloquia. Cùmque ad dies quindecim ibidem perstitisset, nemine ipsum conueniente, neque Ordinibus Hagam reuocantibus; ad Barneueltium scripsit, vehementer obtestans, ut negotium ab Ordinibus quamprimùm definiretur, ac venia daretur sibi Bruxellas redeundi. Iam enim præstitutum ab Archiduce tempus effluxisse. Respondit ille per Internuncios clam ad eum bis missos. *Moram illam æquo animo ferendam. Negotium namque, quod lento gradu procedere videbatur, prosperos, atque ex ipsius sententiâ habere progressus. Quòd non maturiùs acciretur, causam esse Zelandos, atque Amstelrodamenses, aliosque nonnullos, qui Paci, atque Inducijs vehementer*

Marginalia: 1607. — Eius Oratio. — Ordinum responsum. — D' Amsterdam.

1607. *hementer aduersabantur. Contrariam verò sententiam ab Hollandorum plerisque, ac præsertim à Delphensibus acriter promoueri, ob plurima, quæ pacatis temporibus è mercaturâ referrent emolumenta.*

Post multos elapsos dies, Neyum Ordines Hagam per suum Commissarium euocarunt. Ibi datus ipsi Senatus: in quo Barneueltius moram eius accersendi pluribus excusauit. Tùm Ordinum deliberationem exposuit. Ea erat; non antè Classem Hollandicam ab Hispaniæ litoribus reuocandam, quàm ex Aulâ Regis consensio in Inducias acciperetur. Naualis verò belli cessationem certis quibusdam locorum limitibus definiendam. Ea cum audisset, ac scripto tradita diligentiùs considerasset Neyus; utrique magnopere est aduersatus. *Reuocationem quippe Classis præfestinatam maximo fore*, aiebat, *ad regium assensum præfinito tempore consequendum, incitamento. Deque eo nullum relinqui dubitandi locum. Limites verò armorum cessationi constituere, nihil esse aliud, quàm quotidianis difficultatibus, & contentionibus inter utramque Partem aditum aperire. Adeòque tùm maximè noua in dies pugnæ occasiones orituras, cùm à pugnando quiescere studerent.* At Barneueltius Ordinum nomine respondit. *Quantum per sua iura licuerit, eos Archiducum postulatis humaniter indulsisse. Aliud nihil eâ tempestate de rebus propositis certò constitui posse. Maiorem expectandam negotij maturitatem; quando alteri Partium fidere alteri securiùs daretur.* Cùm ergo quidquam se profecturum diutius immorando Neyus desperaret, ad reuersionem sese accinxit: atque acceptâ demum in scriptis supremâ Ordinum deliberatione, Bruxellas reuertit. Ex eius Commentarijs suprà laudatis, ea decerpta sunt ferè cuncta, quæ hactenus enarrauimus.

Iterum in Consessum Ordinum accitur Neyus.

Quia cum illis nō conuenit, redit Bruxellas.

In hunc modum rebus utrinque disceptatis, conuenere tandem cum Archiducibus Ordines Fœderati: ut cessatio pugnæ pactitia in menses octo institueretur, initio facto quarto Nonas Maias. Aliquot adiectæ conditiones ab utrâque Partium seruandæ: *Ut eo temporis interuallo Arx nulla obsideretur, aut prope illam admouerentur Castra. Ut noua munimenta nequaquam exstruerentur. Ut, si quis extra Urbes, atque Oppida Hostem armatum offenderet; integrum ei esset aggredi, atque etiam capere.* Quamquam Archidux, ut sese maximè amantem Pacis declararet; locorum Gubernatoribus, Exercitûsque Præfectis magnopere iniunxit, ut suis id Militibus interdicerent, eosdemque in Præsidijs continerent. Mauritius contrà pulcrius ratus à cautione, quàm à facilitate laudari, monuit per literas suos. Quamuis post sedulam consultationem Ordinum supremorum, decreta fuisset armorum quies; nè idcirco tamen, eidem penitus fidentes à consuetis Vrbium, Arcium-

Armorum cessatio cum cōditionibus firmatur.

que

que custodijs, excubijsque abfisterent: imò easdem augerent, ac roborarent magis. Plus namque timendum ab insidijs, quæ securitatis obtentu proteguntur. Promulgata hæc armorum cessatio per omnes Fœderatas Prouincias Idibus Aprilis. Decretum eodem tempore fuit, ut Meursensis Comitatus neutri Partium addiceretur; sed eius interim possessionem Mauritio concessit Archidux, adiecto Cracauo, ut eiusdem ditionis. 1607.

Communis inde lætitia.

In Belgio tam Archiducibus subiecto, quàm seorsim fœderato, ob ea tranquillitatis initia, communis lætitiæ significationes passim exhibitæ. In finitimis verò Regnis Principum præsertim fœdere iunctorum Ordinibus, si minùs ingrata ea deliberatio, summæ certè admirationi fuit. Quippe sibi persuadere nemo poterat, adeò ad extrema rerum redactos vel Archiduces, ut Pacem tam incommodis sibi conditionibus offerrent; vel Ordines, ut tam facilè, ac subitò, inconsultis fœderatis secum Principibus, acciperent. Quare Galliarum Rex, post rem peractam, de eâ Ordinum literis factus certior, tres ad eosdem Legatos extemplo misit: Petrum Ianinum Diuionensis Senatûs Præsidem, Paulum Choartium Buzenuallium, qui Regius antea fuerat apud Fœderatos Belgas Orator, & Heliam Placium Russij Dominum. Hi paucis post aduentum diebus ad Ordinum Senatum admissi; Regis sui principio multa, & magna in Fœderatos promerita perstrinxerunt: mentem semper in eos propensam, ac benignam; submissa frequenter auxilia Copiarum, pecuniæque; consilia opportunè suppeditata; patrocinium denique perpetuò susceptum. Deinde Regis nomine leniter, atque amicè conquesti, quòd rem tanti momenti eo inscio, aggressi fuerint, atque ad finem perduxerint. *Potuisse illum*, aiebant, *ut antea toties fecerat, salubribus in eâ tractatione iuuare consilijs, & quacunque in Fœderatorum rem maximè facerent, submonere. Non tamen eius officij neglectu ita Regem offensum, ut paternum in eos animum, curamque de ipsorum incolumitate deponeret. Imò nouam illam in Belgium Legationem misisse, quâ perennem, & viuidam beneuolentiam suam testaretur; & cuius ore, sed regijs verbis promitteret: si Pacis instituta tractatio promoueretur, non minùs ope se, quàm consilijs adiuturum; sin ad arma resumenda mentem conuerterent, opportuna subministraturum auxilia.* Illud postremò ab Ordinibus postularunt: ut ex eorum numero præstantes aliquot Viri auctoritate publicâ delegarentur, quibus-cum in consilium identidem venirent, quæque ab Rege in mandatis haberent, communicarent: ac de rebus ad commune bonum spectantibus, in medium consulerent. Amplissimis verbis gratiæ ab Ordinibus Regijs Legatis actæ. Ad querimoniam

Gallici Regis legatio ad Fœderatos.

Legatorum Oratio in Senatu.

re-

1607. responsum. *Breuem armorum cessationem haud rem dignam visam, ad quam auctoritas regia imploraretur. Maiorum Induciarum, vel Pacis tractationi eam meritò reseruatam.* Tùm lecti à singulis Prouincijs, qui cum Legatis capita conferrent: & ab Hollandis quidem sæpè antè memoratus Barneueltius: à Zelandis Iacobus Maldereus: ab alijs alij. Ordinum responsum.

NEC minoris sibi emolumenti, aut existimationis negotio futurum Ordines censuerunt: si fœderatum pariter Angliæ Regem rei, quæ agebatur, participandum missâ legatione curarent. Igitur legati ad eum Hollandorum nomine Ioannes Berchius: Zelandorum idem Maldereus: quibus tertium adiungi voluerunt Ordines Natalem Charonium Schoneuallium Fœderatorum Ordinarium (ut appellant) in Angliâ Oratorem. Magnâ beneuolentiæ significatione ab Rege excepti: ac primò quidem arbitris remotis omnibus ab eodem auditi: mox etiam cum regijs Senatoribus, & Consiliarijs in aulam admissi, quidquid postulabant, impetrarunt: regalibus quòque muneribus in digressu cohonestati. Suos verò Legatos idem Rex paulò pòst ad Ordines misit clarissimos Equites Richardum Spenserum, & Rodulphum Vinuedum: qui futuræ Induciarum tractationi consilio, & Regis nomine interessent. Fœderatorum, & Angliæ Regis mutuæ legationes.

DVM hæc apud Fœderatos geruntur; Spinula non semel in Hispaniam certos homines miserat cum literis, quibus Rex, Regijque Consiliarij de cunctis, quæ transacta cum Fœderatis erant, edocerentur. Et quamquàm ipse arduum ducebat, in re tantis utrinque difficultatibus impeditâ suam proferre sententiam: quia tamen & ab Archiduce super eâ scribere iubebatur ad Regem, & ab Rege liberè sua sensa profari; se quidem sic aiebat existimare. *Si possent ex Hispaniâ in Belgium certò, ac tempestiuè transmitti trecentena aureorum millia in singulos menses: spem esse bellum utiliter continuandi. Sin minùs id factu commodum foret: ad eas conditiones descendendum videri sibi, quas Fœderati Belgæ postularent: ac præsertim, ut utraque Partium ad eam diem parta retineret. Quamobrem enixè rogare se, ut quæ sit Regia voluntas, quàm celerrimè significetur. Cæteroquin in animo esse Archiduci, vel non expectato Regis assensu, primam illam, & breuiorem cum Hoste inire concordiam. Persuasum quippe habere, existimationi Regiæ magis consentaneum esse, ipsius iniussu in eam rem conueniri. Quam constitutam, postmodum auctoritate regiâ firmari posse. Idque ad multa vitanda incommoda necessarium esse.* Placuit hoc Regi consilium, rescriptisque ad Marchionem literis: *Optimum vulgò censeri* dixit: *ubi plura circumueniunt mala, leuiora ultro subire. Quamuis igitur rebellibus Belgis non solùm pacem,* Marchionis ad Regem Hispanum literæ. Marchio ad Regem, 15. Febr. 1607. Rex ad Marchionem, 28. Febr. Regis ad Marchionem responsio.

&

& libertatem permittere; sed quacunque per vim, & summam iniuriam usurpassent, condonare, res esset pessimi apud omnes Principes exempli: quòd tamen ea, quæ poscebatur ad alendum bellum, immanis pecunia vis suppeditari nullo modo poterat, cum esset in tot alias mundi partes eroganda: adduci se quòque in eam sententiam, quam Archiduces inissent, Pace, vel Inducijs (etiam duris adiectis conditionibus) tam diuturno, tamque detrimentoso bello finem aliquem imponendi. Se tamen inconsulto id negotij peractum esse, palàm vulgari; sibi quòque videri congruentius existimationi suæ. Ut verò ad Pacem, vel plurium annorum Inducias sanciendas, Archidux, & ipse industriam omnem adhibeant, se magnopere commendare. Animum quippe inducerent, non minùs id sibi gratum, atque è re suâ futurum, quàm si bellum felicem ad exitum promouerent. 1607.

De armorum cessatione Spinula scribit in Hispaniam.

Marchio ad Lerma Ducem, 12. April.

VBI verò decretæ belli feriæ fuere, de illis Regem, aliosque Aulæ Magnates, ac præsertim inter eos obtinentem principem gratiæ locum Lermæ Ducem Marchio certiorem fecit. Simulque significauit, quàm arduum fuerit effectu negotium: tum ob multitudinem, ac varietatem, ut capitum, ita sententiarum (quippe vix ullum est Oppidum Fœderatorum, quod in Conuentibus ad negotia tractanda coactis suum non habeat suffragium) tum quia opinione plures, acrioresque habuit aduersantes, non solùm inter eos, sed in ipsâ Archiducum Aulâ, Concilioque. Adeò Mortalium non modò vultus, sed ingenia quòque, atque animi sensa rarò conueniunt. Ex varijs tamen Europæ Regionibus frequentes ad Spinulam missæ per literas gratulationes, ob rem feliciter gestam. Verùm, ut in rebus humanis nihil est ita prudenter actum, quin diuersis hominum opinionibus obnoxium sit: in Aulâ Hispanicâ ubi maximè probanda, & laudanda armorum illa cessatio videbatur: complurium proscissa conuicijs est, uti Regis existimationi aduersa, & Regni rationibus perniciosa. *Conditionibus quippe sancitam,* aiebant, *erga Maiestatem regiam iniquissimis à Populis olim subiectis, nunc rebellibus. Concordiam illam omni conflictu, & clade funestiorem. Per tot annos luctuosissimi belli nullam æquè deplorandam Regnum Hispanicum fecisse iacturam.* Et eius quidem ingentis damni auctorem potissimum Archiducem proclamare: *Qui naturâ quietis amans, ac diuturni belli pertæsus, parandæque pecuniæ spe destitutus, ad conditiones Rege, ac Regia Sorore, seque Belgij Principibus indignissimas descendere nil pensi habuisset.* Sed & non paruam errati partem in Spinulam conijcere: *Qui Regius in Belgio, ac præcipuus Administer, cuius in manus & pecuniam, & Copias, uno verbo quidquid ibi Rex possideret, tam liberè, tantâque cum potestate credidisset; non omni ope, conatu, viribus obluctatus esset; nè con-*

De ea querelæ in Aula Hispanica contrà Archiducem, & Marchionem.

Ex lit. Stephani Ibarræ, & Virgilij Piliasci ad Marchionem, 7. Mai.

1607. *conditiones iuribus Regni tam noxiæ, regio nomini tam indecoræ cessationi armorum apponerentur*. Vtque mentes hominum procliues semper sunt ad interpretandum in partem deteriorem: ambitioni eius eam dissimulationem adscribebant. Quasi non placuisset illi bellum continuare; nè quidquid antea vel Regi ditionis, vel sibi gloriæ compararat, in discrimen objiciendo, fortè amitteret. Tantùmque ea fallax opinio in Aulâ percrebuit; ut apud ipsum Regem vim habuerit. Quare Didacum Ibarram, è bellicis suis Consiliarijs unum, transmittere decreuit in Belgium; ut apud Archiducem degens, curaret, cessationem armorum ad maritimum quòque bellum, & Classis reuocationem extendi. De quâ suâ deliberatione præmonuit literis Marchionem: & de iniquis conditionibus conquestus, eidem vehementer commendauit, ut Ibarræ fidem in cunctis haberet, opemque præstaret omnem ad ea, quæ commissa forent, exequenda. Id etiam suo nomine iussit Lermæi Ducis literis inculcari.

Rex ad Marchionem, 17. Maij.

ACRITER ea res pupugit animum Marchionis: cùm videret, ea, quæ ipse cum Archiduce tam maturè consultauerat, tam laboriosè perduxerat ad exitum; non modò publicè in Hispaniâ improbari, sed ab ipso Rege redargui. Neque minùs altè sauciauit, quòd Ibarra mitteretur in Belgium, tanquam rerum ab ipso gestarum Censor, atque Emendator. Accessit ad hanc molestiam & illa, quòd accepit, iussum ab Rege Fontanum Comitem ex Insubriâ, cui præerat, mittere in Belgium sex, aut septem Militum millia. Quorum aduentus Fœderatorum suspiciones amplificasset, & tractationem omnem præcidisset. His adeò curis anxius Marchio Felicem Biragum, qui ipsi ab Epistolis erat, utpote in re grauissimâ fidissimum hominem, ad Aulam Hispanicam misit. Eidem in mandatis dedit, ut cum Carolo Stratâ, suarum in Hispaniâ rerum Curatore, Ioannem Idiaquium, & Stephanum Ibarram è regijs Administris amantissimos Marchionis, conueniret; Eos de re cum Rege pertractandâ penitùs edoceret: eorumdem consilium, præsidiumque in negotio tanti momenti postularet. Tùm duplicem ad Regem epistolam ei commisit. Quarum si prima proficeret, ad impediendam Ibarræ profectionem; alteram reddere supersederet. Sin minùs, eam proferret. Hàc verò veniam petebat, ab Regijs obsequijs ad priuatam quietem redeundi. Formulam quòque deferendam tradidit regij in tractationem consensûs; valde commendans, ut in eâ nè unus quidem character, aut apex immutaretur: nè suspiciosi Populi occasionem inde tractationi abrumpendæ captarent. Carolo verò Stratæ literas in hanc sententiam dedit.

Spinulæ indignatio ob eas, & Ibarræ missionem in Belgium.

Ex instruct. Birago tradita ultima Maij.

Eius literæ in Hispaniam.

Vltima Maij.

Carolo Stratæ. *Superioribus mensibus placuisse Regiæ Maiestati Pacis negotium suæ curæ committere: idque non suis modò, & pluribus epistolis, sed Lermai etiam Ducis, & Villa-Longa Comitis, confirmasse. Nulli se pepercisse industria, vel labori, quò Regi, & bono publico seruiret. Vbi verò res admodum promota optimos habere cæperit progressus, mitti repente in Belgium ad eamdem pertractandam Didacum Ibarram. Vt videlicet palàm fieret Orbi terrarum: Regiæ voluntati obsequi se nescisse; adeòque fuisse opus, ut diligentiori Administro negotium demandaretur. Id verò quàm perniciosum sit existimationi suæ, satis patère. Eam reddi mercedem tum recentibus, tum anteactis laboribus suis, ut generis humani sit fabula. Ad tam graue damnum auertendum, missum ab se Biragum in Hispanicam Aulam; ut intelligeretur, quantùm cordi ea sibi res esset, cuius causâ tam necessario Administro carere vellet. Cum eo, ex Idiaquij præsertim consilio, id negotij tam sedulò, accuratèque tractaret, ut optatum exitum consequeretur.* 1607.

Ioanni Idiaquio. IDIAQVIO verò scribens: *Non videri sibi*, ait, *nouam deliberationem suscipi debuisse, eo quòd in conditionibus cessacionis armorum comprehensa non fuisset Classium reuocatio. Namque & facile fore eam adijcere; quandò non minoris Fœderatorum, quàm Catholicorum intererat: & si tùm id assequi non liceret, post tres certè menses, ubi primùm consensus Regius transmitteretur, eam omnino conditionem alijs accessuram. Tam breuis verò interualli moram non debere tractationem Pacis, aut longiorum Induciarum ineundam præcidere. Id quod valde pronum sit apud eos, quorum parti magna concordia minimè placeat. Licèt enim Fœderatis Prouincijs generatim quies à perniciosissimo bello ingenti futura sit emolumento: eis tamen, qui Rempublicam, & bellum administrant, huius continuationem, ob rationes priuatas, quæ plerunque præpollent, gratiorem esse. Si Regi placitum fuerit, interrumpi tractationem; det sibi in mandatis. Vno quippe, aut altero verbo in conditionibus immutato, siue transposito, statim interruptum iri. Ceterùm commissum sibi negotium ad alterum transferri non posse sine sua famæ iactura: quæ semel facta nunquam resarcietur.* Eadem die.

Andreæ de Prada, & aliis. EADEM ferè Andreæ de Pradâ, qui cum alijs Regi à Secretis erat, eadem Lermæ Duci, Mirandæ Comiti, Stephano Ibarræ perscripsit. Regi verò testatus est: *Cessationem armorum in mari, quæ non apposita conditionibus, eam ingratas, atque odiosas eas in Hispaniâ fecerit; etiam antè quàm Regius assensus adueniat, haberi posse.* Ipsi Regi. *Eius namque spem fieri à Commissario Neyo maiorem in dies. Quod autem spectabat ad Ibarræ aduentum in Belgium; meminisset Regia Maiestas, se non ita pridem totum Induciarum negotium suæ curæ, ac diligentia iteratis literis demandasse. Iam verò, quando id Dei beneficio felices progressus haberet, alteri committere, nil esse aliud quàm*

pelàm

1607. *palàm omnibus facere, perperam ab se pertractatum. Sibi quidem in regijs obsequijs neque industriam deesse, neque fortunam, satis declarare quæ gesserat ad eam diem. At his non videri par præmium existimationis tacturam. Si concordia tractatio grata non sit; ad unicum Regium nutum, neque Archiduce, neque alio quopiam obnitente, cessaturam. Denique in manu Regiâ esse existimationem suam: quâ si semel exciderit, actum esse de se, rebusque suis. Quem enim negotijs imparem aliquando crediderint Mortales, nunquam eisdem idoneum habituros.*

HAE Marchionis ad Regem, aliosque literæ tùm redditæ fuere, cùm se iam Ibarra itineri Belgium versùs commisisset. Quare illum distinere non potuerunt. Nec multò pòst ipsemet ex
9. Iunij. Galliâ literas ad Spinulam dedit, eum de aduentu suo certiorem faciens: âc tarditatem excusans officijs cum Gallorum Rege, ac Reginâ sui Regis nomine peragendis. Cui non minùs officiosè
16. Iunij. respondit Marchio; se, ac sua illi liberaliter offerendo. Interea quod in Hispaniâ tantopere expetebatur, conuènit Archiduci cum Fœderatis, ut armorum cessatio nauales quòque pugnas complecteretur. Eius boni nuncij causâ nouum Tabellarium Spinula misit ad Regem, Regiosque Administros cum literis, quibus &eum euentum significabat, & vehementer obtestabatur, ut Regia Confirmatio quamprimùm, ac nè verbulo quidem immutato, mitteretur. Regem præterea, & Lermæ Ducem enixè rogabat, nè nouas mitti iuberent ex Italiâ Copias in Belgium. Populis quippe, qui continenter se decipi suspicarentur, & clamitarent ab Hispanis; nihil procliuius, quàm sub imagine Pacis, eò grauioris belli, quò tectioris, apparatum vereri. Ideoque ab Induciarum prosequutione futuros magis, ac magis alienos.

IAM in Belgium Ibarra peruenerat; cùm statim regio nomine tentare aggressus est, an possent illæ voces in publicis literis aboleri, quibus Fœderatæ Prouinciæ liberæ fuerant ab Archiduce declaratæ. Id verò quàm noxium tractationi foret, nouis literis Regi Marchio significauit. *Quippe vel ipso principio professos fuisse Fœderatos; nulli se tractationi præbituros aures, nisi priùs se cum ipsis agere tanquam cum liberis Populis Archidux testaretur. Eamdemque ab Rege confirmari conditionem, obstinatis animis postulare. Quid iam acturos, cùm quod concesserat Archidux, & concessurum Regem quòque promiserat, ab Rege pernegari audirent? Haud dubiè idem fore hoc audire, & tractationem abrumpere. Quàm verò indecorum, atque iniuriosum id Archiduci foret, palàm esse. Illud præterea Ibarram Alberto asserere non dubitasse: facillimè suppeditatum iri ex Hispaniâ tantum pecuniæ, quantum esset satis ad bellum in multos annos continuandum. Eumdemque instigasse, ut à Fontano per literas postularet,*

Didacus Ibarra Belgium intrat.

25. Iunij.

Nouæ literæ Spinulæ ad Regem.

ret, in Belgium mitti Copias Hispanas, atque Italas. Quæ omnia quàm importunè caderent in rem præsentem, apertè dignoscere Regiam prudentiam posse. Ad belli prosequutionem nihil omnino minus requiri, quàm (ut aliàs significatum) tercentena aureorum millia in singulos menses: hoc est ter, aut quater millies mille quotannis. Quam immanem summam in unum Belgium impendi, non sinere tot alia Hispaniarum Regna conseruanda: ut Regia ipsa literæ confirmarant. Quòd si quis suggereret: non tantum exigi pecunia ad alendum bellum in sui defensionem: experientiâ se didicisse; commodum eiusmodi bellum esse Fœderatis, Catholicis non item. Id oriri ex fluminum, quâ illi fruuntur, opportunitate: cuius beneficio biduo peragunt iter, quod Catholici quindecim diebus. Quare in quâuis obsidione multò celeriùs illos, quàm hos se posse munire. Aduentum verò noui Militis in mediâ cessatione armorum opinione vehementiùs commoturum animos Fœderatorum. Licèt enim plerique iam sancitis conditionibus acquiescant; non deesse tamen aliquos inquieto ingenio, inimicosque concordiæ, qui iactent in vulgus: quemadmodum ipsi, ubi libitum fuit, in libertatem se vendicarunt: ita posse Regem, par pari rependendo, eosdem in potestatem redigere, ubi placuerit: nunquam enim obtentum, quem prætexat, defuturum. Cùm primùm igitur aliquam inter eos gliscere discordiam inaudierit (quâ nihil facilius apud homines liberos) eos rursum armis subigere conaturum. Ingenium Populi satis exploratum esse, ad omnem rumusculum volui, ac reuolui solitum, & leui quâlibet occasione mutabile. Se quidem totis viribus adnisurum apud Archiducem, nè factum infectum reddat, nè-ve ullam præbeat ansam Fœderatis tam bene initam tractationem dissoluendi. Sin aliâ ex parte aliquid noui, noxijque contingat: se culpa omnis expertem fore, neque ullâ ratione id sibi posse imputari. Mandet Maiestas Regia, quod facere maximè censeat ad obsequium suum. Verùm illud certo certius habeat: si instituta tractatio abrumpatur, bellum sibi perpetuum in Belgio fore. 1607. Millioni.

Earum efficacitas. Tres epistolæ Regis ad Marchionem. HAS Marchionis literas, tantâ efficacitate conscriptas, vim habuisse maximam apud Regem; luculenter apparet ex tribus Regijs epistolis eâdem die ad Spinulam datis. Earum primâ per certum hominem missâ, qui Chirographum auctoritatis Regiæ in tractationem concordiæ deferebat; magnopere Marchioni commendat, ut res omnes cum Archiduce consultando, totum ipse negotium promouendum curet: adiumentis omnibus, quæ conducant, Amicorumque consilijs utatur: & suam diligentiam, experientiam, iudicij vim uniuersam adhibeat. Quorum ope sperare se, negotium eum exitum habiturum, qui suæ maximè congruat voluntati. Eoque se gauisurum magis, ut parem tanto obsequio gratiam referre possit. De accepto Chirographo, atque 30. Iunij.

epi-

1607. epistola; deque ijs, quæ agentur in dies, se faciat maturè certiorem. In alterâ eodem latore; ex Marchionis literis intellexisse se dicit: nimis quidem in rem suam attentos se ostendere Fœderatos: ex suâ tamen parte id agendum, quod conditio temporum, & præsens opportunitas deposcat. Iam se mandasse, ut Miles in Belgium destinatus, in Italiâ persistat; nè suspicionibus, aut tumultibus ulla suboriatur occasio. Itaque par sibi videri, ut pariter Hollandi Classem suam reuocent, oræ maritimæ Hispaniarum infestam. Quod ut extemplo fiat, neruos ipse omnes contendat. De Pacis, aut maiorum Induciarum tractatione voluntatem se suam per peculiarem Internuncium significaturum.

Tertia demum profusior, per redeuntem Biragum missa, hæc habet. *Ex pluribus ipsius literis se penitùs edoctum, quæcunque in cessatione armorum constituendâ gesta fuissent. Gratissimam sibi esse in eâ accurandâ industriam eius, ac labores: & studium, quo res obsequij sui promoueat. Didacum Ibarram non ideo se in Belgium transmisisse, quòd Marchionis virtuti, ac diligentiæ haud satis fideret. Potuisse id ab ipso cognosci ex regijs mandatis, quæ scripta Ibarra secum ferebat: quibus nihil ei committebatur aliud, nisi ut apud Archiducem instaret, quò cessatio armorum non minùs mari, quàm terrâ stabiliretur. Id quippe ad ineundam maiorem concordiæ tractationem valde necessarium esse. Subtrahi namque oportere ubique locorum omnem hostiliter agendi occasionem. Neque fuisse, quòd ipse propterea tantum timeret existimationi suæ. Nullâ eam parte imminutum iri accessu Ibarræ; cui conditionis unius urgendæ sola credita cura. Quoniam verò ante ipsius ingressum in Belgium ea conditio adiecta esset; simulque ut omnis amoueretur suspicio, totum ei negotium incumbere; eidem se iam imperasse reditum in Hispaniam. Fontano quòque Comiti scriptum, ut Copias in Belgium mittere supersederet. Cæterùm quandò negotium ipsi demandatum tanti momenti esset, tantique referret Hispaniarum Regni eiusdem exitus felix, & optatus: gratissimam sibi rem eum facturum, si viribus, industriâque contendat maximâ id prouehere in maius obsequium Dei, Archiducis, & suum; honoris, atque existimationis ipsorum rationem præcipuam habendo.* His epistolis Rex, quibus verè Marchioni suum pectus aperuit, totamque in eo fiduciam collocauit: (ut

30. Iunij. ad hunc scripsit Idiaquius) omnem absterfit ab illius animo sollicitudinem, atque ad commissum opus alacriter prosequendum

30. Iunij. stimulos acres addidit. Vtque datis eidem literis testatus est Lermæ Dux; tantam rerum in Belgio suarum curam, ac spem optimi euentûs in eo Rex posuit; ut in contentionem venire viderentur hinc Regis fides, quam prudentiæ Marchionis habebat: illinc Marchionis diligentia, atque ardor, quo Regiæ beneuolentiæ respondebat.

SVB

SVB initium Iulij peruenit in Belgium Marchio Guadaleſtius, ut Regius eſſet apud Archiducem Orator. Cum eo, quem animi generoſi, ſummique iudicij Virum vel primo congreſſu Spinula perſpexit; magnam conſenſionem Regi promiſit: cui maximè id eſſe cordi, ex eius literis norat. Quoniam verò, quæ à pluribus ſubinde referuntur, quaſi per manus tradita, vel detrahendo aliquid, vel addendo (ut fama creſcit eundo) minùs ſincerè narrantur: & quia non omnia literis committi poſſunt; optimum factu viſum Spinulæ, ſi Neyum ipſum, primum quaſi auſpicem concordiæ, & ceſſationis armorum ſancitæ præcipuum auctorem, ad Hiſpanicam Aulam mitteret; ut quæcunque ab ſe geſta cum Fœderatis fuerant, coràm Regi patefaceret. Ita namque futurum, ut Rex puram rerum veritatem, nullis inuidiæ, aut maleuolentiæ infectam ſordibus, ex ipſo fonte hauriret. Id conſilij Marchio Archiduci propoſuit. Albertus rem probauit quidem: ſed maturiùs expendendam, & diligentiùs conſultandam, adiecit. Verùm ſiue Archidux Ibarram, uti Regium Adminiſtrum, in conſilium vocaſſet: ſeu quoquo modo illius ad aures ea deliberatio veniſſet: is certè profectionem illam diſſuadere omni ope conatus eſt. Rationem hanc potiſſimam afferebat: *Quòd in Hiſpaniam iter facturus per Galliam, vitare non poterat, quin ab Rege accerſeretur, ac de rebus geſtis, atque etiam gerendis rogaretur. In quo verum fateri periculoſum: inficiari temerarium. Ipſam etiam profectionem magnum in Galliâ rumorem excituram.* Id verò facilè Spinula diſſoluebat, cùm diceret: *Poſſe pauperem, ac Religioſum hominem ignotum pergere: ſi præſertim Aurelij Spinulæ, quem comitem habiturus erat, ſe Pediſſequum ſimularet. Quòd ſi occultari non poſſet, quo tempore omnia eius tractationis indicia diligenter explorabantur: qui ſciuerat cum Fœderatis Ordinibus tam ſolerter, & conſtanter frequentia miſcere colloquia, atque in rem ſuam orare, ac perorare; ignoraturum-ne Gallici Regis interrogationibus, quamuis ſagacibus, & captioſis, reſpondere prudenter? Rumores verò non in Galliâ excitatum iri ab unius, aut alterius viatoris tranſitu: ſed in Europâ uniuerſâ ab ijs, qui tractationem concordiæ tolerare nullo pacto poſſent.*

IGITVR Marchionis conſilio præpollente (ſeriùs tamen quàm ipſe voluiſſet) profectus eſt in Hiſpaniam cum Aurelio Spinulâ Neyus: neque ullam in itinere paſſus offenſionem, aut moram, breuì ad Aulam peruenit. In eâ exceptus magnâ beneuolentiæ, atque honoris ſignificatione: certâque rerum ab ſe geſtarum narratione ſummam omnibus attulit voluptatem. Lermæ Duci præ cæteris, qui religioſi Viri integritate, prudentiâque perſpectâ; & eum valde commendauit, & Marchionis conſilium de illo in

Marginalia: 1607. *Spinula ad Regem, & Lermæum, 10. Iulij.* — Agitur de mittendo in Hiſpaniam Neyo. — *Idem ad Regem, 12. Iul.* — Repugnat Ibarra. — Prævalet Spinula; & mittitur. — *Lerma Dux ad Marchionem, 13. & 17. Auguſti.*

1607. 12. Augusti. in Hispaniam transmittendo laudauit. Rex ipse eumdem sæpiùs audiendo se oblectatum, datis ad Spinulam literis testatus est: eiusque accessum gratiorem futurum sibi fuisse, si maturasset. Cùmque Neyus asseruisset Regi, Fœderatorum animos fore in tractatione concordiæ molliores, si onerarias eorum naues cum mercibus appellere ad Hispaniæ litora concederetur: ut nihil missum faceret benignitas Regia, quo publica quies, & tranquillitas stabiliri posset, ad Archiducem scripsit, ut si conueniens existimaret, potestatem faceret sex eorum nauibus Vlyssipponem appellendi, totidem verò portubus reliquis Hispaniarum: deque re deliberatâ se statim faceret certiorem, quò illas amicè, ac liberaliter excipi iuberet. Regiæ quòque erga Neyum beneuolentiæ argumento fuit, quòd tanquam rei bene gestæ præmium, eidem numerari mandauit duo aureorum millia ad Bibliothecam instruendam; congruens munus homini & Religioso, & literato. Quoniam verò ei discedenti Spinula dederat in mandatis, ut reditum accelerarer, ac sub initium Septembris Bruxellis adesset: cùm Aulicis omnibus, & regijs Administris optimam de se, suàque agendi dexteritate opinionem insculisset; eodem comite Aurelio Spinulâ, ad exitum Augusti remigrauit in Belgium.

Ab Rege Neyus excipitur benigne, ac liberaliter.

Aurel. Spinula ad Marchionem, 19. Iulij.

In Belgium redit.

INTEREA cùm Regia feriarum belli Confirmatio accepta fuisset ex Hispaniâ, ad eam Fœderatis exhibendam, missus ab Archiduce fuit Ludouieus Verreychius, quem in Belgicis negotijs Audientiarium appellabant. Is decimo Calendas Augusti Hagam Comitis ingressus; postridie in Ordinum Conuentum euocatur. Aderant ibi cum Mauritio Populorum Delegati ferè quinquaginta. Illis cùm Verreychius paucis exposuisset, quorsum aduenerat; ad proferendum nempe tam expetitum assensûs Regij Chirographum: magnopere postulauit, ut ex condicto Classem extemplo ab Hispanico mari reuocarent, aliaque præstarent, quæ ad Regiæ Confirmationis aduentum se spoponderant effecturos. Accepto Chirographo, rogarunt Ordines, ut parumper cum duobus Delegatorum secederet. Post paulum reuocarunt: eique professi sunt: *Mentem unam Fœderatorum esse tractationem instituere constantem, honestam, christianam. Regium verò Chirographum, quantùm ex primo eius aspectu conijcere poterant, expectationi suæ minimè respondere. Quare spatium se petere id accuratiùs inspiciendi; atque ut pleniùs intelligeretur à Delegatis omnibus (omnium quippe, à quibus missi fuerant, Populorum eam rem interesse) in patriam linguam vertendi. Paucos namque Concilio adesse Hispanica gnaros. Postmodum ad cuncta se responsuros, quæ vel ad Regiam Confirmationem, vel ad reuocationem nauium attinerent.*

Ex lit. Verreychij ad Albertum, Spinulam, Alios, 30. Iulij.

Ludouicus Verreychius defert regiam Cõfirmationem Fœderatis.

Ea non omnino probatur.

Po-

Postridie Mauritius eum conuiuio excepit. Quo peracto, eumdem cum Brederodio seuocauit. Et responsum ab Ordinibus quamprimùm datum iri pollicitus: *Magnâ opus esse*, ait, *in eiusmodi rebus perspicuitate loquendi. Tùm se semper animum induxisse, Confirmationem, qualem postulabant, nunquam ab Rege venturam. Quæ prolata fuerat, ad rem non facere. Talem omnino formam eius esse debere, tamque claris expressam verbis, qualis Archiducis fuerat. Regem nempe cum Ordinibus Fœderatis agere velle, tanquam cum Populis omnino liberis, in quos nullum ius sibi vendicet. Id apertè profiteri si neget Rex, omnem quòque cum eo tractationem concordiæ Ordines abnegare.* Die tertio Verreychium septem conuenere Delegati. Quos inter præcipuus Barneueltius multa de rebus anteactis proloquutus, asseruit ad extremum: *Ex parte Fœderatorum aditum patefactum tractationi Pacis ingenuæ, ac diuturnæ. Alterius verò Partis agendi modum nimis artificiosum esse, atque suspectum; cùm tamen Commissarius Neyus sinceritatem promisisset. In Regij Chirographi principio magni momenti lineam desiderari, quam in suâ formulâ Fœderati posuissent. Eam non videri casu, aut errore prætermissam. Totam Regis Confirmationem coarctatam esse, atque in multis defectam. Simplicibus, & dilucidis verbis cum Belgis agendum. Illud verò in primis pro certissimo tractationis omnis fundamento ponendum: Fœderatos omnino pro liberis haberi velle, nominari, tractari. Id nisi priùs consequantur, nullam tractationem inituros. Quippe haud ita rerum imperitos esse, quin sciant: posse in posterum Regem, Archiducemque iactare, se pactis, aut conditionibus non teneri: si quidem cum rebellibus conuenta non tenent, neque seruari fides debet non manentibus in fide. Igitur si nullum haberet aliud, quod proferret, Regium Chirographum; neminem eum tenere. Imò eius moram fore suspectam: quemadmodum tanta etiam in totâ negotiatione tarditas suspicionem faciebat, tempus, ac spatium suis commodis aucupandi.* Multis Verreychius ad obiecta respondit: sed nullo fructu. 1607.

Quæ in illa displiceant.

In alio cum septenis Delegatis congressu retulit Barneueltius: in supremo Ordinum Conuentu recentissimè habito ab omnibus reiectam Confirmationem Regiam, ut deficientem, & mancam non minùs re, quàm verbis. Nec sibi quemquam eorum persuadere posse, non haberi ab Archiduce aliam ampliorem, eique, quam ipse postremam miserat, similiorem. Quare licèt ipsum remittere, quasi tractatione desperatâ, Ordines decreuissent; sex tamen adhuc dierum moram eidem concedere, quibus melioris formæ Chirographum ab Archiduce impetraret. Denique ex his, alijsque congressibus frequenter initis Verreychius intellexit; de concordiâ verba fieri valde remissè: Mauritium

1607. tium in eam parum propensum: plerosque iam pigere, eò se cum Archiduce tractatione progressos, unde gradum reuocare arduum foret: postremò in procliui esse, ut abrumpatur tractatio, sine ullâ spe illam redintegrandi. Hæc omnia significauit clandestinis notis Alberto, ac Spinulæ Verreychius. Verùm plerique Belgici belli, aut harum separatim Induciatum Scriptores, alia memorant in Regiâ Confirmatione à Fœderatis notata, quorum causâ illam omnino reiecerunt. Quòd scilicet in eâ Rex Archiduces, quasi totius Belgij supremos Principes appellaret: quòd verba communia essent, & variæ interpretationis patientia: quòd formulæ solemnes in re tanti momenti prætermissæ: quòd non proprium Rex nomen subscripsisset, uti cum sibi non subiectis consuesset; sed titulum dominatûs indicem; Ego Rex: quòd in papyro scripta esset, non autem in membranâ, ut in grauioribus negotijs assolet: quòd demum minore sigillo, quàm adhibeatur in publicis Chirographis, obsignata.

Cifre. Gaspar Ens, Hareus, Bentinolus. Meursius, Baudius.

At Archidux, & Marchio cùm aliam nullam haberent, quam proferrent, Regiam Confirmationem: ad Regem illico certum hominem allegarunt cum literis, quibus aut aliud Chirographum postulabant, nè syllabâ quidem à formâ, quam priùs miserant, diuersum: aut certè Regiæ voluntatis significationem. Interea verò nè dissolueretur negotiatio, iussit Albertus Richardoto Præsidi, ut Verreychio suo nomine scriberet. Voluisse se de rei euentu Regem facere certiorem: neque ipsi antè responsum dare, quàm ab Rege acciperet: eamdemque cautionem Spinulæ præscripsisse. Interim cùm tractatio tantùm processerit; æquum non esse, ut ob aliquam in Chirographi formâ discrepantiam, bellum resumatur, aut Classis reuocatio retardetur. Causam, cur præfinito ab Ordinibus tempore urgente, responsum ab Archiduce, ac Marchione non fuerit, hanc is Regi reddit. Ut nempe, si tractationem abrumpere Fœderati velint; iure ille suo intercedere possit, affirmans, æquitati consentaneum non videri id priùs agere, quàm ab Archiducis Aulâ responsum detur. Et sapiens consilium non caruit successu. Namque dum Verreychius ab Archiduce, Archidux ab Rege responsionem expectant; Delegati, nè tempus frustra dilaberetur, multos dies mane, ac vespere conuentus habuerunt: ac pòst varias deliberationes, postremò decreuerunt continuare cessationem armorum, & Classem reuocare. Ineundæ quieti à naualibus pugnis diem dixere Nonas Septembris. Maiorem verò tractationem non antè inchoandam pronunciarunt, quàm ab Rege Confirmatio talis acciperetur, ut formæ, quam ipsi tradiderant, ab omni parte responderet;

Alia Cõfirmatio, quæ placeat Fœderatis, petitur ex Hispania.

Marchio ad Regem, ultima Iulij.

eaque exprimeretur sermone vel Latino, vel Belgico, vel Gallico. 1607.

V B I peruênit ad Regem, tam malè acceptam à Fœderatis Confirmationem suam; quos animo sensus indignationis conceperit, facili coniecturâ assequetur quicunque reputauerit animo, tantum Orbis terræ Principem à Populis, suæ quondam ditioni subiectis, minùs honorificè habitum, quàm si pares cum paribus egissent. Tanto tamen maioris Diuini obsequij (quod ipse suis in literis frequenter inculcat) & publici boni, ac Pacis post tam diuturnum, ac luctuosum bellum propè necessariæ, studio flagrabat: ut non dubitarit, quod illi tam obstinatè postulabant, indulgenter concedere. Scripsit itaque ad Marchionem: *Quamquam à Fœderatorum peruicaciâ, câque, quam instituerant, agendi ratione parum boni sperari posset; Diuinum tamen obsequium præ cateris omnibus spectando, suique utilitatibus, atque ipsi existimationi anteferendo; tam obnixè efflagitatam eis se libertatem concedere. Sed cum eâ conditione, ut liberum ipsi quòque, publicumque permittant in suis Prouincijs Catholica Religionis exercitium: idque quamdiu vigebit, tamdiu ius libertatis duraturum.* Ita Princeps optimus obedientiam Romanæ Sedis præhabebat suæ: ut quos ab imperio suo quodammodo emancipabat, principatui Religionis subiectos esse contenderet.

Hispani Regis pietas, & indulgẽtia.

Eiusdem litera ad Marchionem.

17. Augusti.

A D hanc Regiæ voluntatis significationem rescripsit Archiducis nomine Spinula. *Eum quidem scopum utrique in omni tractatione propositum iri. Non tamen mutuum illud pactum sanciri posse, nisi in amplissimo utriusque Partis Delegatorum congressu: ubi ageretur de Pace, aut maioribus Inducijs. Neque enim ante concordiam stabilitam palàm assensuros Fœderatos de Religionis Catholica libero usu: nè Principes Sectarios, siue Protestantes (ut appellant) fœdere sibi deuinctos offenderent, atque ab suis Partibus abalienarent. Quare optimum factu videri, ante congreßum illum ostendere solùm Fœderatis, non autem tradere Confirmationem Regiam, qualem ipsi omnino requirebant. Eam namque ni viderent, in nullam unquam tractationem venturos. Inito verò congreßu, pro libertate Regio assensu permissâ, Religionis Catholica liberum exercitium ab eis exigere. Ita futurum, ut vel Pax ineatur, duabus hisce præsertim conditionibus mutuò acceptis: vel hæ si renuantur, nihil altera Pars alteri donet, sed utraque in pristino rerum statu persistat.* 7. Septemb.

Marchionis responsio.

O B hæc, aliaque tam opportuna consilia, summamque in totâ negotiatione Marchionis sedulitatem; iussit Rex, suo nomine ab Lermæ Duce gratias eidem ingentes agi; stimulosque addi, ut pari in posterum studio, atque ardore rem tanti ad Diuinum, ac Regium obsequium momenti in optatum finem promoueat: totoque

Spinulæ aguntur gratiæ Regis nomine.

Lermæus ad March. 18. Septembris.

1607. toque præcipuè pectore incumbat, ad publicum Catholicæ Religionis usum sanciendum. Eâ namque ratione Regis indulgentiam in suos quondam Populos, deinde rebelles, quæ nimia plerisque videatur, tam Diuino, quàm Humano judicio probatum iri.

PER eos dies Belgicam Archiducis Aulam adierat nouus Pontificius Nuncius Vido Bentiuolus Archiepiscopus Rhodiensis: qui cum hanc ferè totam Induciarum tractationem præsens nouisset: aliaque eò spectantia ab Oratoribus Principum, cæterisque Archiducum Administris comperta haberet; in suis primùm descriptionibus Belgij, postmodum verò in parte Historiæ de Belgico bello postremâ eam sapienter exposuit. Vido Bentiuolus Pontificius in Belgio Nuncius.

NOVA interim ex Hispaniâ venit in Belgium Regia, & quidem gemina, Confirmatio cum longioribus literis ab Rege ad Marchionem datis. In his, *Singula se diligenter expendisse*, Rex ait, *quæ priùs misso Chirographo à Fœderatis obijcebantur. Et promptum, ac facile sibi esse obiecta refellere. Nam quòd Hispanicâ linguâ exaratum, & non suo nomine, sed Regis titulo subscriptum esset; ægrè ferri non debuisse, quia minimè nouum: sed auitum eum esse Regum Maiorum suorum morem. Ita Parentem suum semper victura memoria cum Rege Galliæ in Veruini Pace egisse: ita ipsum se cum Angliæ Rege: ita cum Regibus, Principibus, ac Rebus-publicis consuesse. Ac recentissimè se formam eamdem usurpasse cum Gallico Rege in confirmatione iurisiurandi pro Pace Veruini. Quòd si Gallicus apud Hollandos Orator contrarium affirmauit; vel ignoratione rei, vel Partium odio peccasse. Ritum eumdem seruatum à Castellano Comite Stabuli, qui cum Angliæ Rege idem suo nomine præstitisset. Quòd verò in eo Fœderati nequaquam declarabantur liberi, & nullius iuri subiecti; ideo factum, ut ea declaratio tùm ijs concederetur, cùm ipsi vicissim usum Catholicæ Religionis liberum, publicumque in suis Prouincijs concederent. Tempus autem ad hanc quasi mutuam donationem opportunum maximè sibi visum, quando tractatio maior institueretur. Ita quippe palàm fore Orbi terrarum, verum Dei cultum, & Catholicam Religionem esse sibi omni suo iure, ac dominatu potiorem. Fœderatis verò longè diuturniorem, ac stabiliorem eam libertatem futuram, quæ non simplici declaratione permitteretur; sed quasi iure tribueretur in operis tam æqui, pijque compensationem. Hunc ad finem misti Chirographum, in quo mens hæc Regia exponatur. Quòd si tamen illi declarationem hanc tam ardenter affectatam differri in tempus illud nolint; adeòque sine eâ tractationem omnem recusent: alterum se Chirographum mittere in eam planè formam, quam ipsi præscripserunt: quod ostendi tantùm in præsens possit, non autem tradi. Hinc intelligi à Fœderatis debere, quàm*

18. Septembris. Nouum confirmationis Chirographi ex Hispania. A Fœderatis damnata defenduntur.

clementer ab se eum ipsis agatur: à cæteris verò, nihil omnino per se stetisse, quò minùs concordia succederet. 1607.

Mansicidor. ad Marchionē, 6. Octob.

His Regijs literis, & Chirographis acceptis à Spinulâ, & cum Archiduce communicatis; vocauit is in consilium Marchionem ipsum, Richardotum, & Verreychium, aliosque Consiliarios. Cùmque utraque Confirmatio proposita fuisset in medium; unâ omnes sententiâ censuerunt, posteriorem ad Fœderatos mittendam, ubi Religionis nulla mentio. Exploratum quippe cunctis erat, non solùm eam conditionem ante maiorem tractationem propositam reiectum iri: sed periculum etiam esse, nè Catholicæ Religionis odio in suis Conuentibus decernerent, ut de illâ nè in ipsâ quidem præcipuâ tractatione ageretur. Quamobrem de hâc pariter actum fore.

Marchio ad Regem, 11. Octobris.

Neyus, & Verreychius Hollandiam petunt.

Ex eorum relatione 29. Octobr.

Missi verò ad Confirmationem Regiam exhibendam, eiusque non exemplar, sed exemplum tradendum, Commissarius Neyus, & Audientiarius (ut vocant) Verreychius. Hagam Comitis hi peruenere nono Calendas Nouembris: ac postridie datus eis Senatus. Frequentissimus hic fuit ex centum ferè primarijs fœderatarum Prouinciarum Viris. Tanta erat Regij huius Chirographi expectatio: tanta in ijs Populis cupiditas, ut liberi ab eo Rege declararentur, qui dominatum in eos suum repetere tot annorum bello, tam immani pecuniarum, & sanguinis profusione contenderat. Intererant præ cæteris Mauritius, Guillelmusque Nassauij. Causam illi exposuere principio aduentus sui. Tùm Regiæ Confirmationis exemplum tradidere. Quod coram omnibus cum exemplari collatum. Hoc sibi cùm resumpsissent Archiducis Internuncij, secesserunt. Paulò pòst reuocatos percontatus est omnium nomine Barneueltius. Ecquod aliud super eâ re scriptum haberent? Negantes illos, rogauit ut in scriptis traderent, quæcunque ore protulissent. Promisere: ac die postero promissa præstitere.

In Senatu frequentissimo audiuntur.

Dies multos mane, ac vespere Ordines quotidianos habuere Senatus. Quid in ijs ageretur, Neyus, ac Verreychius ignorabant. Per familiares tamen aliquot compererunt: parti eorum maximæ Regiam Confirmationem placere. Verùm quòd formæ ab eis traditæ non omnino congrueret: & aliqua præterea ad finem adijcerentur; non eam priùs acceptum iri, quàm singulis Prouincijs exhiberetur. Quare plurima iam ad eas exempla transmissa: simul etiam cum Gallico, Anglicoque Oratoribus communicata: atque ab his ad suos Reges missa. Magnum quippe negotium erat, quod tantam Europæ partem occupabat. Ijdem Oratores officij causâ Archiducis Internuncios inuiserunt: colloquijsque (uti fit)

Regum Oratores tractationis conscii.

etiam

1607. etiam inter infensos humanissimis inter se habitis, operam omnem suam verbis amplissimis polliciti sunt, ad Regis Hispani mentem optimam prosequendam.

Sex elapsis diebus, in Curiam iterum euocati Neyus, & Verreychius. Octo dumtaxat aderant Delegati: Hollandiæ bini, cæteri è singulis Prouincijs. Barneueltius omnium nomine prolocutus. *Perlecto Confirmationis exemplo, multa in eo desiderari. Non prorsus conuenire cum formâ à Fœderatis Verreychio traditâ: neque in eo contineri, firmatum id ab Archiduce, ac magno suo sigillo iussum obsignari: Hispanicâ linguâ scriptum: & Regis titulo, non Philippi nomine subscriptum. Vbi sermo de tractatione futurâ, voces, ac lineas magni momenti omissas: neque id fortuitò factum, sibi persuadere.*

Neque posterior Cõfirmatio satisfacit Fœderatis.

His dictis denuo rogauit, an Chirographum aliud apud ipsos esset. Negarunt illi: ac subiecere. *Nullius esse ponderis, quæ deessent. In eo, quod præcipuum erat, ac tantopere Fœderati exigebant, ut nempe liberi appellarentur, iam ipsis factum satis. De Hispanicâ linguâ, & Regis subscriptione, non esse quod immutari contenderent: quandò is esset Hispanici regni ritus cum Regibus, ac Principibus cunctis seruatus. Eam ergo consuetudinem Belgæ Hispaniæ relinquerent: ut Hispani Belgis Belgicas relinquebant. Relicturos se.*, responderunt, *postquam Verreychius eis ostendisset, uti pollicitus fuerat, Gallica, Anglicaque Pacis Chirographa eâ ratione scripta, atque subscripta.* Illud etiam Fœderati quæsierunt: an ubi maiorem tractationem inirent, sibi, tanquam liberis, liberum futurum esset ea cuncta recusare, quæ contra suam libertatem proponerentur. Responderunt hi: cùm liberi forent, ut liberos se gesturos. Id verò opportuniùs in tractatione declaratum iri. Certum tamen ipsis esse debere; non conueniente concordiâ, utramque Partium in suo iure mansuram. Ad extremum cùm illi dicerent: De rebus actis omnibus ad maximum Ordinum Conuentum referendum; ac breuì datum iri responsum: congressus solutus est.

Ab Archiducum Internuncus defenditur.

Per eos dies Ordinum Commissarius (ut appellant) Archiducis Internuncios adijt, retulitque: imperatum sibi, ut Hispanos unum & viginti, captiuos in Hollandiâ, Antuerpiam perduceret. Præcipuos ex ijs Petrum Velascum, & Consaluum Fernandium. Pro illo soluisse Ordines eis, quorum intererat, sexies mille florenos. Compertum quòque clandestinis literis ex Verreychio: Gallicum Regem Mauritij Comitis operâ concordiæ aduersari: atque hunc dictitare solitum: Ordines, si se audiant, attentè perpensuros, quid agant: neque facilè fidem habituros.

Galliæ Rex, & Mauritius Paci aduersantur.

Re tandem in frequentibus Ordinum Senatibus, cumque Regum Fœderatorum Oratoribus diu, multumque consultatâ; quarto

Nouæ Fœderatorū querelæ de regio chirographo.

to Nonas Nouembris Neyo, ac Verreychio huiusmodi responsum datum. *In posteriore Confirmatione Regiâ non solùm linguam, & subscriptionem non placere: sed multa quoque verba addita, multa detracta contra formam ab Ordinibus traditum. Sed illam præ cæteris clausulam tolerari non posse, quâ Rex pronunciabat: Si præcipua tractatio Pacis, aut longiorum Induciarum, in quâ tam de Religione, quàm de rebus alijs controuersis agendum esset, minimè procederet, neque Pax, aut tales Induciæ sancirentur: eam libertatis declarationem irritam fore; neque quidquam Regi, atque Archiducibus de pristino iure decessurum, aut Fœderatis accessurum. Eam conditionem appositam magno fuisse Ordinibus incitamento, ut institutam tractationem dissoluerent. Ne tamen tam pium negotium, atque uniuerso Belgio tam salutare praecideretur; ab eisdem decretum, ut id Chirographum singulis Prouincijs inspectandum mitteretur: eoque perspecto, post sex hebdomadas significarent, an iri in tractationem concordiæ placeret. Disertissimis verò verbis testari, nullo unquam tempore se quidquam admissuros, quod ullâ ratione regia illi Confirmationi, Archiducumque promissis aduersaretur, aut intelligi posset aduersari. Quod si tractatio promoueretur, certò sese confidere, nihil in eâ vel Regis, vel Archiducum nomine propositum iri, quod præsentem suum publicum statum læderet, aut Ciuium saluti minus consentaneum foret.*

Post hæc ut Regium autographum, ex Archiducis sponsione sibi traderetur, Ordines postularunt. Negauere illi id præstare se posse. Traditum ipsis exemplum, quo existimare deberent, sibi factum satis. Vehementer ad hoc responsum commoti, tumultuari cœpere, conclamantes: *Id verò esse totam tractationem abrumpere. Cùmque tam disertè Chirographo adiecta foret conditio: neutram Partium quidquam detrimenti passuram, si concordia minimè firmaretur; non videre se cur exemplar denegarent; nisi ad nectendas moras, spatiumque captandum, ut nouis artibus fallerent.* Eòque progressa hæc suspicio, ut parum abesset, quin res tota pessumdaretur. Quare opportunius censuere Internuncij, tumultuantibus non obluctari. Ac Neyus in se recepit, Bruxellas excurrere, & super eâ re voluntatem Archiducum explorare. Quod ubi est exequutus; Archiducibus, Spinulæ, cæterisque Consiliarijs visum fuit, non ob eam rem tractationem præcidendam; animo præsertim reputantibus; autographum ipsum, si Pax eueniret, in eorum potestatem permissum iri; sin minùs, nullam vim habiturum.

Reversus Hagam Neyus, in Senatu renunciauit ab Archiducibus: *Concedere ipsos Fœderatis Regiæ Confirmationis exemplar, cum his tamen conditionibus. Primò, ut acceptionis indicem syngrapham darent.*

Lavicenata.

1607. *darent. Deinde ut eâdem profiterentur, in assensu Regio impetrando sibi ab Archiducibus factum satis. Ibidem postremò pollicerentur, si minùs concordia succederet, se reddituros.* Neque huic traditioni conditionibus obligatæ Ordines acquieuere. Secundam præcipuè, tertiamque recusarunt: illam, quòd Confirmatio Regia non talis esset, qualem Archiduces promiserant, hoc est Fœderatorum formulæ congruentem: hanc, quia si Pax non constitueretur, effectus nullus Chirographi futurus erat: quod perinde censendum, ac non habere. Hàc autem ambitione Fœderati tenebantur (quod ipsorum non nemo scripsit) ut pignus illud imperij, quasi Palladium libertatis, apud se perpetuum esset.

Bendius lib. 1.

HAEC illorum in omni suorum commodorum puncto mordicus obtinendo peruicacia: & nolle in re quantumuis minimâ quidquam sui iuris concedere: cùm contrà Archiduces, ac Rex Hispaniarum tantum de suo concessissent, ac penè de maiestate declinassent; supra quàm dici possit, altè, acriterque Internunciorum animos vulnerauit. Verùm tam ardens erat, in Neyo præsertim, illius ad exitum perducendæ concordiæ desiderium: ut sensu doloris, atque indignationis dissimulato (quandò aliter res procedere non poterat) non dubitarit hic se rursus offerre, ad iter eius rei gratiâ Bruxellas versùs repetendum. Iuit, rediuit, retulit ab Archiducibus liberam facultatem Regium autographum sine ullâ prorsus conditione in manus Ordinum tradendi. Ægrè admodum dijudicare quis possit, maior-nè fuerit Fœderatorum in postulandis omnibus, atque extorquendis, quæ forent è re suâ, confidentia, & pertinacia: an Archiducum in concedendis omnibus, quamuis sibi parum utilibus, aut honorificis, facilitas, atque indulgentia. Sed extrema belli pernicies tot annos tam luctuosè tolerata, & Pacis in misero, discerptoque Belgio summa necessitas res ad huiusmodi conditiones compulere.

Regium autographu traditur Fœderatis.

HIS in hunc modum constitutis, Neyus, & Verreychius Bruxellas; Delegati ad suas quique Prouincias reuersi sunt: atque hi quidem cum Ordinum mandatis; ut quæ gesta erant in habitis Conuentibus, ad suos Populos relatis, eorumque rogatâ sententiâ de tractatione Pacis, aut maiorum Induciarum; quarto Idus Decembris Hagam iterum conuenirent. Antequam ijdem discederent; allatæ sunt ab Imperatore Rodulpho Secundo literæ ad Ordines Fœderatorum septimo Idus Octobris datæ. Commemorabat in eis Cæsar: *Quanto conatu, atque ardore Maximilianus Pater Belgicis motibus, belloque tam exitiali finem imponere studuisset: quantum ipsemet curæ, ac sollicitudinis ad eumdem finem impendisset. Id manifestò testari Fœderatis missos abs se toties eam ob causam*

Querelæ Cæsaris cum Fœderatis de rebus se inscio actis.

sam legationes. Iam verò se inconsulto, se inscio, non modò cessationem armorum ad certum tempus institutam; sed condictam quòque tractationem perpetuæ Pacis, vel Induciarum ad multos annos: id verò sibi valde nouum, ac mirum accidisse, nec nisi ægerrimè ferendum. Imò (quod magis videatur obuiàm ire Maiestati, ac iuribus Romani Imperij) voluisse Prouincias Fœderatas ab Archiducibus, aeque ab ipso Hispano Rege liberas, & nulli subiectas declarari: cùm tamen nemini ignotum, aut dubium sit, Belgium esse Sacri Feudum (ut appellant) Imperij: quemadmodum ex Cæsarum tabulario, publicisque monumentis apparet. Quamobrem intelligerent Ordines, nisi de consensu, & auctoritate Cæsaris, nihil in eâ re ab ipsis innouari posse, aut immutari. Quidquid secùs factum fuisset, aut fieret; irritum prorsùs, ac nullius ponderis futurum. Idcirco optare se certiorem ab ipsis fieri, quò res usque essent progressa; qua mens, quod-ve consilium in posterum: nè quid maiestas Imperij detrimenti pateretur. Denique suo se iure postulare, nè sinè assensu suo negotium promouerent, aut aliud quid aggrederentur, quod imminutum iret Cæsaream auctoritatem. 1607.

De illis variæ sententiæ.

QVAMVIS hæ literæ tam apertam continerent de Fœderatis querimoniam, & rerum gestarum redargutionem: uti tamen humana ingenia prona sunt ad quærendum in scirpo nodum, ac suspicionum umbras in mediâ luce fingendas; non defuere, qui crederent, scriptas eas ad eleuandam eorum, quæ in maiori tractatione sancirentur, auctoritatem, ubi propria cuiusque Partis utilitas posceret. Factum id quòque consilio Regis Hispani, ac velut ex condicto, suspicio fuit. Alij verò interpretabantur, mentem Cæsaris esse, fœderatas Prouincias à Burgundico principatu eâ tractatione diuulsas, in ditionem Imperij reuocare.

Apud Baudium.

Apud Gasparem Ens.

Responsio Fœderatorum.

AD eas literas Ordines sub initium sequentis anni responderunt. *Mirum sibi pariter accidisse, Maiestatem Cæsaream neque ab Rege Hispaniarum sanguine tam propinquo, neque ab ipso germano Fratre Alberto Archiduce factam certiorem de re tanti momenti, atque ad ipsos non minùs, quàm ad Fœderatos spectante. Id si priùs in suam notitiam peruenisset, nunquam se fuisse commissuros, ut officium tam æquum, tam conueniens à Cæsare desideraretur. Replicaret memoriâ, quoties & antè quàm Belgio præficeretur Matthias Archidux, & quando præfuit; implorata fuerit, sed frustra, Cæsarea Maiestas ad subleuandos Belgas pressos Hispanico dominatu. Illud etiam meminisset, quod se auctore, ac sequestro actum fuerat anno salutis millesimo quingentesimo septuagesimo nono: cùm ab suis Legatis omni ope tentatum reconciliare subiectos Populos Principi suo Regi Hispaniarum. Sed in nihilum ea tentamenta recidisse, quòd eodem tempore hostilia in Belgas exercebantur. Quare coactos se fuisse summis malis extrema*

adhi-

1607. *adhibere remedia: Edictoque promulgato, absoluere se sacramento, quo Philippo Regi semet obstrinxerant. Exinde Prouincias aliquot fœdere coniunctas se gessisse pro liberis; & liberas postmodum à multis Regibus, Principibus, ac Rebus-publicis habitas. Ad eam libertatem tuendam, bellum ingens multos annos continuatum aduersùs potentissimos Hostes, cum incredibili ex utrâque parte tum pecunia, tum sanguinis profusione. Cùm tamen eodem tempore, tam Cæsari, quàm alijs Principibus testarentur; nihil sibi magis esse in votis, quàm stabilem, atque honestam Pacem. Sed eam non alio se pacto unquam amplexuros, quàm ut empta tam carè libertatis possessores haberentur. Quare cùm recentissimè Albertus, atque Isabella Archiduces concordia tractationem obtulissent; illam non antè inire voluisse, quàm ab ijsdem publicis, atque obsignatis literis liberi Populi nominarentur. Quam declarationem ab Rege quòque Hispaniarum tres intra menses confirmatum iri, pollicitos eosdem, præstitisse. Caterùm se minimè dubitare, quin Cæsar, aliíque Imperij Principes, pro suâ in Belgas perpetuâ voluntate, hanc Pacis, hoc est communis quietis, & securitatis tractationem æqui boni-que facturi sint; adeòque promoturi, ut expetitum à bonis omnibus exitum consequatur.*

TALE responsum Ordinum fuit; eâ prætermissâ epistolæ Cæsareæ parte, in quâ feudum Imperij Belgium dicebatur: ideoque, si quid sinè ipsius consensu de suo statu Belgæ constituissent; irritum futurum. Causam eius prætericionis hanc alij afferunt: nè quæstione intempestiuâ in medium productâ, mora rebus, quæ rùm agitabantur, inferretur. Alij, quòd cùm se armis Fœderati contra potentissimum Regem in libertatem vendicassent, & difficillimis temporibus subsidium à Cæsare frustra postulassent; non videbant, cur se subiectos Imperio declararent. Alij, *quia & refellere odiosum, & fateri inglorium.*

Gaspar Ens.

Baudius, & ex eo Thuanus.

Grotius.

SVB huius anni finem Daniæ Regis in Belgium venère Legati, Iacobus Vlefeltius Regni Consiliarius, & Ionas Charisius Iuris-consultus; ut Fœderatos consilijs suis in Pacis tractatione iuuarent: cùm paulò antè tres è Daniâ Legati Fœderatorum, peracto suo munere, redijssent in Belgium; Iacobus nempe Boulenius, Nicolaus Simonius, & Iacobus Magnus. Brandeburgensis quòque Cæsarum Elector Hieronymum Discouium, qui erat ipsi ab arcanis consilijs, ad Ordines legauit. Palatinus item Septem-Vir Hippolytum à Collibus, Consiliarium, & Iudicem Aulicum. Et Hassiæ Lantgrauius (ut vocant) & alij Germaniæ Principes Legatos Hagam Comitis miserunt. Perinde quasi Pacis hæc tractatio omnium interesset. Nisi potiùs fœdus, & amicitia, quæ ipsis cum Belgio fœderato intercedebant, in re tanti momenti tran-

Variorum Legati Principû in Belgium veniunt.

 si-

figendâ, hæc Legationum officia postularunt. Hi Principes, alijque Reges, Gallicus nempe, atque Anglicus pro varietate suarum utilitatum, ac prout erant, vel erga Hispanos, vel erga Fœderatos affecti, variè quòque de Pace sentiebant. 1607.

Gallici Regis sollicitudo de Pacis tractatione.

HENRICVS præcipuè Galliarum Rex magnâ sollicitudine in eam tractationem imminebat. Miserat iam (ut antea dictum) lectissimos Oratores. Finis ei propositus verior, interiorque, ut in partem negotiationis veniret, atque auctoritatis suæ metum Hispanis insinuans, eos adigeret ad ipsum confugere, eumque suarum controuersiarum Arbitrum constituere. De rei autem exitu; quem sibi potiùs duceret expetendum, valde ambiguus animi erat. Vt omni concordiâ desperatâ, bellum atrocius resurgeret, sibi commodius opinabatur. Sic enim & Hispanorum vires attererentur quotidie magis: & si fortè Belgium is uniuersum amitteret, eius reliquæ Galliæ rursus adiungendi posset in spem venire. Contrà verò eam Pacem, ut alijs, ita suo quòque Regno salutarem existimabat; ubi in animum incurrebat ætas sua decliuis in senium, Filiorum immatura bellis; ciuiles motus in Galliâ nec inusitati, nec contemnendi, præsertim si quid sibi humanitus accideret. Sed neque finitimos Belgas, submoto bello futuros terrâ potentiores, ut mari iam erant; facere videbat admodum in rem suam. Siquidem sui Regni Sectarijs, ac rebellibus expeditum, paratumque in proximo fuisset Hæreseos in Belgio quietæ, ac securæ subsidium. In hac alternatione votorum, atque ancipiti mente positus Henricus, ad inspectandos sollicitè tractationis progressus, totus incumbebat. Neque quidquam à Fœderatis se inconsulto constitutum iri, sibi facilè persuadebat, ob summam apud eos auctoritatem suam. Ad hoc negotium scitè, accuratèque peragendum aptissimos miserat (uti memorauimus) suæ voluntatis Administros Ianinum, & Roissium. Vterque pedem fixerat Hagæ Comitis, ubi Fœderatorum Conuentus habebantur: uterque tractationis particeps erat. Ianinus verò potissimùm in partes omnes intentus, quidquid eueniret, circumspectabat: atque in intimam negotiationem se magis, magisque insinuabat in dies. Id quod Archiducibus, atque Hispanis suspicionum fomitem, ac sollicitudinum suggerebat. Et iam utrique in animum inducebant, sine Gallici Regis auctoritate non posse id negotij ad exitum perduci. Quod ab eodem Rege significatum videbatur, cùm redeunti ex Hispaniâ in Belgium Commissario Neyo conquestus est; quòd in eâ tractatione Concordiæ tantùm progrederentur Catholicus Rex, atque Archiduces, re tali secum minimè communicatâ.

Mi-

1607. Minor erat Anglici Regis sollicitudo: maior, ut bellum prorogaretur, propensio. Ipse namque, quamuis finitimus etiam Belgis Fœderatis, ab eorum potentia Regnis suis metuere non poterat, quæ mari satis essent circumuallata, hæresique scatentia non minùs, quàm illa pars Belgij, eâque coniunctione secura. Angli quòque, Scotique Fœderatis magno numero militantes, eos in amicitiâ retinebant. Ab Hispano magis timendum Anglico nomini videbatur; quòd ille Belgico bello expeditus, arma vertere poterat ad tutandam Hiberniam Catholicis frequentem, Catholico Regi amicam, Anglis infensam. Verùm Iacobus Rex ad studia literarum, quàm ad arma, procliuior cùm esset; & contra Catholicos calamum vibrare promptior, quàm gladium: & pugnare magis gauderet cum feris, quàm cum hominibns; ad Pacem in Belgio statuendam, credebatur ipse etiam tandem inclinaturus. Quò & illum trahebat pecuniarum penuria, ob quam admodum leuia potuisset Fœderatis bellantibus ferre subsidia. Parum quippe conueniens ducebat existimationi regiæ, bellum suadere consilio, & auxilio non fouere. Non ideo tamen minoris faciendum Fœderatis cum eo Rege fœdus, & amicitia; quandoquidem ex eius Regnis assiduæ ipsis (uti diximus) Copiæ suppetebant. Quamobrem & ubi primùm venerunt in Belgium eius Legati, libenter admodum, atque honorificè excepti; & participes consiliorum, ac rerum subinde gestarum effecti; & in Conuentus frequenter adsciti. Regis Anglici de eadem sensus.

Cvm hi, alijque Principes eam Pacis tractationem per suos Legatos accurarent: plures tamen Aduersarij eiusdem erant, quàm Fautores. Imò tum amici Hispanæ, Austriacæque potentiæ, tum eidem infensi, nè Pax illa componeretur, optabant. Hi ut Belgico bello tam pertinaci, tam sumptuoso, tam pernicioso, Hispanicæ vires, & dominatus paulatim attenuarentur: atque arma contra eos Hostes admodum occupata, aduersùs alios vel nulla essent, vel inualida. Illi verò, quòd conditiones eius concordiæ parum dignæ videbantur tanti Regis maiestate; quæque multum de Hispanâ existimatione detraherent. Iidemque tantam Fœderatorum in suis commodis obtinendis, ac peruincendis omnibus superbiam ferre non poterant. Quare non temere Marchio asseuerabat: *In distnrbandâ Pace plus sibi negotij Amicos facessere, quàm Hostes*. Rectèque coniectatum à Sapientibus fuit: *Magni emolumenti eam Pacem fore, ad quam impediendam tantos adhiberent conatus Hispanorum æmulatores; & contra quam cuncti ferè Europæ Principes coniurasse viderentur, nè scilicet bello vacuus, & quietus regnaret Hispanus.* Hispanorum tam Amici, quàm Hostes Paci aduersati.

Ex lit. Spinulæ ad Viuam, 22. Decembr. Viuæ ad Spinulã, 17. Nou.

xx 2 Iam

Provinciarum Delegati conuentus habent.

Quid in eis actũ.

IAM Prouinciarum Delegati Hagam conuenerant, ex ipsarum sententiâ definituri, an ineunda Pacis tractatio. Igitur decimo tertio Calendas Ianuarias in Senatum frequentissimum coëuntes; suæ quisque Prouinciæ, aut Ciuitatis, quæ suffragij ius haberet, protulere in medium mandata. Ea verò ferè cuncta eiusmodi erant. *Quamuis in Regiâ Confirmatione vitium aliquod deprehensum fuisset; tractatio tamen siue de Pace, siue de Inducijs diuturnis cum alterius Partis Delegatis susciperetur. Verùm illud in vniuersâ negotiatione maneret immotum, atque inconcussum: nihil ut unquam vel Hispano Regi, vel Archiducibus concederetur, quod Prouinciarum libertatem imminutum iret, aut in statu tam Religionis, quàm Res-publica supremum earum ius, atque imperium violaret.* Dies aliquot supremus Ordinum Senatus eâdem super re habitus: cui præter Nassauios Comites Mauritium, atque Guillelmum, interfuere Gallicus, Anglicus, Danicusque Legati. Nam Palatinus nondum aduenerat, & Brandeburgicus ante illius aduentum quidquam agere vetitus à suo Principe. In his Conuentibus re diu, accuratèque discussâ, tractationem tandem instituere decreuerunt. 1607.

Statuitur tractatio Pacis, aut Induciarum.

Agitur de congressu Delegatorum, & eius loco, ac tempore.

IGITVR Ordines ad Archiduces nono Calendas Ianuarij ita scripsere. *Fœderatorum Rem-publicam paratam in tractationem Pacis, aut longiorum Induciarum venire, cum eâ tamen exceptione, quam antea per literas significauerant Ordines: nihil ut in illâ proponeretur, quod statum publicum læderet, aut saluti Ciuium obesset. Quòd si ipsi etiam in eamdem sententiam venirent; intra decimum diem suos mitterent Delegatos cum plenâ potestate, atque auctoritate ab se, atque ab Rege Hispaniarum eis demandatâ. Se quòque delecturos pares numero Delegatos, omni instructos facultate, ut breui negotium absolueretur. Hagam Comitis locum videri habendis eiusmodi congressibus maximè commodum. Namque & Ordinum supremos Conuentus ibi solitos cogi; & Prouinciarum suffragijs identidem colligendis nullam Vrbem, aut Oppidum opportunius: & eorum, qui accerserentur è singulis locis, multitudinem non pati remotiorem sedem. Quoniam verò cessationis armorum finis instabat, pridie scilicet Nonas Ianuarij; viderent, an è re communi foret, eamdem in mensem vnum, aut sex hebdomadas prorogari; siquidem tractationem habendam censerent. Has demum literas pro Fœderatorum consensu in tractationem futuras: quemadmodum responsum pro Hispani Regis, atque Archiducum assensu.*

HARVM exemplum Neyo, ac Verreychio misère cum exemplari, rogantes, ut hoc Archiducibus redderent. Quòd si Archiduces delegaturi aliquot essent; orarent Ordinum nomine, ut illorum numerum, nomina, diemque profectionis significare-

1607. nè grauarentur; quò ipsorum itineri maturè consuli posset. Nisi potiùs (id quod euentus docuit) ut reijcere maturè licêret, quos ad rem suam facere non putarent.

TAM læto vulgato nuncio Bruxellis, ac per Belgium totum, magnis Populi lætitijs exsultare: quasi non tractatio Pacis, sed Pax ipsa constituta. In rebus quippe, quæ vehementer optantur, ac magni sunt emolumenti, propositio ipsa, vel certior spes censetur in fructu. Par tamen gaudio sollicitudo fuit Archiducum, & Spinulæ, idoneos tantæ rei Ministros eligendi. Cæteros verò ingens tenebat expectatio, animique suspensio: quinam præ alijs non modò in Aulâ Bruxellensi, sed per uniuersum Belgium, quod Archiducibus parebat, iudicarentur ab optimis rerum, ac personarum æstimatoribus tanti ponderis negotio pares. De principe Delegatorum, totiusque negotiationis Capite, non diu deliberandum, aut quidquam dubitandum Alberto fuit. Nullus enim in mentem venire debuit, aut potuit prior ipso Marchione: cuius prudentiæ, industriæque iam tùm à primâ spe tractationis instituendæ, Archiduces ipsi; postmodum verò Rex de re factus certior, omnibus ferè literis tam suis, quàm suorum, molem uniuersam imposuerant, & commendauerant. Vt nempe qui tantum adhibuerat diligentiæ, tantum laborum, ac vigiliarum impenderat; nè prima tractatio, & quasi quædam præparatio maioris, abrumperetur (quod periculum frequenter impendebat) aliquo veluti fructu annuæ operæ suæ, tolerantiæque gauderet, præcipuam tractationem administrando: suasque omnes iudicij, atque industriæ vires in re momenti tanto maioris exereret.

Pro Catholicis Princeps Delegatorũ eligitur Spinula.

LONGE alia mens erat Marchionis ipsius: quam pluribus epistolis ad Regem, Regiosque Administros, aliosque Amicos datis disertissimè declarauit. *Existimationem namque suam*, dicebat, *magnum in discrimen obijci. Rem esse plenam alea, summisque difficultatibus impeditam. Fortunam sibi sperare non posse admodum secundam.* Illud tamen addebat: *Hæc omnia pericula, labores, infortunia, libenti se animo Archiducis iussu, in Regis obsequium subire: cuius causâ nè vitam quidem profundere dubitaret. Nè videlicet ullo unquam tempore obiectari posset, per ipsum stetisse, quò minùs Pax, aut Induciæ sancirentur: plurisque factam ab eo existimationem suam, quàm regia commoda.*

Inuitus assentitur.

HAEC, atque talia cùm ad Salinarum Comitem inter cæteros
28. Ianuar. perscripsisset, hoc ab illo responsum tulit. *Si quid eius nomen, &* Ad id animatur ex Hispania.
26. Febr. *magna opinio discriminis adiret, ineundo tractationem; felicem, qui sperabatur, rei exitum longè maiori gloriâ compensaturum. Nec tanta*

ta molis opus committi debuisse nisi summa Viro auctoritatis, atque existimationis in Belgio. Par fuisse, ut qui tam salutari non uni Nationi negotio felix dedisset initium; feliciores progressus suâ magnanimitate, ac prudentiâ peperisset; exitum quòque felicissimum eidem imponeret. Nouam illam Belgij felicitatem, Europa quietem, ac tranquillitatem, secundùm Deum, Spinulæ Marchioni acceptam referendam. Hispaniam verò potissimùm, in quam ex eâ Pace plurima redundabant emolumenta, quaque præcipuè ad eam continenter anhelabat, ob tam grande beneficium eidem obstrictam perpetuò fore. 1607.

Rex ei propterea gratias agit.

SED & ipse Rex, ubi compertam habuit hanc Marchionis deuotam in Regium obsequium voluntatem, incommoda, & pericula omnia conculcantem; suarum esse partium existimauit, eam illaudatam minimè præterire; fidelisque operæ alacritatem verborum saltem gratâ expressione remunerari. Quod sanè in Principibus magnis maximi faciendum: quibus qui præstant obsequium, gratias debent. Datis igitur ad eum literis, ingentem se cepisse voluptatem testatur, quòd Albertus Archidux in numero Delegatorum elegisset ipsum, & Mansicidorium, Viros tam exploratæ fidei, tamque ardenter Diuini, Regijque obsequij studiosos: quòdque ipse impositum onus minimè detrectasset, sibi fuisse lætissimum. Eoque nomine se maximas ipsi gratias habere. Neque hâc ad Spinulam datâ significatione contentus, alteram eâdem die ad Archiducem epistolam dedit: quâ commendauit in primis duorum eorumdem Delegatorum electionem.

Marchionis laus à Scriptore Fœderatorum.

Quinetiam Fœderatorum Scriptor, qui hanc Induciarum Historiam fusè narratam Fœderatis Ordinibus dedicauit; dum de Marchione agit ad congressus ante omnes electo, hoc Elogium prodidit memoriæ posterorum. *Ambrosius Spinula, aurei Velleris Eques, Marchio Venafri, Dux Sanseuerinus, Regiæ militiæ Imperator; cuius nomen, & decus consecratum est immortalitati ob egregia facinora, quæ bello designauit; Vir inuicti laboris, animo, & spe ad omnia summa natus, à vitijs integer, præclarisque subornatus virtutibus, quarum ope Familiam veterem, & illustrem in tantum claritudinis euexit, ut nemo Maiorum sit cum eo comparandus.*

Dominicus Baud. initio lib. 2. de Induc.

Delegatorum Secundus Ioannes Mansicidorius.

Eiusdem laus.

ALTER pòst Marchionem designatus ad tractationem fuit modò memoratus Ioannes Mansicidorius, qui à Secretis erat Archiduci in bellicis rebus: satis compertâ clarus integritate, magnâque in Belgio experientiâ: quippe qui apud Albertum eo functus officio fuerat, ex quo primùm Belgium gubernauit Cardinalis. Ingentis penès eumdem erat existimationis, ob singularem in agendo fidem, in loquendo sinceritatem: quòdque profusus in cogitationibus esset, parcus in verbis. Moderato erat ingenio,

quo

1607. quo præsertim auctoritatem suam ab omni ostentatione coërcebat: sed quantò eam premebat modestiùs, tantò stabiliùs confirmabat. Ob multa, ac magna promerita postremis temporibus in supremum belli Concilium ab Rege cooptatus.

IOANNES Richardotus priuati Concilij Præses, Delegatorum tertius fuit. Vir ob insignem prudentiam, agendique dexteritatem, magni momenti negotijs impositus, iam cùm à Parmensis Ducis præfecturâ, ab omnibus, qui Belgium gubernarunt. In Pacis præsertim tractationibus æquè fortunatus, ac sapiens; Gallicam, Anglicamque concordias postremas optatum ad exitum perduxerat. Vt merito suo, atque in spem paris successûs, ad Belgicam quòque negotiationem eiusmodi fuerit destinatus. Tertius Ioannes Richardotus.

QVI socius ei adiunctus fuerat in duabus eisdem tractationibus Ludouicus Verreychius, par erat, ut in hâc etiam tertiâ illum comitaretur. Obibat is iam diu munus principis eorum, qui Archiducibus erant à Secretis in Politicis rebus; & quidem summâ cum laude tum prudentiæ, tum probitatis. Ad hanc verò tractationem aditum sibi iam pridem aperuerat, cùm in Hollandiâ quædam eiusdem iecerat fundamenta. Ludouicus Verreychius Quartus.

SED nulli hoc nomine magis ea debebatur, quam Commissario Franciscanorum Neyo: qui ut illa tandem aliquando decerneretur, annum fermè solidum laborauerat: tot itinera inter Hollandiam, Brabantiamque, contrariarum Partium prouincias, ultro citroque commeando pertulerat: in Hispaniam ipsam perrexerat: tantum patientiæ, dissimulationis, dexteritatis adhibuerat: tot denique, ac tam arduas perruperat difficultates, tot incommoda deuorauerat. Quare constituta tractatio quantùm in præscripto, ac molitione Spinulæ, tantùmdem in executione Neyo referri debuit accepta. Ioannes Neyus Quintus.

DE his Archiducum Delegatis ubi facti sunt certiores Ordines Fœderatorum; tres quidem postremò recensitos sinè ullâ exceptione receperunt: duobus verò primis aliquamdiu repugnarunt, quòd exterarum essent Nationum, non Belgicæ. Quasi verò in tractatione Pacis, quæ cum Hoste haberi solet, nisi inter eiusdem Patriæ, ingenijque Homines conuenire non possit. Sed veriùs fortasse valde sibi timebant à solertiâ tum Italorum communi, tum propriâ Marchionis; atque ab eiusdem diligentiâ, & ardore in Regijs emolumentis promouendis, vel apud Hostes celebratâ. In Mansicidorio autem ipsum Hispanum nomen odiosum erat: quod ita infestum fuerat Fœderatis in diuturno bello, ut esset non minùs in ipsâ tractatione Pacis formidandum. Persistente tamen Alberto in suâ electione, Ordines de consilio Legatorum eam usquequaque sunt amplexi. QVAM-

Meursius. Baudius. Grotius.

Primis duobus parumper obsistūt Fœderati.

Anno 1608.

QVAMOBREM ineunte anno millesimo sexcentesimo octauo, prorogatæ in sex hebdomadas Belli feriæ. Catholici verò Delegati Bruxellis discessere quinto Calendas Februarij: Liramque in Brabantiæ finibus eodem die tenuere. Inde Hollandiam ingressi, Hagam denique Comitis peruenere Calendis. Vt dignis eos honoribus exciperent Ordines Fœderati, iussere primùm Iustino Nassauio Bredano Gubernatori, ut unà cum Præfecto Bergæ ad Zomam Marcello Baxio, turmis aliquot Equitum comitantibus, obuiàm Spinulæ, ac Socijs Liram usque procederet. Id humanissimè præstiterunt: eosque per suas Vrbes Bredam, Dordracum, Roterodamum, Gertrudisbergam, Delphos perhonorificè deduxerunt, toto itinere de publico alentes. Ad Marchionem de facie cognoscendum, quem ex famâ victoriarum, & damnis suis satis superque nouerant, ingentes ubique locorum facti concursus. Namque Hostis ipsius virtutem admirati, lætabantur aspectu.

Omnes tamẽ Hagam adeunt.

Humanissimè, lautissimeq; excipiuntur.

Meursius. Baudius. Grotius.

VBI ad Pagum Risuicum, leucæ dimidio Hagâ distantem, peruentum est; Mauritius Comes obuiàm prodijt, ingenti numero Propinquorum, primæque Nobilitatis flore circumseptus. Ad primum obtutum, quem in se mutuò coniecere hi magni militiæ Duces, ætatisque suæ vix ullo inferiores, vehementer immutasse vultum ab ijs, qui circumstabant, deprehensi sunt. Summa quippe alterius de altero existimatio, tot virtutis argumentis confirmata, & per conspectum animis impressa validiùs; magnos in eis motus excitauit, quorum indicia vultus prætulere: quasi uterque timeret in bellicis laudibus à tanto æmulatore superari; vel utrumque puderet, parem inuenisse. Veteris verò memoriæ petitis obuersatus menti tunc est celeberrimus ille Scipionis, Annibalisque congressus: cùm duo clarissimi Imperatores se propiùs aspicientes, *Stetere diu mutuâ admiratione defixi*. Quòd si de illis gloriosè iactatum: *Non fuisse maiorem sub Imperio Romano diem*: de his quòque potuit affirmari, post tristissimam illam diuturni belli Belgici tempestatem, nullum eo lætiorem affulsisse Solem, qui patefecit hæc duo belli fulgura in unum coacta, ad Pacis lumen feliciter præmonstrandum. Addunt aliqui verba, quibus se primùm consalutarunt, humanitatis, atque honorificentiæ plenissima. Mauritium priorem dixisse ferunt. *Deum, cuius ad imperium Sol illucesceret, quique humanarum cogitationum intima perspecta haberet, optimè nosse, quàm gratus, optatusque ipsorum esset aduentus, atque conspectus. Tempus quòque, cuius filia veritas est, fidem suis verbis facturum; neque unquam se diffidentiis ab animo lingua reprehensurum.* Spinulam verò respondisse. *Fortunatam illam*

Spinulæ, Mauritique congressus memorabilis.

Qualis olim Scipionis, & Annibalis.

Liuius Dec. 3. lib. 10. Florus lib. 2. c. 6.

Mutua verba officiosa.

Gaspar Ens, & ex eo Haraeus Anno 1608. Baudius lib. 2.

1608. *illam diem adeo suam spem, ac vota implesse, ut facultatem ademerit quidquam in posterum sperandi vehementiùs, aut optandi. Diuina verò clementiæ se confidere, opportunitatem daturam, pro tam effusâ humanitate sibi ab Excellentissimo Principum, quos aspiceret Sol, exhibitâ, gratum sese præstandi, ac paria referendi.* His, alijsque officij significationibus ultro, citroque datis; Spinulam rogauit Mauritius, ut in suam rhedam ascendere nè dedignaretur. Ascendit, atque ad dexteram acceptus est. Pari comitate Mansicidorium excepit Guillelmus Comes: Richardotum Henricus Fridericus: Neyum, & Verreychium Ernestus, ac Ioannes Nassauij, & iunior Comes Hoenloius.

Honores quibus affecti Archiducum Delegati.

IN hunc modum Archiducum Delegatos hi principes Viri, magnâ comitante Nobilium cateruâ; non Hagam modò, sed ad hospitium usque illis destinatum, honorificentissimè deduxere. Viæ omnes tam extra, quàm intra eam, obseptæ multitudine confluentium ad Viros famâ clarissimos, & Pacis tam expetitæ auspices intuendos, ac venerandos. Postero etiam die cumulauit eos inuisendi honore Mauritius. Cuius exemplum sequuti (uti par erat) Ordines Fœderati. Nec suam in eo urbanitatem desiderari sunt passi Gallicus, Anglicusque Oratores. Idem præstitere perendie Danicus, Palatinus, Brandeburgicus, Coloniensis Legati. Denique primi quatuor ab aduentu dies his humanitatis officijs exhibendis, reddendisque traducti.

Delegatorum à Fœderatis nomina.

SVOS interea Delegatos nominauere Fœderati. Communi quidem Prouinciarum nomine duos: Guillelmum Comitem Nassauium, primum Mauritij Patruelem, Frisiæ Præfectum; & Valrauium Brederodium Brederodæ, Vianæ, aliorumque locorum Dominum, atque ex veterum Hollandiæ Comitum Stirpe. Singillatim verò Hollandiæ nomine electus fuerat Ioannes Barneueltius, sæpe suprà memoratus, Tempelæ, & Roderisæ Dominus, prouinciæ Patronus, magnique sigilli, ac tabularij Præfectus: Zelandiæ Iacobus Maldereus Eques, Heiesi Dominus: Geldriæ, Zutphaniæque Cornelius Gentius, Loenæ, ac Meinersuici Dominus, Prætor, & Iudex Nouiomagensis: Vltraiectensis ditionis Nicolaus Berchius Concilij Præses: Groninganæ Abelus Condersius Elpeni, Fani, & Cantij Dominus: Frisiæ Gellius Hillema, Curiæ Consiliarius: Transisalanæ Ioannes Slothius Salichij Dominus. His omnibus unà cum Mauritio Comite, & Regum, Principumque Legatis Spinula regale planè conuiuium apparauit. Neque hîc prætermitti debet, quod Fœderatorum Historicus de Spinulâ Hollandorum Hospite scriptum his verbis reliquit. *Postquam distributa ex dignitate hospitia, & pretiosam supellectilem, cunctaque*

Ioann. Meursius de Inducijs.

Grotius initio lib. 17.

Marchionum Spinularum splêdor.

parata ostentui explicare Dux Italus cœpit; mirum dictu, quantus quotidie hominum ultimâ ex Hollandiâ concursus, qui ministeria, qui mensam, qui ipsum spectarent. Multos sanè exciuerat sola pascendi visûs libido; sed fuere & qui Romanæ Religionis affectum proderent, iactarentque. Nec ille difficilis se dare adeuntibus; quin & plerosque per interpretem prior affari, pulcrum id ratus; siue & ausus aduersùm Proceres Plebis studia sperare. Hanc Ambrosij Marchionis magnificentiam, & splendorem, vel sub alieno cælo explicatum, ad Nepotem ipsius Paulum Marchionem, Hispani Regis Caroli Secundi in Aulâ Leopoldi Cæsaris Oratorem, hæreditario quasi iure transmissum & aspexit Germania, & suspexit; dum hæc Historia in bono typorum lumine collocaretur. 1608.

EA tractationi præmissa gaudia, tanquam ad ipsius difficultates præmolliendas; duplex tristitia ex gemino mortis nuncio interturbauit. Alter fuit de Eugenia Mansicidorij Vxore, quæ proficiscentem Coniugem Liram usque comitata, dum Bruxellas reuerteretur, fluuio demersa perijt. Perlata res ad Spinulam primò: qui Mansicidorio id aperire diem unum distulit. Tùm unà cum Richardoto eum adit. Mortem, non mortis genus, patefaciunt. Multum ab omnibus lacrymarum effusum. Post tres horas, quibus eum consolati, digredientes, ad idem officij præstandum, Neyum, & Verreychium submiserunt. Vbi temporis interuallo deferbuit dolor (utì solet) infelicem quòque obitûs formam edocuerunt. Hìc de integro vulnus exulceratum. Sed paulatim Viri magnanimitas, & publici negotij sollicitudo luctum abstersit. Nuncius alter ipsi obuènit Marchioni: ut qui tam prudenter solari nouerat, atque alleuare calamitatem alterius; altero haberet opus, qui solaretur suam quamuis minorem. Post aliquot enim dies factus est certior, Ioannem Iacobum Filium adhuc Puerum è viuis excessisse. At ipse, aliâ omni curâ posthabitâ, in demandatam tractationem totus incubuit.

Funesta mors Vxoris Mansicidorij.

Obitus Filii Marchionis.

PRIMVS itaque congressus habitus octauo Idus Februarij: in quo utriusque Partis Delegati protulere in medium eorum, à quibus missi fuerant, mandata. Quæ ab Hispano Rege, atque Archiducibus erant, non placuere omni ex parte Fœderatis: tum quòd Archiducibus Belgij Principum titulus tribuebatur: tum quòd si de rebus ad Religionem pertinentibus, aut alijs quibuscunque, inter utramque Partium minimè conueniret; declarabatur, nihil Hispano Regi, aut Archiducibus de suo iure diminutum iri. In altero congressu, sexto Idus inito, obiecit Spinula Fœderatis: *Nimis angustam esse, quam suis Delegatis fecerant, potestatem; ampliorem quippe in eiusmodi negotijs dari solitam.* Responsum est:

Primus Delegatorum congressus.

Secundus.

1608. est: *Ab Ordinibus, qui præsentes in unaquâque re dubiâ consuli facilè possent, quidquid in Delegatis requireretur, auctoritate summâ supplendum iri*. Cùmque vicissim ex Marchione, & Collegis quærerent Fœderati: *Num plenam ipsi attulissent potestatem, eum Prouincijs tanquam liberis agendi, easque pro talibus agnoscerent. Plenissimam se attulisse* responderunt; *& quocunque sub titulo se eum eis acturos; etiamsi regium usurpare vellent. Quo igitur iure* (subiecere Fœderati) *Archiduces fœderatarum Prouinciarum titulis, atque insignibus utuntur? Eodem* (respondere) *quo Rex Hispanus Hierosolymæ Regem, Ducemque Burgundiæ, Gallicus Rex Nauarræ, Anglicus Franciæ se Reges appellant. In more namque magnis Principibus esse, regnorum etiam, quæ quondam possedere, vel in quæ ius sibi vendicant, licèt eorum possessione careant, titulos, ac stemmata præ se ferre. Quantò id magis Archiducibus conuenire, qui reliquarum Belgij Prouinciarum, & maximè nobilium certum obtineant principatum? Rogare verò se Ordines, ut in eâ re illorum honoris, atque existimationis, quàm possint maximam habeant rationem*. Sed nihil his, aut precibus, aut officijs profecerunt. Nam in proximè sequente congressu, tertio Idus facto, non dubitarunt Fœderati à Catholicis Delegatis postulare: ut si Archiduces ex animi sententiâ fœderatas Prouincias liberas declararent; non modò suo, sed & Hæredum, aut Successorum nomine ius omne dominatûs in eas abdicarent: ut in Agros Drentanum, & Lingensem, & si quid aliud foret Fœderatorum ditioni subiectum: simulque ab earum titulis, atque insignibus usurpandis abstinerent.

Controuersia de titulis, atque insignibus.

Tertius congressus.

HVIVSMODI postulata per dissimulationem tolerauere quidem in ipso conuentu Archiducum Delegati; neque ad ea responderunt, quod iustissima indignatio suggerebat; nè Fœderatorum animos in omnem occasionem imminentes, à tractatione vix inchoatâ abalienarent: sed solùm eâ de re scripturos sese ad Archiducem, eiusque mentem exploraturos. Seorsum verò Legatos Principum conuenientes, acriter de Fœderatorum arrogantiâ questi. *Iam non pares modò se Principibus magnis facere; cum illis in tractationem Concordiæ veniendo: sed etiam superiores, leges eisdem, ac ritus præscribendo. Nec fuisse satis à rebellium titulo ad liberorum appellationem migrasse; nisi auderent quòque debitis titulis, atque insignibus suos quondam Dominos spoliare. Eam verò confidentiam non aduersùs unum Hispanicum Regnum, aut Belgicum Principatum insurgere: sed omnibus quotquot essent in Uniuersitate Principibus dare, vel auferre iura contendere. Neque solis Delegatis Catholicis; sed ipsis Fœderatis adeò sibi magnificum; Archiducum verò; Hispanique Regis existimationi parum decorum videri, quod postulauerant: ut vix inter*

Catholicorum querelæ de Fœderatis.

tos esset, qui animum induceret, id unquam vel Regem, vel Archiducem concessuros. 1608.

Legati porrò, qui Principum assueti Aulis, linguam illarum propriam probè callebant: quâ scilicet aliud dicitur, aliud sentitur; eas querimonias in speciem fictas interpretabantur. Archiducum namque Delegatos & velle quidem, & posse censebant postulata concedere Fœderatis: sed moram temporis, & difficultates interijcere, ac maiorem auctoritatem expectare; quò cariùs ea concessio staret, atque ingenti pretio petitionum illarum emeretur, quas ipsi propositurí pro suis Partibus erant. Et sanè liber usus Catholicæ Religionis in Prouincijs Fœderatis tantopere, uti supra retulimus, commendatus ab Rege, ac nouis identidem literis inculcatus; & Indicæ nauigationis, commercijque abdicatio: quæ duo summa erant capita Catholicarum conditionum; adeò repugnabant sententijs, ac placitis ferè communibus Fœderatorum (id quod exitus ipse apertissimè comprobauit) ut ad ea concedenda, adduci nunquam hi posse crederentur, nisi maximi momenti rebus eisdem indultis ex parte Catholicorum. Religionis postulatum neque Archidux, neque Spinula censuit primis congressibus in discrimen obijciendum: nè semel initio aduersis animis, suffragijsque reiectum; de integro proponi in posterum nunquam posset. De Indicâ verò nauigatione, respondit Albertus literis Delegatorum: *Siquidem ab illâ se cessaturos Fœderati spondérent; polliceri se quòque fœderatarum Prouinciarum titulos atque insignia abdicaturum. Sic enim beneficium ipsorum haud minore beneficio compensatum iri.* Ad hanc petitionem commoti vehementer animi Fœderatorum.

Querelæ Fœderatorum de Catholicis.

Neque leuiores ipsorum querelæ apud Principum Legatos, quasi communes Arbitros iam factos. *Haud mirum esse*, aiebant, *si rem magnam, præter omnium opinionem, concederent Archiduces; quando aliam longè maiorem exigebant. Non donare liberaliter illud esse, sed quæstuosissimè fœnerari. Quamquam neque donum dici debere libertatem, quam ipsi tot annorum laboribus, tot sumptibus, tanto suorum sanguine comparassent. Quod verò titulos, atque insignia non sua Archiduces abdicarent, quid esse, nisi pompas inanes, ac leuissimam ambitionis auram reijcere? At Indicam nauigationem, & commercia deserendo, quantum compendij, quantum opum, quales thesauros destitui? Iure Gentium licere in vacuam possessionem pedem ponere. Multum adhuc in partibus terrarum ignotis occupandum relinqui. Si tantum Vniuersitatis inuadentibus Hispanis, Europaeorum nemo fuit, qui obsisteret: cur iam id alijs ipsimet Hispani prohibeant? Libera demum omnibus esse debere commercia: quibus, ad publica Generis Humani commoda, Orbis terrarum ultro, citroque portatur.* De-

1608. Decimo tertio Calendas Martias cùm rursus conuenissent utriusque Partis Delegati; actum est de illorum omnium obliuione, quibus ad eam diem Belgæ Archiducibus subiecti, ac Fœderati se inuicem infestassent. Deinde de liberis utrorumque commercijs in quibuslibet terrarum plagis. Sic namque decere iam amicos, & eiusdem Incolas regionis. Hîc verò Spinula, & Collegæ statim intercesserunt, Indiarum nauigationem, & commercia excipientes: à quibus temperandum Fœderatis, si veram, ac stabilem cum Archiducibus, ac Rege Hispaniarum sancire Pacem vellent. Patère ipsis omnia Lusitaniæ, Hispaniæque emporia minùs aditu periculosa, quæstu fructuosa non minùs. Sed surdis hæc auribus accepere Fœderati. Eos quippe plurimis, nec imbecillis rationum momentis obstruxerat præ cæteris Indica Mercatorum ad Orientem Solem Societas, utì vocant. Ipsa etenim, ut quam potissimùm eius rei iactura tangebat, & Ordinibus, & Prouinciarum Delegatis, & Oratoribus Principum frequenter, atque efficaciter inculcare: *Quam absurdum esset, quod ab Archiducibus, atque Hispanis exigebatur, ut à Fœderatis Indica nauigatio desereretur. Prohiberi solere commercia cùm bellum indicitur, non ubi pax initur. Concedi libertatem, & ius sui supremum in chartis: in publico verò usu clarissimam imponi seruitutem, ut nempe inde Belgicæ naues abstinerent, quò iure naturæ liberum foret omnibus contendere. Oceanum quippe nullis clausum cancellis, cunctis Nationibus patère. Quàm verò damnosum fœderatis Prouincijs idem interdictum esset, ex ingenti quæstu, quem eâ nauigatione facerent, satis apparere. Apud Indos ad Solis Ortum sitos quadraginta Belgarum onerarias haberi; atque in eis hominum quinque millia. Tricies mille aureorum millia quotannis inde conflari. Ex Africa ora, & Americanis Insulis tantum lucri reportari, ut decies mille millia superet. Tantum præsidij pacis tempore, tantum subsidij ad bellum, cum leui titulorum, aut insignium ambitione commutare, quàm dementis esse consilij? Et quamquam priuatorum Hominum ij forent quæstus; eorum tamen facultatibus publicas opes inniti: atque ab eisdem in tempore suppeditari, quidquid in commune requiritur. Eâ nauigatione sublatâ, in magnam offensionem venturos Mercatores: atque eo lucro destitutos, aliò, non sine graui Belgicæ rei damno, migraturos: venturos Ciues, ad quos non parua eius compendij pars, ac rerum omnium opportunitas, & copia redundabat: venturos potissimùm Indos ipsos, qui Belgarum amicitiâ, & patrocinio spoliati, rursus in Hispanorùm dominatum, quos æquè odissent, ac metuerent, laberentur. Quæ verò pro Indicis promittebantur, Lusitana, vel Hispana commercia quàm longè illis inferiora? quantò incertiora? quàm tuta? quamdiu duratura? Denique cauenda maximè*

Quartus congressus.

Mercatorum oratio de Indica nauigatione.

Trenta milioni.

Diece milioni.

mè illorum occulta consilia, qui Pacem offerrent, ac Pacis fructum denegarent: titulos, atque insignia, hoc est nomina vana; & pompa speciem largissimè donarent; rem verò, ac facultates adimerent. 1608.

Tera de illa proposita a Fœderatis.

His, atque alijs adducti argumentis Fœderati, nauigationem, & negotiationem Indicam deserere pertinacissimè renuebant. Cùmque in contrariam partem vehementissimè Catholici Delegati urgerent; ad extremum his illi triplex in medium protulere consilium. Primum ut, quod in omnis constitutione concordiæ solemne est, liberum ex utrâque parte commercium terrâ, marique permitteretur. Alterum ut ad septem annos Indicam prosequi nauigationem Fœderatis liceret: sexto verò anno ad aliquam ineundam concordiæ viam rursus conueniretur. Tertium ut Pace firmatâ, citra Tropicum Cancri abstinerent commercijs Fœderati: ulteriùs autem eadem continuarent. Ei quod primo loco proponebatur, assentiri non poterant Archiducum Delegati: quandoquidem petitioni suæ rectâ aduersabatur. Neque tertium amplecti rationi consentaneum existimarunt: siquidem Concordiam præ se ferebat dissensione permistam, ideoque minimè diuturnam. Ad secundum se faciliores exhibebant: modò iam tum pollicerentur Fœderati, post septem annos se prorsus eam nauigationem abdicaturos.

Bentiuolus, Meursius, Bandius. Ad Fontanum, Ad Vincen ult. Martii, Ad Zuniga eodem mense.

Haec fuisse capita à Fœderatis proposita, concordi narratione tradunt præcipui harum Induciarum Scriptores. At in Marchionis literis ad diuersos Homines datis, hæc potiùs fuisse reperio. Vnum ut in eas tantùm plagas pateret aditus Fœderatis, quæ non essent Hispano Regi subiectæ. Alterum ut in Indico Mari tamdiu vigerent Induciæ, donec ea de nauigatione controuersia componeretur: quo tempore ab locis Hispanicæ ditionis Fœderati abstinerent. Tertium ut in his commercijs eædem conditiones seruarentur, quæ sancitæ fuerunt in postremâ Hispani cum Anglo Rege pacificatione. Hæc ad Aulam Hispanicam perscripta: atque inde dandum Fœderatis responsum expectatum. Missus eòdem Neyus, qui de omnibus Regem pleniùs edoceret, mentem eius exploraret apertiùs, difficultates negotij maximas coràm faciliùs, quàm per literas, expediret. Et quoniam unus erat è Catholicis Delegatis; ac suspicio subire Fœderatos poterat, eius digressu tractationem nimis in longum productum iri; pollicitus est Spinula, illum intra mensem unum, & alterum reuersurum.

Mittitur iterum Neyus ad Regem Hispanum.

In eodem congressu, in quo Fœderati tria modò dicta proposuere consilia; illud etiam vehementer à Catholicis postularunt: ut quamprimùm ab utrâque Parte capita cuncta proferrentur in medium, de quibus esset in uniuersâ tractatione agendum

1618. dum. Repugnauit principio Spinula cum Collegis, optimè intelligens, periclitaturum præcipuè caput de Religione, secumque aliorum ruinam tracturum, si præmaturè detectum odijs Populorum exponeretur. Nè tamen id recusando, nouas inijcerent Fœderatis suspiciones, viam excogitarunt, quâ & illis facerent satis, & consilio suo minimè officerent. Prolaturos capita se responderunt, cum eâ tamen conditione; ut si quid præterea se offerret in posterum proponendum, liberum esset utrique Parti superaddere.

Gasper Ens lib. 28. Ioan. Meursius de Induc.

Capita plurima tractanda, à Fœderatis proposita.

IGITVR Fœderati de his agendum sibi in tractatione pronunciarunt. *De mutuis in Belgio commercijs inter Fœderatos, atque Archiducibus subiectos. De securitate negotiationis, ac nauigationis ab Rege, atque Archiduce præstanda. De captis pignoribus remittendis, cauendoue nè in posterum caperentur. De limitibus inter utrosque Belgas definiendis, & sanciendo quidquid ad eos pertineret. An conuenire inter eosdem posset, ut loca quædam commutarentur, aut diruerentur. De munimentis demoliendis, quæ ad Rurortam, Homburgum, Rhenobergam, siue alibi in Imperij ditione excitata. De reuocandis sententijs, decretis, proscriptionibus aduersùs principes Viros, aut alios cuiuscumque conditionis, promulgatis fœderum causâ, vel Religionis, vel belli, atque ad ea spectantium. Vt Guillelmi Auraici Principis ditio uniuersa, ac bona restituerentur in integrum, utque illius Hæredibus redderentur. Vt cæteris Optimatibus, alijsque, quorum bona ob easdem causas proscripta fuerant, non solùm in toto Belgio, sed etiam in Burgundia, & Carolesij Comitatu, eadem restituerentur. Naues item Mercatorum, quæ superiore anno captæ in potestate erant vel Regis, vel Archiducis, vel Fœderatorum. Vt res quòque illæ redderentur, quæ eisdem de causis absentibus Debitoribus, postulatu Creditorum venijssent: agrique proscripti, vel bello desolati redintegrarentur. De rescindendis Testamentis odio fœderum, Religionis, aut belli, in detrimentum cuiuspiam, qui esset aduersarum Partium, factis. Vt æs alienum communi fœderis causâ contractum de publico dissolueretur. De Militibus exteris Hispani Regis, Archiducisque stipendia merentibus, Belgio etiam Archiduci subiecto exigendis, nè alteri Partium diffidentiam crearent. Vt Nautis, Mercatoribus, cæterisque fœderatarum Prouinciarum Incolis nulla foret à conscientia inquisitione molestia; sed absoluta libertas permitteretur: nè-ve ipsorum naues, merces, bona proscriptioni, causâ Religionis fierent obnoxia. Vt intestatò morientium in toto Belgio illi forent Hæredes, ad quos iure pertineret hæreditas; siue ab his, siue ab illis Partibus starent. De antiquis priuilegijs, atque immunitatibus, quibus ante bellum fruebantur Belgæ, instaurandis. Quod si noui motus (quod Deus auerteret) excitarentur, ut Nauarchu, Mer-*

D'Oranges.

1608.

catoribus, eorumque Administris sex menses concederentur, ad se, suasque naues, & bona in tutum referenda. Si verò quid aduersùs tractationem committeretur, eâ integrâ manente, singillatim resarciretur. De captiuis utrinque sinè redemptione relaxandis. De ciuilibus actionibus, non alienatis publico nomine, sinè ullâ per belli tempus præscriptione, in suo statu conseruandis. Ut ea ipsa dum tractarentur, singula, atque uniuersa in integro essent. Ut ad tractationem prosequendam, Cæsaris, & Galliæ, Angliæ, Daniæ Regum interponeretur auctoritas. De nominandis Principibus, Rebus-publicis, Ciuitatibus, quæ amicitiæ, vel fœderum gratiâ in tractatione comprehenderentur. De Lusitani Principis Emmanuelis controuersijs componendis. De tractationis iuramento, promulgatione, alijsque solemnibus ad eam spectantibus.

HAEC erant, quæ Fœderati tractanda proponebant, multitudinis à Catholicis redarguta. Longè ipsi pauciora protulerunt in medium. *De statuendis utrinque limitibus: de bonorum belli tempore proscriptorum restitutione: de pecuniâ, quam ad redimendas Militum excursiones limitanei Populi contribuebant: de pari monetâ toto Belgio insumendâ: de permutandis locis ab utrâque Partium captis, aut possessis: de nauigatione, & commercijs Indicis: de Religione.* Hoc tamen postremum caput subobscurè & confusè insinuarunt, ob caussam antea expositam. Cùmque ut id apertiùs euolueretur, peterent Fœderati: tunc se facturos respondère Catholici, cùm ad idem discutiendum ventum esset.

A Catholicis pauciora.

AD Hispanicam Aulam interea peruenerat Neyus: ac primò Lermæ Ducem adiuit; eique, quis tunc esset in Belgio rerum status, aperuit. Tùm, *ad earum felicem exitum accurandum, quædam sibi*, dixit, *necessaria videri. Primum ut aliquando tandem arma è manibus fœderatorum Belgarum excuterentur. Sic enim euenturum, ut eorumdem fœdera cum vicinis Principibus dissoluerentur: qui eorum damnis utebantur ad sua commoda promouenda. Alterum ut suis auitis, & proprijs exercitationibus ijdem redderentur, quibus tanquam spiritu alebantur, ac vigebant: nauigationi scilicet, & commercijs: utque in uniuersâ Hispaniarum orâ benignè, ac liberaliter acciperentur; quemadmodum fuerat eisdem promissum. Adeòque quam de Hispanis conceperant, iniquam opinionem; eos per speciem tractandæ Pacis imponere sibi, ac iugum rursus inijcere velle, deposituros. Tertium ut, quæcunque in eâdem tractatione ipsis Catholici pollicerentur, omnino præstarent. Quo factum iri, ut eorum plerique redintegrandi belli spem omnem abijcerent: quâ freti, tractationi continenter aduersabantur, & fallacibus dictis, atque argumentis suspiciones in vulgus, atque odia contra Catholicos disseminabant. Quartum ne aliqua non tùm à Fœderatis exigerentur, cùm ob diuturnum bellum suspiciosi nimiùm, ac diffi-*

Quatuor à Neyo Hispanis proposita.

Neyus ad Marchion. 19. Maij.

1608. *diffidentiæ pleni, & à fœderibus Principum audaciores essent, ac nihil sibi non arrogantes: sed in tempus reseruarentur opportuniùs, cùm Pace constitutâ, cuncta futura ad consequendum faciliora.*

QVAE cùm pronis auribus, animoque Lermæus accepisset, subiecit: eadem se ferè omnia in Regio Senatu Politico proposuisse. Cùmque de tractatione nauigationis Indicæ sermo institueretur; affirmauit Neyus, polliceri Fœderatos, nullum se locum ditionis Hispano subiectæ in Indijs adituros. Dux id vehementer admirans, iterum affirmari sibi iussit: eoque valde lætatus, ut idem coràm in scripta suâ manu referret, Neyo præcepit. De ijs præterea interrogauit, quæ in transitu per Galliam cum eius Rege transegisset. Respondit Neyus, collocutum Henricum de coniugio suæ Filiæ cum Principe Hispaniarum: atque adiecisse, nulli hunc accommodatiùs, quam illi iungi matrimonio posse, quandò tam Cæsar, quàm Archiduces prole carerent. Ad hæc Dux Neyum monens, quamprimùm ab Rege accitum iri; iussit ea, quæ ad Religionem, Indicamque nauigationem, & commercia pertinerent, scriptis mandare: magnaque beneuolentiæ significatione ab se dimisit.

POSTRIDIE accersitus ab Rege Neyus, Aranguem, vbi is manebat, perrexit. Ibi ab regijs Magnatibus varijs amoris, atque honoris argumentis exceptus, ac de Regio penu nutritus; cum Ceæ Duce præsertim Lermæi Filio sermonem de rebus Belgicis habuit. Mox ad Regem deductus, remotis Arbitris omnibus, solidas duas horas est cum eo collocutus. Quamquam non defuere cautiores æquo, qui dicerent; nimiæ securitatis esse, Regem solum cum solo, quamuis Religioso homine, occlusis valuis relinquere. Non prudenter minùs, quàm sincerè de cunctis, quæ gesta fuerant, ac gerebantur in Belgio, certiorem Regem fecit Neyus: atque ad multa scitè respondit, quæ Rex quæsiuit. Tùm ab eo petitâ veniâ, Reginam, Regiosque Liberos venerabundus salutauit: eamque sciendi cupidam de rebus Belgicis strictim edocuit. Die postremo Matritum remissus, omnibus, qui aderant è Regio Senatu, res easdem pleniùs, atque accuratiùs exponere iussus est. Neyi cum Rege colloquium.

INTEREA Lermam Dux valetudinis gratiâ profectus, spem fieri iussit Neyo, sub regressum Regis Madritum, dimissum iri. Multi postmodum fluxerunt dies, quibus singulis aduentus Regius expectabatur. Sed vana diu fuit expectatio. Magnâ propterea sollicitudine, ac mœrore Neyus cruciabatur; cum reputaret animo promissionem quamprimùm redeundi tùm ab se Marchioni, tùm à Marchione Fœderatis confirmatam: suspensionis Neyus ægrè fert moram suam.

armorum finem instare: sinè Regiâ deliberatione à se reportandâ nihil in tractatione præcipuum sanciri posse: moram incusari ab omnibus suam: eamque, communi vitio Gentis humanæ, negligentiæ potiùs suæ, quàm alteri cuipiam causæ acceptam referri. His igitur actus curis, Rodericum Calderonum, ex ijs unum, qui Regi erant à Secretis, conuènit: angorem animi vehementem aperit: rogat ut quandò reditus in Belgium suus protrahitur; Tabellarium certè liceat eò transmittere cum literis ad Archiducem, & Marchionem; quibus eos de se, suoque statu certiores reddat: quod ad eam diem nunquam fecerat. Negauit Rodericus, sed bellissimis, atque officiosissimis verbis, id fieri posse priùs, quàm Rex adueniret. Statim verò sub illius aduentum, & Tabellarium, & ipsum dimissum iri. Hâc spe non contentus, confugit Neyus ad Idiaquium: qui optimum sibi videri dixit eius consilium: sed quoniam Rodericus id abnuerat, nullam se præbere operam posse. Mox ad Pradam ille se contulit: ex eoque suæ moræ causam enixè requisiuit. Respondit is, *Capita à Fœderatis ad tractandum proposita, fuisse ab Regijs perlecta, accuratèque examinata: in ijsque aliquot animaduersa, quæ magnis difficultatibus essent obnoxia. Vtque de omnibus Regiam deliberationem Archidux præstolabatur; necessarium esse coram Rege de singulis consultare*. Nouum hæc responsio mœrorem iniecit Neyo. Quamobrem aliam tentauit ad suum discessum accelerandum viam. 1608.

ITAQVE Lermæo Duci scripsit: moræ suæ detrimenta exposuit: orauit, ut quâ erat apud Regem existimatione, & gratiâ, dimittendum se quamprimùm curaret. Dumque ab eo responsum expectat; Filium eius Ceæ Ducem adit: atque ex ipso, alijsque Aulæ Proceribus dilationis suæ causas expiscatur. Eam iniectam
Eius moræ causæ. comperit: *Non ad spatium temporis protrahendum, eiusque beneficio res instruendas: neque ad tractationem dissoluendam: quæ duo suspicabantur in Belgio Fœderati, & in Hispaniâ quidam malè aduersùs Pacem affecti. Sed ut rebus tanti momenti diligenter inspectandis, ac per otium expendendis, Senatui Regio, ac Regni Primatibus fieret satis: quemadmodum ut suis Prouincijs satisfacerent, Ordines Fœderati tantum insumpserant temporis anno superiore. Haud ita minora esse tam latè patentis Hispanicæ ditionis emolumenta unius Belgij partis commodis: ut horum, quàm illorum consideratio longiori tempore indigeret. Inueteratum præterea Hispaniæ morem: ut in grauissimis quibusque negotijs tractandis, eò tutiore, quò lentiore gradu procedatur. Quòd verò in eâ ipsâ tractatione Pacis, nimis initio festinatum ad omnia Fœderatis concedenda, quæcumque postulabant, passim per Europam iactabatur; idcirco præproperas illas deliberationes esse diuturniore aliarum animaduersione*

uersione

1608. *uersione compensandas. Ad existimationem quòque rei facere, ut diutius in expectatione Regiæ voluntatis, regijque Senatùs consulti suspensus esset Orbis terrarum. Cùmque multi forent ex ipsis Magnatibus, ac Proceribus Regni, quibus Pacem fieri non placeret: his quamuis id negaretur, quod maximè cuperent; hoc tamen ad solatium dari, ut eius constitutio differretur. Eisdem, atque illis præcipuè, qui è Senatu Regio erant, id honoris debere Regem, ac deferre, ut sine ipsorum consultatione nihil in re tanti ponderis decerneretur. Regiæ demum existimationi consentaneum haud esse, deliberatione præcipiti tale negotium definire: nè Gentibus exteris, ac præsertim Hispano nomini infensis, occasio præberetur credendi, atque euulgandi: res Hispanas adeo ad extrema redactas, & in summam desperationem adductas, ut necesse Rex haberet Pacem æquis, iniquis conditionibus, repentè, atque inconsideratè sancire.*

HAS Neyus in collocutione cum varijs ex Aulâ, Senatuque Regio, suæ moræ causas inuestigando deprehendit. Quas ipse omnes ad Marchionem perscripsit. Eas tamen Fœderatos latere voluit. Imò literas ad ipsos dedit, spem faciens vicinæ reuersionis suæ: negotijque celerem, ac felicem exitum promittens. Has literas cum Cezæ Duce, ac Pradâ communicatas ad Archiducem misit, orans ut, si videretur, transmitti Hagam iuberet. Post non

23. Maij. multos dies ad Marchionem iterum scripsit, certiorem se nactum esse suæ moræ causam: legationem nempe in Galliam Petri Toletani Osorij, ut Rex illius Fœderatos ad sanciendam Pacem inflammaret. Quare non antè se posse Belgium repetere; quàm id negotij conficeretur. Quod ut honorificentiùs perageret Toletanus, in Hispanos Magnates eum Rex antè profectionem cooptauit. Spes autem erat Hispanis, hâc legatione ab Rege Gallico impetrandi; ut pro suâ in Fœderatos auctoritate, ac fœderis vi, eos omnino perduceret ad ea, quæ tam obstinatè renuebant: Indicam scilicet nauigationem deserendam, & liberum permittendum Catholicæ Religionis exercitium. *Petrus Toletanus cur missus Legatus in Galliam.*

IAM instabat in Belgio cessationi armorum terminus præstitutus. Quare in nouo congressu, ad septem menses, hoc est ad eius anni finem est prorogata. Quod cum Legatis Principum Fœderati renunciassent; tam ægrè illi tulerunt adeò prolixas belli ferias; ut parum abfuerit, quin præ indignatione in suam quisque regionem reuerteretur. Iratos tamen animos Fœderati sedarunt, cùm subijcerent; intra duos menses tractationem exitum habituram, siue pax, siue bellum decerneretur. Tùm sibi sponderi voluere Legati, neminem interea dimissum iri. Quod fideliter præstitum. *Armorum suspensio prorogata.* *Marchio ad Fontanum Comitem, 18. Maij.*

IN habitis subinde, quamuis raris, congressibus discussa sunt

capita, ad tractandum utrinque proposita. De eijciendis Belgio Militibus exteris, expunctum. In alijs plerisque de re inter utrosque conuenit. In duobus, quæ tantopere Catholici urgebant: nauigatione videlicet, ac Religione; nulla inueniebatur ad consentiendum via. De nauigatione, Regium ex Hispaniâ responsum expectabatur, super triplici consilio à Fœderatis proposito. De Religione, adeò desperata omnis concordia erat; ut ne verba quidem de illâ fieri Fœderati paterentur. Quibus addere stimulos non cessabant aliqui Principum Legati: minimè conueniens ipsorum existimationi affirmantes, ut conscientiæ libertas exteri Principis postulatu concederetur: quasi non suâ sponte, sed aliunde compulsi, illam suis facerent Populis potestatem. In eam quòque suspicionem Fœderatos inducebant: si Catholicæ Religionis usum Hispani Regis rogatu permitterent; hoc nomine illi valde obstrictum iri Catholicos. Quamobrem eidem fore facillimum, eos ab reliquis segregare, suisque Partibus adiungere. Quo facto nihil abfore, quin rursus Belgium uniuersum suum sub iugum mitteret. His accedebant Ianini Præsidis dicta: qui Gallicam tractationem (Regalis nempe coniugij) nonnisi post annos aliquot suum finem assequuturam confirmabat. Adeòque non posse Regem interim veteribus Amicis, ac fœderatis suis nuncium remittere. Quare de Religione nihil ante sancitam Pacem sperandum. Sed eâ constitutâ, pronius ambobus Regibus coniunctis fore Fœderatos paulatim adducere; ut non ad alienum arbitrium, sed suâ sponte permitterent liberum Catholicæ Religionis exercitium.

1608. *Marchio ad Viuam, 1. Iulij.*

Caput de Religione libera in tractatione laborat.

Contra eam incitamenta.

His artibus, per suum præcipuum Administrum adhibitis, Galliæ Rex dominari quotidie magis in tractatione videbatur; ac maiorem subinde suspicionem commouebat Hispanis. Quam ut adhuc augeret, nouo sibi fœdere obstrinxit Prouincias fœderatas. Hoc in eo situm potissimùm, ut Pace firmatâ, ad eam sarctam, tectamque tuendam, subsidium eis Rex deberet Peditum decem millium regio stipendio: ipsæque vicissim ei quinque millia suo stipendio suppeditarent, ubi arma verterentur in Galliam ab Hispano. Conquesti de huiusmodi fœdere Hispani Regis, atque Archiducis apud Henricum Oratores. At hic varijs obtentibus rem excusans; gratias potiùs ab eisdem Principibus deberi sibi iactabat, quòd faciliorem aperuisset viam, ad concordiam Belgicam statuendam. Non fugiebant hæ Regis artes Hispanos: qui simul prospiciebant, sinè illius consensu, atque auctoritate nunquam sibi cum Fœderatis conuenturum. Igitur ad eum sibi magis conciliandum; missus fuit, ut paulò ante narrauimus, in Galliam Petrus Toletanus.

Nouū fœdus Gallici Regis cū Fœderatis.

AN-

1608. *Marchio ad Zunigam, 25. Iulij.*

ANGLIAE quòque Rex nouum fœdus cum fœderatis Prouincijs sanxit, eisdem planè, quibus Gallus, conditionibus: quamquam id nè fieret, multum obniterentur & Petrus Zuniga Hispanus apud Anglum Orator, & Catholici Delegati apud Anglicum in Hollandiâ Legatum. Vt verò deliberationem hanc suam aliquo nomine Rex Angliæ honestaret, quasi ab Hispano Rege irritatus: cum eius, & Archiducis Oratoribus apud se agentibus questus est; quòd nouâ legatione transmissâ, tam honorificè cum Galliæ Rege, non autem secum nuperrimè esset actum. Ad hanc ergo qualemcunque offensionem leniendam, in Anglicam etiam Regiam legauit Hispanus Ferdinandum Gironum, è primarijs Militum Præfectis unum, qui tûm erant in Belgio. Hoc honoris argumento valde gaudere visus Angliæ Rex, operam liberalibus verbis obtulit suam, ad tractationem promouendam. Et Anglici cum eisdem.

ACCEPERAT interea Philippus Rex tractationis capita, tum à Catholicis, tum à Fœderatis proposita; & quidquid ad hæc responderant Catholici Delegati, & quod paucis superaddiderat Archidux; quæque responsa fuerant Fœderatorum. Hæc omnia & ipse perspexit, expenditque diligenter: & accuratè perpendenda tradidit magno Senatui Hispaniarum. Atque in cæteris quidem, facilè conuenire posse inter utramque Partium, intellexerunt. In duobus verò eas esse difficultates, ut superari vix possent: in sæpè scilicet memoratis; libero usu Religionis, & Indicâ nauigatione. Super his igitur sedulò scribendum ad Archiducem, & Spinulam censuit Rex; & suam postremò certissimam, immobilemque voluntatem aperiendam. In literis ad Archiducem: *Diu multùmque versatum* (ait) *animis complurium caput Religionis: multas ad Deum preces fusas, ut sua causæ studentibus opportunum lumen affunderet. Ac sibi quidem persuasum esse, neque Diuino se obsequio facturum satis, & studio quo tenebatur, Catholicam Fidem tuendi, ac promouendi; neque existimationi suæ, quæ Generis humani iudicio secundum obtinet locum: si supremum ius Prouincijs fœderatis concederet aliâ mercede, quàm liberi usûs apud ipsas Catholicæ Religionis. Quamobrem velle se, tanquam obsequentem Ecclesiæ Filium, ac Fidei Defensorem, officium illud primarium implere, ab omni humanâ ratione, commodoque, quod rapere in contrariam sententiam posset, absolutum. Quodque aliàs, & non semel significauerat, etiam tùm confirmare: mentem suam certissimam eam esse, ac postremam, & immutabilem deliberationem: ut si Fœderati liberum, publicumque in suis Prouincijs permittant exercitium Fidei Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ cunctis, qui in eâ viuere, ac mori velint; huius rei tam Deo gratæ, ac nullius alterius gratiâ, se quòque permissurum eis supremum in easdem*

Regis Hispani literæ ad Archiducem.

Quanti Rex faciat caput de Religione.

easdem Prouincias ius, atque imperium ad se spectans: ut tam Indigenæ, quàm Incolæ libertate fruantur, quamdiu idem Catholicæ Religionis exercitium vigebit; neque ulteriùs vel ad unam diem, aut horam. Eo namque tantùm stimulo se adduci ad cedendum dominatum, rem tanti pretij, atque existimationis apud Mortales omnes. Neque verò vim habere ullam, quæ contra concessionem hanc mutuam obiectabantur. Permitti nempe libertatem Prouincijs, & simul abrogari. Nam si quam ferrent Ordines legem ad rectam administrationem facientem; insurgere contra eam posse Catholicos, ac veluti contrariam usui Religionis libero, recusare. Non id euenturum. In eâ quippe conuentione Partium Regiam intercedere auctoritatem, ac promissionem: quæ nullo unquam tempore passura sint, concessam semel libertatem auferri, dum adiecta conditio seruetur. Res verò ad Catholicam, ac veram Fidem pertinentes adeò seiunctas à Politicis gubernandi artibus esse, ut periculum nullum sit, nè concurrentes se inuicem oppugnent. Neque audiendos, qui dictitarent, postulatum Religionis post sancitam Pacem proponendum; ac tum à Fœderatis ultro concessum iri. Non enim Populos in odijs contra Catholicam Fidem pertinaces (quod Hæreticorum est proprium) ullo postmodum tempore permissuros, quod inter ipsam Pacis tractationem, atque in conditionibus utrinque paciscendis, tam acerbè pernegarent, ut neque proferri in medium paterentur. Ac multò magis ab omni fide alienum, eosdem sponte unquam donaturos, quod tantâ tùm oblatâ mercede, supremo scilicet iure, imperioque, ab ipsis tam vehementer affectato, concedere recusarent. Et quamquam ea foret conditio rerum, ac temporum, ut abrumpi tractationem Pacis haud expediret: sibi tamen omnino certum, & constitutum esse, vel hâc, vel aliâ quâuis de causâ, nè minimam quidem eorum partem omittere, quæ Deo deberentur, atque ad eius obsequium, honoremque spectarent. Quorum gratiâ non imperium modo, sed vitam ipsam, si foret opus, in discrimen sese alacriter obiecturum, Maiorumque suorum inclyta sectaturum exempla. Quod si iustis, sed arcanis Diuinæ prouidentiæ consilijs, aduersæ sibi res pro secundis fluerent; ibique iacturam faceret, ubi emolumenta sperabat: satis in eo sibi fore solatij, quòd suas erga Deum partes implesset, eiusque cultui subseruisset. Ad Indicam verò nauigationem quod attineret, in Hispanico Senatu diligenter expensum; an præstaret, quod petebatur, concedere: veniam scilicet eam in sex, aut octo annos prosequendi: ut eo spatio possent Fœderati merces, atque opes suas ex Indiâ reducere; cum eâ tamen lege, ut si post conditum tempus ab eâdem non abstinerent, interdicerentur commercijs Italiæ Hispanis subiectæ, ac reliquorum Hispaniæ Regnorum. Ijs ergo, quæ facerent in utramque partem, sedulò ponderatis; visam esse facultatem eiusmodi minimè concedendam. Neque enim ad res suas inde retrahen-

1608.

De nauigatione Indica.

1608. *trahendas, tantum temporis exigi. Quin eo potiùs interuallo, noua commercia, nouasque Gentium illarum amicitias inituros; à quibus multò deinde difficiliùs recederent. Hispanicæ verò ditionis omnis prohibere commercijs, nihil esse aliud, quam eosdem in Indica nauigatione confirmare: quandò eam propterea suscepisse dicebantur, quòd belli tempore ab Hispanicis commercijs arcerentur. Sin verò timendum sit, nè Fœderati, quâ innatâ sibi superbiâ, ac peruicaciâ, quâ iunctorum fœdere Principum auxilijs freti, atque illorum suasu, ac pollicitationibus impulsi, qui continuari bellum cupiunt; tam æquis conditionibus minimè acquiescant, ac tractationem Pacis abrumpant: in eo discrimine opportunum censeri consilium Richardoto propositum ab Ianino: ut Induciæ statuantur in annos quinque, vel sex: easque Fœderatorum Delegatis Ianinus ipse persuadeat. Ad illas se quòque maximè propendere: cùm semper commodiores visæ sint longiores Induciæ, quàm Pax: cui sanciendæ tantum difficultatum est superandum. Neque credibile est, Ianinum sui Regis iniussu id consilij dedisse. Hunc verò in eas Inducias libenti animo consensurum, ut opportunum spatium nanciscatur ad res suas cum Hispanis probè componendas, atque ea, quæ pollicitus, præstanda: hoc est Fœderatos adducere ad Catholicæ Religionis usum liberum admittendum. Angliæ quòque Regem suffragaturum. Sic enim extra metum eum fore, nè ab amicitia sua Fœderati desciscant. Eo temporis interuallo Hispanicis commercijs, ultro, citroque commeandi securitate, vectigalium alleuatione, atque omni benigna tractatione ita delinitum iri animos Fœderatorum; ut ab instaurando bello prorsus abhorreant; ab Indicâ nauigatione sensim submoueantur, atque ad solidam Pacem ineundam certiorem inueniant viam. In eis tamen Inducijs iniquissimum esse; ius, atque imperium concedere Fœderatis, sinè requisitâ Religionis compensatione: quandoquidem solemne est in Inducijs, ut unaquæque Partium in eodem, quo ante illas, statu, & conditione permaneat. Earumdem Induciarum tempore opportunum videri, liberum Religionis exercitium à Fœderatis sponte permitti. Siquidem ea tùm cessaret dubitatio, nè alieno rogatu concessum, aduersùs libertatem facere censeretur. Pace verò stabilitâ, idem confirmari satis fore. Delegatis porrò Catholicis Hagæ morantibus magnopere iniungendum; ut quæ literis hisce præscripta sunt, uniuersâ in tractatione seruent ad unguem. Curandumque omni ope, atque industriâ, ut quamuis ea dissoluatur, armorum suspensio in menses septem prorogata, integra, atque immota persistat: cùm sinè ullâ conditione fuerit ab utraque Parte condicta. Spem esse tum ab Diuinâ benignitate, tum ab humanâ prudentiâ, rem tantam felicem ad exitum perductum iri.*

De aliquot annorum Induciis.

Iterum de Religione.

De armorum suspensione firmanda.

Ad Spinulam autem scribens Rex, ut eadem, quæ scripsit Archiduci, sedulò cognoscat, ac pro virili exequatur, magnopere com-

commendat: utque neruis contendat omnibus, tractationem ad finem anni continuari. 1608.

Quæ pertulerit Toletanus Legatus ab Rege Gallorum.

IAM verò Petrus Toletanus Osorius, Legatus extra ordinem ad Gallum Regem missus ab Hispano, huius mentem, ac postulata exposuerat: de tractatione Pacis, aut Induciarum urgendâ; deque Fœderatis adducendis ad conditiones usûs liberi Catholicæ Religionis, & cessationis Indici commercij amplectendas. Et antequam responsum Rex daret, de his omnibus consultationem instituit. Clam tamen Nicolao Villaregio, in Aulâ Gallicanâ magni nominis, ac virtutis Administro, imperauit, ut Robertum Vbaldinum Politiani Montis Episcopum, ac Pontificium in Galliâ Nuncium; qui Regis Hispani negotia tam ipsius, quàm Pontificis iussu apud Gallum promouebat; de illis omnibus edoceret, quæ Toletano essent regio nomine respondenda. Hæc autem eiusmodi erant.

Quid responderit Rex.

Nūcius Vbaldinus ad Regem Hispaniæ, 24. Iulij.

Semper se quidem ad sanctam Maximi, Optimique Pontificis mentem fuisse propensum, in sincerâ præsertim, stabilique concordiâ cum Hispano Rege firmandâ. Neque contrarium quid conectari debere, aut posse ex fœdere cum Prouincijs fœderatis nuperrimè sancito. Imò se animum induxisse, ad Pacem faciliùs constituendam, id fœdus vel maximè profuturum. Neque dici posse cum Hostibus Hispani Regis illud initum esse: cùm vim suam habiturum non sit, nisi post Pacem decretam; quando Fœderati non iam hostes futuri sint, sed amici. Cùmque Pacis eiusdem causâ id fœdus sancitum fuerit: non licère sibi Fœderatos deserere, dum ipsi Pacem non abnuant. Cui optatum ad exitum perducendæ, offerre se operam, ac studium suum; vehementer instando, ut in omnibus, quæ iusta atque honesta fuerint, Fœderati satisfaciant Hispani Regis voluntati: ac præcipuè in Indicâ nauigatione, atque in usu Catholicæ Religionis: in quo etiam Summo Pontifici gratum fiat. Quod si Pax hac viá concilietur, difflatum iri suspiciones omnes, quæ inter Hispanum, Gallumque Regem antea gliscerent. Sin ad æquam venire concordiam Fœderati recusarent: tùm se fœderis obligatione solutum iri, ac saluâ existimatione aliter cum Hispanis acturum. Hæc omnia Regis nomine renunciauit Vbaldinus Toletano.

Induciæ præferūtur Paci in Hispania.

IN Hispanicâ interim Aulâ sententia prudentiorum erat: expedire magis Regno decem, aut viginti annorum Inducias constitui, quam perpetuam Pacem. Hac namque fieri, ut degeneri torpore marcesceret illorum virtus, atque industria, qui publico bono excubare continenter deberent. Induciarum verò tempore posse per otium ea præparari, quæ futura essent opportuna instaurando postmodum bello. Quod si quid vel in earum conditionibus apponendis, vel in earumdem obseruantiâ peccatum fuerit; posse

1608. *Iosephus Cresuelus è Soc. Iesu, 12. August.*

posse facilè eis absolutis accommodato remedio sarciri. De hoc Spinula commonefactus literis Amicorum fuit:quibus etiam stimulatus denuo fuit, ut quæcunque gesta fuerant ab se, cum in antecedente bello, tum in præsenti Pacis tractatione, fideliter in scripta redigi curaret: usui nempe futura in simili opportunitate non solùm sibi, sed alijs quòque rei bellicæ Præfectis. Regi præterea, regijsque Proceribus, ac Mortalibus uniuersis inde constaturam ipsius in utroque negotio fidem, industriam, diligentiam. Inuidiæ demum, quæ ingentia facta insequitur, ut umbra lucem; materiam insimulandi omnem detractum iri manifestâ testificatione rerum probè gestarum. Post legationem in Galliam Toletani, reuocarat eòdem Henricus Rex è Belgio Ianinum. Ab eo cuncta, quæ acta fuerant, edoctus; quæque agi vellet in posterum, præscriptis, eumdem remisit in Belgium.

Vagliadolid.

Neyus ad Marchionē, 20. August.

Cur Neyus adhuc moraretur in Hispania.

Ex Hispaniâ rediturus Neyus expectabatur in dies. At is Burgis per duas hebdomadas febri afflictatus: ab Rege postea Vallisoletum accitus, mandata ipsius, ac suam dimissionem præstolabatur. Hæc ab Gallici Regis responsione pendebat. Neque digredi poterat Neyus, aut debebat sinè decretoriâ Regis Hispani deliberatione super Belgicis rebus. Namque si eâ non acceptâ discessisset, iterum necesse fuisset in Hispaniam recurrere: quod multò magis Fœderatorum suspiciones cumulasset: velle scilicet Hispanos rem tamdiu protrahendo, temporis beneficio ad sua emolumenta uti. Reditum tamen Neyi frequentibus literis Archidux urgebat: neque priùs agi voluerat à Spinulâ cum Ianino, quàm Commissarius reuertisset. Verùm quia nimis in longum reuersio ducebatur; iussit idem ut, Neyo non expectato, tractatio perficeretur. Hoc ipsum in votis erat Fœderatis: qui tam diuturnæ moræ pertæsi, ac pro consuetudine suspicati, artes Hispanorum eas esse sibi imponere molientium; congressum aliquando ab Delegatis Catholicis postularunt: in quo vel Regis Hispani mentem ultimam, super Indicâ nauigatione, compertam habere statuerant, vel uniuersæ tractationis finem facere.

Catholici Delegati congrediuntur cum Fœderatis.

Cvm igitur conuenissent; ac de postremâ regiâ voluntate Fœderati percontarentur: respondêre Catholici. Omnino constitutum esse Regi concedere Fœderatis supremum ius, atque imperium in Prouincias, quas ipsi possiderent; cum duabus tamen necessariò adiectis conditionibus: alterâ ut ab omni Indicâ nauigatione, commercioque abstinerent: alterâ ut in eisdem Prouincijs liberum, publicumque permitterent Catholicæ Religionis exercitium. Regiam hanc, & postremam, immotamque deliberationem, tum Neyo iamiam reuersuro commissam, tum sibi per

Tabellarium nuper patefactam; ut Fœderatis euulgaretur. Hâc responsione tractatio Pacis uniuersa protsus excisa. Ambæ namque propositæ conditiones tam detestatæ Fœderatis erant; ut nullâ spe, nullâ mercede ad eas accipiendas adduci possent. 1608.

Desperata Pace, initur tractatio Induciarum.

Ad eas hortatur Ianinus.

REIECTA igitur Pace, reliquum erat, ut de longioribus Inducijs ageretur. Hanc tractationem suscepere præ cæteris Gallicus, Anglicusque Oratores; atque in Conuentu Fœderatorum Ordinum proposuit amborum Regum nomine Ianinus. *Optasse quidem eos*, aiebat, *Prouinciarum illarum boni studiosissimos, æternâ Pace diuturnis ex bello calamitatibus finem imponi. Verùm tantam Europæ felicitatem magnis difficultatibus interclusam. Nè tamen ad bellicos labores, & damna tam subitò recidatur; aliquot annorum Inducijs aditum adhuc patere. In eis quòque quietem ab armis, cessationem à sumptibus immensis, perfugium à calamitatibus fore. Quinetiam in eisdem Prouincias liberas declaratum iri. Quamobrem à Fœderatis obuijs ulnis excipi debere. Non tam latis animis eas Partem alteram accepturam. Sed cùm eius culpâ perniciosum bellum resumeretur, iustiora fore arma Fœderatorum, atque ab Gallo, Angloque Regibus multò æquiùs protegenda.*

Catholici Delegati Bruxellas redeunt.

Nouæ Regis literæ.

AD ea respondère Ordines: Rem propositam diligenti consultatione dignam: atque adeò se Prouinciarum sententias rogaturos. Archiducum quòque Delegatos conuenère Oratores: eosque valde propensos ad Inducias nacti sunt: nisi quòd in adiectâ conditione libertatis multas difficultates ab Hispaniâ metuebant, Omni tamen industriâ se conaturos eas peruincere, polliciti. Quoniam verò iam repudiata Pax erat: Induciarum verò tractatio in Legatorum, & Ianini præsertim manu: Delegati Catholici post octo menses in Hollandiâ transactos, Bruxellas se retulere. Ibi paulò pòst redditæ Archiduci, ac Marchioni ab Rege Hispaniarum literæ: quibus firmandæ Induciæ altero ex duobus modis præscribebantur. Vt nempe vel nullâ appositâ conditione fierent; 2. Octobris. citra cuncta hostilia, liberis utrinque commercijs in Hispaniâ, Italiâ, Belgio; quibus verbis Indiæ secludebantur: vel si adhuc instarent Fœderati, ut liberi, ac sui iuris declararentur; liberum omnino permitterent in suis Prouincijs Catholicæ Religionis exercitium. Hanc sibi Spinula cum Collegis normam in totâ tractatione proponeret: quæque in eâ deinceps gererentur, tum ad Aulam Hispanicam maturè perscriberet: tum etiam ad Toletanum in Galliam, ad Zunigam in Angliam: ut quidquid oporteret, cum ijs Regibus agerent, apud quos degebant Oratores.

HAGAE interea Induciarum tractatio strenuè promouebatur ab Ianino. Neque arduum erat easdem fœderatis Prouincijs persua-

1608. ſuadere. Sola Zelandia, eiusque Delegatus Maldereus; ac præcipuè in eâ Prouinciâ ſummâ pollens auctoritate Mauritius Comes, ut antea Paci, ſic tum Inducijs pro virili aduerſabantur. Amſtelodamum quòque non parum ab eiſdem abhorrebat. Et hanc Vrbem, & illam Prouinciam commerciorum lucra ſtimulabant; quæ fuerant expertæ, in bello, quàm in pace maiora. Mauritium inter arma dominantem, in adminiſtratione Reipublicæ cæteris parem, bellica gloria, ac victoriarum tam recordatio, quàm ſpes in Campum rapiebant. Maldereus tum Prouinciæ ſuæ ſenſa gerebat: tum ipſius Mauritij, cuius Parenti fuerat in obſequijs. Et voce uterque, & ſcriptis euulgatis auocare ab Inducijs Fœderatorum animos contendebat. *Eo maxime tempore* (aiebant) *præclarum ſui ſpecimen dare poſſe, ac debere Fœderatorum magnanimitatem, atque conſtantiam. Diligenter, ac ſeriò proſpectandum, nè quid ſub ſpecioſo Induciarum obtentu Reſpublica detrimenti caperet. Earum nomine, Populis, vulgoque hominum gratiſſimo, atque optatâ dulcedine otij Prouincias exarmari. Quæque tam alacriter antea pecuniam ad bellum contribuiſſent, difficiliùs in poſterum erogaturas. Neque eo redactas anguſtiarum res Fœderatorum: ut neceſſe haberent iniquis, incommodiſque conditionibus cum Hoſte paciſci. Eius poſtremò verſutiam, & dolos, & artes in pace magis, quàm in bello metuendas; utì non ſemel exploratas, ita ſemper ſuſpectas, tum reformidari maximè debere, cùm tot tergiuerſationibus, ac moris obuoluebantur. Arma ſertiùs, ocyùs reſumenda: quibus Reges eos ipſos, qui nunc per ſuos Oratores ſuadebant Inducias, ob ſuaſmet utilitates auxilia collaturos.*

Quinam ex Fœderatis auerſarentur Inducias.

Hæc paſſim per Prouincias literis, & voce iactata, apertum inter eaſdem diſſidium ſerere videbantur. Zelandiâ præſertim interminante ſegregationem à cæteris, ſi cæteræ in Inducias irent. Hîc verò tanquam Sequeſter intercedens Ianinus, in publico delegatorum à Prouincijs conuentu propoſitas à ſe in medium Inducias, quâ plurimùm pollebat, eloquentiâ perſuadere conatus eſt. Ac principio: *Sui Regis in Fœderatos antiqua promerita: & miſſas toties, flagrante bello, pecunia, Militumque ſuppetias, commemorauit. Neque minorem fuiſſe,* dixit, *eiuſdem in Pacis tractatione fouendâ beneuolentiam: ut utroque tempore, quâcumque poſſet, amicis Populis prodeſſet. Eâ (unde unde contigerit) profligatâ; ad Inducias eoſdem amanter hortari, hoc eſt ad aliquot annorum tranquillitatem, poſt tam diuturnas, & calamitoſas belli procellas. Eas verò fieri velle non ſinè ſummâ Fœderatorum exiſtimatione ſimul, atque utilitate. Quamobrem nihil in illis antiquius habere, quàm ut Prouinciæ ab Rege Hiſpano, atque ab Archiducibus liberæ declarentur. Quod etſi generatim fiat, non autem diſertioribus verbis, ut in Pace tractandâ exigebatur:*

Ianinus vehemẽter Inducias promouet.

Eius oratio.

magnum esse debere discrimen inter aeternam Pacem, & aliquot annorum Inducias. Has si ab aduersâ Parte seruentur, satis eam esse libertatis declarationem: sin verò violentur; non litem ad Tribunalia Iudicum intendendam, ubi de verbis forensi ritu disceptatur; sed armis in Campo dirimendam, ubi de summâ rerum ferro decernitur. Haud multùm referre, quâ ratione altera Partium eam libertatem interpretetur: plurimùm verò, Populos Foederatos se liberos declaratos agnoscere; quò promptiores arma, si fuerit opus, resumant: & ab amicis Principibus tales haberi; quò iustiùs in auxilium opes, Copiasque suppeditent. Tam secundam opportunitatem utiliter, atque honorificè componendi res suas minimè praetermittendam, ob nonnullorum suspiciones inanes, cautionesque superuacaneas; aut eorum obtrectationes, quorum plus intersit, res esse bello turbidas, quàm Inducijs quietas. Quae inter arma perferantur incommoda, quae rerum omnium damna, quàm lamentabiles aerumnae; satis superque tot annorum decursu expertum fuisse miserum, attritum, ac laceratum Belgium. Tempus iam à benigniore fortunâ offerri, quo subleuentur incommoda, quo damna resartiantur, quo toleratis aerumnis solatium aliquod adhibeatur: exhausta reparentur aeraria; reficiantur Oppida semiruta: agri desolati denuo excolantur: Belgium quodammodo Belgio restituatur. Eos, ac multò plures esse fructus Induciarum. Per illas frequentatum iri marium nauigationem, quâ Belgae vel ignoto terrarum Orbi innotuerant: mercaturam, cuius beneficio tantum opum, operumque magnificorum Maiores cumulauerant: liberales disciplinas, quae unas olim Athenas Graecia, postea verò tot Belgicas Athenas habitarant. Eas omnes glorias, atque emolumenta ad primum belli rumorem pessum ire. Quare dubium esse nemini posse, communi cum sensu voluptatis amplexandas esse Inducias; quarum ope Ciuium, ac Ciuitatum securitas, rerum omnium copia, tranquillitas, beata vita sint in Belgium veluti postliminio reditura. 1608.

NON leues in Foederatorum animis motus ea Ianini verba, tum ore prolata, tum scripto tradita, excitauere: momentum eis pariter, ac vim addente Anglici Regis Oratore. Indè ad Zelandos in eamdem sententiam pertrahendos missi aliarum Prouinciarum Delegati; qui post multos congressus, ac disceptationes, rem tandem confecere. Neque minùs Archiduci, ac Spinulae laborandum fuit, ut ad Prouincias liberas quantumuis generatim declarandas, nullis conditionibus adiectis, mentem Hispani Regis inflecterent. Cùm enim ad eum Spinula scripsisset, quod à Principum Oratoribus propositum fuerat ad rem temperandam, & mediam quamdam viam utrique Parti commodam ineundam; nequaquam id sibi consilium placere, respondit Rex. Id autem erat, ut eadem adhiberentur verba, quae in primâ armorum

Tandē assentiuntur Inducijs Foederati.

rum

1608. rum cessatione usurpata; quibus minimè abdicatum esset ius in eas Prouincias: atque in Inducijs ea tamdiu solùm vim haberent, quamdiu illæ perstarent. *Mentem quippe suam esse certam, obfirmatam, immutabilem; neque ad unam diem supremum imperium suum cedere, nisi mutuò repensâ libertate Catholicæ Religionis. Quò tamen palàm faceret Orbi terrarum, quanto studio teneretur Belgicæ quietis, & securitatis, undique totius Christianæ Reipublicæ tranquillitatis; haud grauatè se consensurum in decem, aut duodecim annorum Inducias, omnibus tamen conditionibus alterutri Partium grauibus absolutas. Ad eas verò Inducias hoc potissimùm incitamento se adduci, ut per illarum quietem sedulò liceat perpetuæ Pacis tractationem habere: quâ nihil ferè sibi sit in humanis rebus prius ad Christiani nominis felicitatem.* Difficultates ab Rege Hispano in iis liberis declarandis.

Haec Regia deliberatio tam è regione opposita Fœderatorum petitionibus erat: ut iam de Inducijs, quemadmodum paulò antè de Pace, actum esse videretur. Quia tamen Archiducibus, Spinulæ, & cæteris Delegatis; imò Belgis omnibus communis boni amantibus, æquè perniciosus, atque indecorus, is utriusque tractationis exitus apparebat: extremos adhibere conatus ad constituendas Inducias decreuerunt. Quamobrem ut, quidquid gliſceret in Hispaniâ difficultatum, euinceretur: ad Regem transmittendum censuerunt Inicum Brizuelam, Religiosum virum è Dominicanâ Familiâ, qui suas confitentem noxas Archiducem audire, atque expiare consueuerat. Is igitur ad Aulam profectus, de rebus quidem omnibus, quæ gerebantur, sincerè Regem, regiosque Proceres edocuit: sed præsertim de Religionis capite; quod si urgeretur, Induciæ prorsus reijcerentur; eis verò reiectis, ac resurgente bello, in ipso Belgio Archiducibus subiecto, Religio periclitaretur. Religiosus Vir alter ad eum inflectendum mittitur.

Tractatio interea ab Regijs Oratoribus cum Archiducum Delegatis continens habebatur. Quoniam verò per literas ea diuturnior, ac difficilior apparebat: optimum factu visum, si utrique Antuerpiam conuenirent. Igitur tertio Nonas Februarij Anni millesimi sexcentesimi noni, eò se contulit Spinula cum quatuor Collegis suprà memoratis, reuerso iam ex Hispaniâ Neyo. Quinto verò Idus eòdem peruenere Gallicus, Anglicusque Oratores: quibus obuiàm itum leucæ dimidio ab eisdem Delegatis. In primis congressibus diu, multùmque de Indicâ nauigatione certatum; adnitentibus Regijs Legatis, ut ea disertis verbis permitteretur Fœderatis: contrà verò Delegatis Archiducum contendentibus eamdem, vel Induciarum conditionibus prorsus adimere, vel obscuris, perplexisque significationibus inuoluere. Illud tamen apertè, constanterque hi requirebant, ut ab Indicis

Archiducum Delegati, & Regum Oratores congrediūtur Antuerpiæ.

Anno 1609.

Martio ad Archiducē, 9. & 11. Februarij.

regionibus Hispano subiectis omnino abstineretur. Post multas altercationes, ira demum inter eos conuênit, ut utrique Partium fieret satis: scilicet neque interdicendo Fœderatis Indiarum commercia, neque in partes earum ab Rege possessas aditum concedendo. Hæ cæteræque discutiendæ controuersiæ de industriâ in longum trahebantur à Spinulâ: uti spatium Brizuelæ daretur, demandatum negotium in Aulâ Hispanicâ diligenter accurandi; atque opportunam statuendis Inducijs ab Rege deliberationem referendi. 1609.

Quo pacto de Indica nauigatione conuenerit.

REM totam sedulò consultari Rex mandauit, non in Regio sòlùm Senatu; sed in Antistitum quòque, Doctorumque Conuentibus frequentatis. Vtrobique omnia momenta rerum, ac rationum expensa: & potissimùm in Fœderatis liberis declarandis ea, quæ fuerant ab Archiduce, Spinulâque per literas, atque à Brizuelâ voce proposita. *Belgicum nempe Principatum Archiduci dotis nomine traditum eum eâ lege: nè qua pars eius abalienaretur sine Regis consensu. Quòd si suum ius cessit Archidux in primâ armorum cessatione; id Regio iuri nihil officere. Quod verò tùm semel factum est, in sanciendis Inducijs iterum fieri, noxam denuo nullam afferre. Eumdem, tam suo, quàm Regis nomine cessisse, citra Regium assensum, nihil imminuere Regium dominatum. Qui missus ab Rege fuit ad eam cessationem, assensum adeò circumscriptum clausulis esse, ut parum obsit eiusdem iuribus. Si eâdem formâ mittatur ad Inducias: idem prorsus effecturum. Neque dubitandum, quin accipiatur posterior à Fœderatis, quandò acceptus est prior.*

Accuratè de re tota consultatur in Hispania.

Quomodo ab Rege concessa libertas Fœderatis.

HIS potissimùm argumentis Regijs Consiliarijs, ac Regi persuasum, ut eam scripto concederet Fœderatis libertatem, quam Archidux, & Spinula tantopere flagitabant, ad stabiliendas Inducias. Rebus in hunc modum dispositis; Oratoribus Regum, atque Archiduci optimum factu visum, ut ad negotium perficiendum, euocarentur Prouinciarum Delegati. Hi Bergam ad Zomam, parum Antuerpiâ distantem, confluxere numero supra septuaginta. In tot diuisa suffragia Fœderatorum voluntates erant: tantique intererat omnium, rem maximi ponderis exitu salutari concludi. Ex his illi præcipui, qui fuerant ad Pacis tractationem delecti, ac suprà recensiti, Antuerpiam se contulere. Ibi quotidie in Vrbis Prætorio utrique Delegati cum Regijs Oratoribus congrediebantur. De rebus verò, quæ disceptabantur in dies, Bruxellas ad Archiducem, Bergam ad Fœderatos referebatur. Vtrobique capiebantur deliberationes opportunæ. Denique post multos habitos congressus, multas, ac magnas concertationes; auspice primùm Deo, & secundùm Deum, eorum, qui tantum negotium

Prouinciarum Delegati plurimi Bergæ ad Zomam.

Eorum præcipui Antuerpiam petunt.

1609. tium tractabant, incredibili prudentiâ, difficultatibus cunctis superatis; utriusque Partis lætissimo consensu, decretæ, & constitutæ fuerunt in duodecim annos Induciæ quinto Idus Aprilis. Capita rerum, seu conditionum in hisce Inducijs obseruandarum, fuere numero plurima: duo nempe de quadragintâ. Præcipua verò, & uniuersè pertinentia hæc recensentur. Duodecim annorum Induciæ tandem sancitæ.

Ab Archiducibus Inducias fieri cum Prouincijs Belgij Fœderatis, tanquam cum Populis liberis, & in quos nullum ipsi ius sibi vendicent: idemque ab Rege Hispano præstandum. Induciarum tempore motum omnem cuiuscunque generis hostilem inter utrosque cessaturum terrâ, marique in quâuis utriusque Partis ditione, nullius conditionis Hominibus exceptis. Utrosque, quas tùm possiderent Urbes, Oppida, regiones, & loca qualibet, in posterum sinè ullâ Partis alterius vexatione possessuros. Sinceram, constantemque amicitiam colendam inter eos, qui Archiducibus pareant, quique Magistratibus Fœderatorum: & cuncta superiorum temporum damna obliuione delenda: liberumque utrisque fore per totum Belgium ultro, citroque commeare, ac secura exercere commercia. Hac verò per uniuersam Europam licère Fœderatis, in Regnis quòque Hispano Regi subiectis: non autem sinè ipsius consensu, in eius ditionibus extra Europam. Earum conditiones præcipuæ.

PROMVLGATAE fuere cum his, cæterisque conditionibus Induciæ Idibus Aprilis Antuerpiæ: & intra quindecim dies per Belgium uniuersum. Paulò pôst Oratores Regij, & utrique Delegati Antuerpiâ discessere; magnis ubique locorum plausibus, & Populorum acclamationibus, triumphantium instar excepti: ac tanquam publicæ quietis Auctores, & Belgicæ felicitatis Parentes ab omnibus cum veneratione salutati. Neque intra Belgium se continuit felicissimi successûs communis lætitia: sed uniuersam peruasit Europam. Eius quippe uniuersæ intererat, ei bello finem aliquem imponi: quod annos supra quadraginta Nationes eius primarias fatigasset: earum exhausisset æraria: tot easdem, millenis hominum millibus orbasset. Vt iam appellari Belgium meritò posset, non tam arena militaris Europæ, quàm commune sepulchrum Europæorum Militum. Induciæ promulgatæ cum plausu totius Europæ.

LAVS DEO.

INDEX RERVM.

A

B

BELGIVM.

C

CASTRORVM DISPOSITIO.

CESSATIO ARMORVM.

CONCIONES RECTÆ.

CONCIONES OBLIQVÆ.

D

DEDITIONES.

DESCRIPTIONES.

DICTA MEMORABILIA.

E

EDICTA.

Obſi-

H

I

LITERÆ.

M

MILITARIA DOCVMENTA PER EXEMPLA.

Ætas.

Arces.

Armorum cessatio, Induciæ.

Bellum.

Castrametatio.

Commeatus.

Præ-

Di-

Militaria Officia.

Obsidio.

Oppugnatio.

Pecunia.

Præfecti Militum.

Præsidia.

Proditio.

Pugnæ prosunt.

Pugnæ nocent.

Receptio.

Seditiones.

Re-

Mors

OPPVGNATIONES.

P

POLITICA MONITA AB EXEMPLIS.

Ambitio.

Astutia.

Aulici.

Calamitas.

Cautio.

Consilium.

Difficultates.

Dominatus.

Exemplum.

Exequutio.

Experientia.

Factiones.

Felicitas.

Fides.

Fortuna.

Gubernatio.

Iudicium.

Iustitia.

Laus.

Lucrum.

Maiestas.

Ma-

Exi-

Rebus

SEDITIONES.

SITVS, ET DESCRIPTIO LOCORVM.

SVBSIDIA:

T

V

VICTORIÆ INSIGNES.

Z

INDEX PERSONARVM.

A

c Hulsti.

B

Borgia,

C

Da-

Iubet

Fetiæ

Tituli dignitatis.

Mores.

Res gestæ.

Oc-

GVBERNATORES.

Gro-

H

Res gestæ.

Prudentia Militaris.

Ca-

Obfidiones.

Prælia.

Victoriæ.

Aduerfa.

Dicta.

Virtutes.

Honores.

Laudes.

Con-

L

Man-

Ortus, & Affinitates.

Natura, & mores.

Res gestæ.

Prudentia Militaris.

Ho-

Obsidiones.

Prælia.

Victoriæ.

Aduersa.

Dicta.

Virtutes.

Honores.

Lin-

N

NVNCII PONTIFICIS.

Affectus.

Potentia.

Regimen.

Res gestæ.

Dicta.

Prospera.

Aduersa.

Virtutes præcipuæ.

Pietas.

S.

Cen-

S

Vber-

Ortus, & educatio.

Natura, & mores.

Itinera.

Res gestæ.

Prudentia Militaris.

Eius

Obsidiones.

Prælia.

Victoriæ.

Aduersa.

Dicta.

Virtutes.

Honores.

Com-

Laudes.

Ortus, & educatio.

Natura, & mores.

Itinera.

Res gestæ.

Prudentia militaris,& nautica.

Prælia.

Victoriæ.

Aduersa.

Mors.

Virtutes.

Honores.

T

Alius

V

INDEX
LOCORVM.
Latinè, & Italicè.

A

B

C

Chios,

Maſſilia in Gallia *Marſiglia.*
Maſterbrucga in Germania.*Masbruch.*
Matrona,flumen Galliæ.*Marne.*
Mechlinia in Belgio.*Malines.*
Medunta in Gallia.*Medun.*
Mega in Brabantia.*Mega.*
Melda in Gallia.*Meòs.*
Melodunum ibidem.*Melùn.*
Metæ ibidem.*Metz.*
Meurſa in Germania.*Murs.*
Mocha in Trans-Iſalana.*Moch.*
Mola ad Rhenum.*Mol.*
Monaſterium in Germania.*Munſter.*
Monœci portus in Italia.*Monaco.*
Mons Deſiderij in Gallia.*Mondidier.*
Monſtrolium ibidem.*Monſtreul,ò Monterollo.*
Montes in Hannonia *Mons.*
Montis Argiſi Oppidum in Gallia. *Montargis.*
Montilium Ademari ibidem.*Montelimar.*
Moruedrum in Hiſpania.*Moruedro.*
Mullhemium in Germania.*Mullhem.*
Muſſipontum in Gallia.*Pont-à-Mouſſon.*
Mutiliana Arx in Germania.*Modigliana.*

N

NAmureum,prou.& urbs Belgij. *Namur,ò Namen.*
Nanceium in Gallia.*Nanzì.*
Neoportus in Flandria. *Nieuport.*
Nerius,fluuius Geldriæ.*Niers.*
Nicia in Italia.*Nizza.*
Niernium in Cameracēſio.*Gnergni.*
Niuernium in Gallia.*Niuers,ò Neuers.*
Normannia,prou Galliæ.*Normandia.*
Nouiodunum in Gallia.*Noyòn.*
Noniomagum, vel Neomagum in Geldria. *Nimega.*

O

OEni-pons in Germania.*Inſpruch.*
Oldenſalia in Trans-Iſalana.*Oldenzel.*
Orchiſæ in Flandria *Orches.*
Ordela in Trans-Iſalana.*Ordel.*
Orſoya in Germania.*Orſoy.*
Oſtenda in Flandria.*Oſtenden.*

P

POns-Æſiæ in Gallia.*Pont-Oiſe.*
Premium in Cameracenſi.*Premy'.*
Promontorium ſacrum in Luſitania. *Capo di San Vincente.*

R

RAdeſiæ in Gallia.*Retz.*
Raueſteniom in Brabantia.*Raueſtayn.*
Renteium in Arteſia.*Rentby'.*
Rhemi in Gallia.*Rems.*
Rhena in prou.Vltraiectina.*Rhena.*
Rhenoberga in Germania. *Rembergh,ò Rynsberga.*
Rheſa ibidem.*Rees.*
Rinſuicum in Hollandia.*Riſuich.*
Rhoda in Hiſpania.*Roſas.*
Roſna in Gallia.*Rona,ò Rony'.*
Roterodamum in Hollandia.*Roterdam.*
Rhotomagum in Gallia.*Roano.*
Rura,flumen Germaniæ.*Roër.*
Ruræmunda in Geldria.*Roërmonda.*
Rurorta in Germania.*Roërort.*

S

SAlmantica in Hiſpania.*Salamanca.*
Sancti Audomari Oppidum in Arteſia. *Sant'Omer.*
S.Dionyſij Oppidum in Gallia.*San-Denis.*
S.Pauli Oppidum in Arteſia.*San-Polo.*
S.Trudonis Oppidum in Leodicenſi.*San-Truden.*
S.Valerici Oppidum in Gallia.*San-Valery'.*
Saſſum Gandauenſe in Flandria.*Sas,ò Tſas.*
Schaldis,flumen Belgij.*La Schelda.*
Schenchiana Arx in Geldria. *Forte di Schinche.*
Sluſa in Flandria.*L'Eſcluſa.*
Somona,flumen Galliæ.*Somma.*
Spada in Leodicenſi ditione.*Spà.*
Stapulæ in Gallia.*Eſtaples,ò Tappe.*
Stenouicum in Trans-Iſalana.*Steenuich.*
Subalpina regio in Italia.*Piemonte.*
Sueſſa ibidem.*Seſſa.*
Sueſſiones in Gallia.*Soiſſons.*
Suolla in Trans-Iſalana.*Suol.*
Sylua-Ducis in Brabantia.*Bolduc.*
Syluanectum in Gallia.*Senlis.*

T

TArraco in Hiſpania.*Aragona.*
Tenera,flumen Flandriæ.*Dendra.*
Teneræmonda ibidem.*Tenremonda.*
Thena, ſeu Tillæ-mons in Brabantia. *Telimone.*
Theodonis-Villa in Lucemburgenſi. *Tionuille.*
Thora in Leodicenſi.*Thor.*
Tierachia in Gallia.*Tiraſſe.*
Tila in Geldria.*Tiel.*
Tornacum in Flandria.*Tornay.*
Traiectum ad Moſam in Brabantia. *Maſtrich.*
Trans-Iſalana,prou.Belgij.*Ouer-Iſel.*
Trans-Rhenana regio. *Paeſe di là dal Reno.*
Tungri in Leodicenſi.*Tongeren.*
Turnohutum in Brabantia.*Tornaut.*

Vachten-

V

Z



INDEX
LOCORVM.

Italicè, & Latinè.

A

B

C

Damme

N

O

P

R

S

T

Vach-

V

Z



INDEX

VERBORVM MILITARIVM, ET NAVTICORVM.

Latinè, & Italicè.

A

AB appulſu diſtinere. Arcere à litore. *Impedir lo sbarco.*

Ab armis feriari. *Far ſoſpenſion d'armi, ò triegua.*

Ab Hoſte ſe tueri bello. *Far guerra difenſiua.*

Abnegare Ductoris imperium. *Sottrarſi all'obedienza del Capo.*

Abſorberi naues à mari, vel fluuio. *Sommergerſi, ò affondarſi le naui.*

Abſtrahi naues in diuerſa. *Sbandarſi le naui.*

Accelerare deditionem. *Renderſi preſto.*

Acceſſus obſidionales. Aggeres ſerpendo accedentes. *Approcci.*

Acies. *Squadroni, Corpi d'Eſercito.*

Acies prima. Agmen primum. *La Vanguardia.*

Acies media. *La Battaglia.*

Acies poſtrema. *La Retroguardia.*

Aciem primam agere. *Condur la Vanguardia.*

Acies diſponere, dirigere. *Ordinar li ſquadroni. Squadronar l'Eſercito.*

Acies directas ducere. *Marchiar'in ordinanza.*

Acies reſtituere. *Rimetter sù le ſquadre.*

Ad arma conclamare, ciere. *Dar'all'arme.*

Ad bombardæ ictum. Ad iactum tormentarij globi. *Ad vn tiro d'artiglieria.*

Ad breuia, & ſyrtes, & ſaxa latentia impingere. *Dar ne le ſecche.*

Ad colloquium cum Hoſte venire. *Parlamentare.*

Ad deditionem proclamare. *Far la chiamata.*

Ad extremum ſpiritum propugnare. *Difender ſin alla morte.*

Ad ictum ſelopeti. *Ad vn tiro d'archibugio.*

Aditum cuſtodire. *Guardar'il paſſo.*

Aditum intercludere. *Chiuder'il paſſo.*

Adminiſtratio belli. *Gouerno dell'armi.*

Admittere Præſidium. *Accettar la guarnigione.*

Ad oppugnationem irrumpere, irruere. *Andar'à l'aſſalto.*

Adoriri. *Aſſaltar'all'improuiſo.*

Ad vim tormenti validum eſſe. *Eſſer à proua di cannone.*

Æquare ſolo. *Atterrare.*

Æquo Marte pugnare. *Combatter ſenza vantaggio.*

Æſtus maris intumeſcens, exuberans, efferueſcens. *Alta marea.*

Æſtus maris ſubſidens, decreſcens, ſe reſorbens. *Baſſa marea.*

Æſtuarium. Stagna è mari redundantia. *Lagune, Stagni.*

A foſſa diſtinere. *Tener lontano dal foſſo.*

A fuga cohibere. Fugientes ſiſtere. *Fermare.*

Agere velociter equos in orbem. Currere in orbem equitando. *Caracollare.*

Agger, Vallum, Lorica. *Trinciera. Argine.*

Agger ingens. Maius vallum. *Trincierone.*

Aggeres excitare. *Aprir le Trinciere.*

Aggeres promouere. *Auanzarſi con le Trinciere.*

Aggeribus munire. *Trincierare.*

Aggeris loricam præ ſe ducere. *Trincierarſi.*

Agger terreus. *Terrapieno.*

Aggeſta terra munire. *Terrapienare.*

Aggredi, inuadere. *Attaccare. Andar ſopra.*

Agmina equeſtria, & pedeſtria diſtribuere. *Far li ſquadroni di Caualleria, e Fanteria.*

Agminibus agmina concurrere. *Affrontarſi le ſquadre.*

Agmen extremum carpere. *Dar'alla coda dell'Eſercito.*

Agmen Volans, Expeditum. *Squadron Volante.*

Alæ Equitum. *Maniche di Caualli.*

Aleam belli ſubire. *Auuenturar la battaglia.*

Alimenta. *Rinfreſchi. Viueri.*

Allui flumine. *Correr vicino vn fiume.*

Alueus *Letto di fiume Canale.*

Alueis concludere. *Iſolare frà canali.*

Anchoras figere. *Fermar la naue. Dar fondo.*

Anchoras ſuſtollere, aut vellere. *Sarpare, ò ſalpare.*

Animis cadere, animos abijcere. *Perderſi d'animo.*

Animos facere, addere. *Dar'animo. Animare.*

Animam edere, efflare. *Spirare.*

Annonæ Structor. *Commiſſario de' viueri.*

Appellere Litus attingere. *Approdare.*

Aquari. & lignari. *Far l'acqua, e la legna, cioè prouederne l'armata.*

Aquæ ſtatis horis æſtuantes. *Fluſſo, e rifluſſo del mare.*

Aquis ſeſe inſinuantibus naues hauriri. *Entrando l'acqua affondarſi le naui.*

Arbitrio victoris ſe permittere. *Renderſi à diſcretione.*

Architectura militaris. *Arte di fortificationi.*

Ar-

Archithalaſſus. Claſſis Præfectus. *Almirante, ò Ammiraglio.*
Ardorem pugnæ affundere. *Dar calore alla zuffa.*
Arma de integro cudere. *Fabricar nuoue armi.*
Arma petentia. *Arme offenſiue.*
Arma tegentia. *Arme difenſiue.*
Armorum imperium. *Il comando dell'armi.*
Armis ſubijcere, armis redigere in poteſtatem. *Soggiogare.*
Armorum ceſſatio. Belli feriæ. *Soſpenſion d'armi.*
Arx. *Cittadella. Fortezza. Caſtello. Rocca.*
Arcis Præfectus. *Caſtellano.*
Audere prælium. *Arriſchiarſi à combattere.*
Augere Militem Copijs. *Ingroſſar l'Eſercito.*
Auxiliari ſibi mutuò. *Darſi mano.*

B

Bellandi vetus. Veteranus. *Soldato Veterano.*
Belliœ naues. *Vaſcelli da guerra.*
Bellicum canere. *Intimar la guerra.*
Bellicum apparatum inſtruere. *Far prouigion per la guerra.*
Bellicum inſtrumentum. *Munitione.*
Bombardæ. Tormenta muralia. *Artiglierie.*
Bombardarum ictus. *Cannonate.*
Bombardam exonerare, diſplodere. *Sparare.*
Bombardarum rotas, ac tigna, vel fulcra perfringere. *Scaualcar l'artiglierie.*
Bombardarum plauſtra. *I carri dell'artiglierie.*
Bombardæ ingentes. *Pezzi groſſi.*
Bombarda petraria. *Pietriera.*
Bombarda minor. *Sagro.*
Bombardæ longiores, vel à colubris denominatæ. *Colubrine.*
Bombardæ exarmatæ. *Artiglierie non cariche.*
Bombardarum ſuggeſtus *Batteria, luogo.*
Bombardarum impreſſio, concuſſio. *Batteria, attione.*
Vide, Tormenta.

C

CÆcæ cryptæ. *Caſe matte.*
Cæcæ ſcrobes. *Foſſe coperte.*
Cancelli lignei. *Barrera.*
Candentes globi in ſublime protruſi. *Bombe.*
Canunt ſigna, vel tubæ. *Suonan le trombe.*
Captiuos abducere. *Condur prigioni.*
Caſtrorum Præfectus. *Mareſciallo.*
Caſtrorum ſupremus Præfectus. *Maeſtro di Campo Generale.*
Caſtra mouere. *Marchiare. Sloggiare.*
Caſtra ponere, locare, Caſtrametari. *Accamparſi. Alloggiare.*
Caſtris locum optare. *Elegger'il poſto per gl'alloggiamenti.*
Cataphracti. *Huomini d'arme.*
Cataracta porta penſilis. *Saracineſca.*
Celox. *Fregata.*
Centuriæ, Cohortes. *Compagnie.*
Centurio. *Capitano d'vna Compagnia.*
Centuriare Milites. *Far la maſſa de' Soldati.*
Certamen anceps *Vittoria dubia.*
Certamen ſingulare. Monomachia. *Duello.*
Chiliarcha. *Colonnello.*
Circumſidere, Obſidere, Milite cingere. *Aſſediare.*
Circumuenire nauibus. *Aſſediar con le naui.*
Ciſtæ vimineæ. *Gabbioni.*
Clades. *Rotta.*
Clandeſtina porta. *Porta falſa, ò ſegreta.*
Claſſem cogere. *Formar'vn'armata.*
Claſſiarij. *Soldati dell'armata.*
Claſſis, vel Maris Præfectus. *Almirante, ò Ammiraglio.*
Clauis adactis configere bombardas. *Inchiodare l'artiglierie.*
Cogere Milites, Copias, Exercitum. *Far gente, far leuata.*
Cognoſcere res Hoſtium. *Pigliar lingua.*
Cohortes Haſtatæ. *Compagnie di lancie.*
Colligere vaſa, vel ſarcinas. *Sloggiare.*
Collocare in inſidijs. *Porre in agguato.*
Colloquium cum Hoſte poſtulare. *Fare, ò toccar la chiamata.*
Colloquium de deditione. *Parlamento di reſa.*
Commeatuum inſtructio. *Prouigion de' viueri.*
Concilium militare. Senatus bellicus. *Conſiglio di guerra.*
Concio militaris. *Parlamento. Diceria.*
Conducere Militem. *Far condotta, ò leuata di Soldati.*
Conflare Exercitum. *Far leuata.*
Conflictus. *Fatto d'arme. Fattione.*
Confluere in unum alueum flumina. *Vnirſi i fiumi.*
Congeſtitia humus. *Terrapieno.*
Congeſtitia terra farctus. *Terrapienato.*
Congredi iuſto prælio. *Venir'à giornata.*
Coniungere pontibus fluuios *Far ponti à i fiumi.*
Conſcendere nauem. *Imbarcarſi.*
Conſerere cum Hoſte manus. *Azzuffarſi.*
Contra Hoſtem ſtare. *Far fronte al nemico.*
Contra ictus protegi. *Coprirſi da i colpi.*
Conuenire cum Hoſte. Conuenta tractare. *Capitolare.*
Conuentiones. Conditiones deditionis. *Capitolationi.*
Conuenire inter Hoſtes. *Accordarſi i nemici.*
Conuenire. *Venir'à patti.*
Copias deducere. *Marchiare.*
Copiæ ſubſidiariæ. *Gente di ſoccorſo.*
Copijs maioribus roborari. *Hauer rinforzo di Gente.*

Instructio commeatuum. *Trovigion de' viueri*
Iniector pyroclastri. *Petardiero.*
Instructor. *Sergente.*
Instructor supremus *Sergente maggiore.*
Instrumentum bellicum. *Munitione.*
In sublime proripere cuniculis. *Far volar con le mine.*
Interceptio. *Sorpresa.*
Intercipere. *Sorprendere.*
Intercipere medium. *Coglier'in mezo.*
Interrumpere pontes, aut vias. *Romper'i ponti, ò le strade.*
In tutum se recipere. *Metterſi in saluo.*
Inuadere. Aggredi. *Attaccare. Inuestire.*
In vestigio stare. *Far'alto.*
Inuicem sibi opem ferre. *Darſi mano.*
Inundare locum, & impetuium reddere. *Far vn luogo inaccessibile, con allagarlo.*
Irrumpere, vel irruere ad oppugnationem. *Andar'impetuosamente all'assalto.*
Isthmus. *Stretto, terra frà due mari.*
Iter intercidere. *Tagliar la strada.*
Itinera intercludere. *Chiuder le strade.*
Iussa Imperatoria. *Ordini de' Generali.*
Iustum prælium. *Giornata campale.*

L

LAtera munire, tegere. *Fiancheggiare.*
Latere in insidiis. *Stare in agguato.*
Legio *Vn Terzo. Vn Reggimento.*
Legionem unam cum alia coalescere. *Riformarſi vn Terzo in vn'altro.*
Legiones augere supplementis. *Riempire i Terzi.*
Legionarios. *Soldato d'vn Terzo.*
Lethaliter saucius. *Ferito mortalmente.*
Leuis armaturæ Equites. Velites. *Caualli leggieri.*
Libertatem redimere. *Riſcattarſi.*
Libratores tormentarij. *Bombardieri.*
Lignei cancelli *Barrera.*
Litorale Oppidum. *Terra maritima.*
Locus insidiarum. *Imboscata.*
Locus tormentorum. *Batteria.*
Locum deserere. *Abbandonar'il posto. Sbandarſi.*
Locum tenere. *Alloggiar nel ſuo posto.*
Locum tueri. *Difender'il posto.*
Locum validè firmare. *Fortificarlo.*
Loca perlustrare. *Riueder'i posti.*
Loca occupare. Eis potiri. *Guadagnar luoghi.*
Longitudo mœnium. *La cortina de le mura.*
Lorica, vel thorax. *Corazza, ò giacco.*
Loricati Equites. *Corazze à cauallo.*
Lorica. *Parapetto, Difesa, Riparo.*
Lorica mœnium. *Trinciera de la cortina.*
Loricata via. *Strada coperta.*
Lorica aggesta humo suffarcta. *Ricinto terrapienato.*
Lucanicæ bellicæ. *Salſiccie da guerra.*
Lunatum propugnaculum. *Mezaluna.*
Lustrare Exercitum. *Far la mostra, ò rassegna.*
Lytrum. *Paga del riſcatto.*

M

MAchinator. *Ingegniero.*
Magni momenti locos. *Luogo di conseguenza.*
Malaciam obsecundare. *Far giuoco la bonaccia.*
Manuale tormentum. *Archibugio, ò Pistola.*
Manubrium ensis manu stringere. *Tener la spada per l'impugnatura.*
Mare intumescens, æstuans. *Alta marea. Flusso del mare.*
Mare subsidens, se resorbens, reciprocans. *Bassa marea. Riflusso.*
Maris sinus. *Golfo.*
Mari se committere, credere. *Imbarcarſi.*
Maritimæ rei Præfectus. *Ammiraglio.*
Maritimæ rei sciens. *Perito nella marinaresca.*
Miles conductus. *Gente pagata, ò assoldata.*
Miles voluntarius. *Venturiero.*
Milites cogere. *Far leuata.*
Milites Duci addicti ad custodiam corporis. *Guardia del Capitano.*
Milites agmen claudentes. *Retroguardia.*
Militaris astus, vel dolus. *Stratagemma.*
Miscere prælium. *Azzuffarſi.*
Missilis ignis globi. *Bombe, Granate.*
Missionem à bello dare. *Licentiare.*
Moderator Militum. *Comandante.*
Mœnium hiatus. Murorum ruina. *Breccia.*
Mosquetum. *Moschetto.*
Mosquetarij. *Moschettieri.*
Mouere Castra. *Sloggiare. Marchiare.*
Munimentum. *Baloardo. Bastione. Forte.*
Munimenta validissima. *Baloardi reali.*
Munire. *Fortificare.*
Munitiones. *Le difese.*
Munitionibus vallare, roborare. *Fiancheggiare.*
Murices ferrei. *Triboli.*
Mutuò se tueri. *Darſi mano.*

N

NAuarchus. *Padron della naue.*
Nauis multorum hominum patiens. *Naue capace di molti.*
Nauis plano alueo. *Col fondo piatto.*
Vi tempestatis labefactata. *Rouinata per la tempesta.*
In sicco destituta. *Arrenata.*
Nauem obarmare tormentis. *Armar la naue.*
Nauem inscendere. *Imbarcarſi.*
Naues in anchoris stare. *Star sù l'ancore, ò far fondo.*
Naues in omnem partem circumagere. *Raggirare*

Tran-



INDEX

INDEX

VERBORVM MILITARIVM, ET NAVTICORVM.

Italicè, & Latinè.

A

ABbandonar' il posto. *Locum deserere.*
Abbattere. *Sternere.*
Accamparsi. *Castra ponere, vel locare. Castrametari.*
Accettar la guarnigione. *Præsidium admittere.*
Accordarsi. *Conuenire.*
Accrescer l'Esercito con soccorsi. *Subsidiarijs Copijs augere militem.*
Adelantado, General delle galee. *Triremium Præfectus.*
Ad vn tiro d'archibugio. *Ad ictum sclopeti. Quantum iacere sclopetum potest.*
Ad vn tiro d'artiglieria. *Ad iactum tormentarij globi.*
Affrettar la resa. *Accelerare deditionem.*
Affrontar'il nemico. *Hosti accurrere.*
Affrontarsi le squadre. *Agminibus agmina concurrere.*
Agguatarsi. Star'in agguato. *Latere in insidijs.*
Alabarda. *Hastata securis. Securis hastæ præfixa.*
Alfiero. *Signifer. Vexillarius.*
Allargar l'assedio. *Relaxare obsidionem.*
Alloggiamenti. *Castra.*
Alloggiare. *Castrametari. Stationes locare.*
Alzar baloardi. *Propugnacula excitare.*
Ammiraglio, ò Almirante. *Præfectus Classis, vel maris. Archithalassus. Rei maritimæ Præfectus.*
Ammutinamento, ò mutino. *Seditio. Secessio. Tumultus.*
Ammutinarsi. *Tumultuari. Seditionem, aut secessionem facere.*
Ammutinari. *Seditiosi.*
Andar'all'assalto. *Ad oppugnationem irrumpere, vel irruere.*
Andar contro 'l nemico. *In Hostem ferri.*
Andar'il colpo in vano. *Ictum incassum effundi. Irritum cadere.*
Andar'in ordinanza. *Quadrato agmine procedere.*
Andar sopra. *Aggredi. Inuadere.*
Andar'alla traccia. *Vestigia persequi.*
Animar'i combattenti colla presenza. *Conspectu sua animos pugnantibus facere.*
Apertura di muraglia. *Hiatus muri.*
Appianare il fosso. *Solo fossam æquare.*
Approcci. *Obsidionales accessus. Aggeres serpendo accedentes. Obsidionales viæ obliquæ.*
Approdare. *Appellere. Litus attingere. Terram tenere.*
Aprir le trinciere. *Aggeres excitare.*
Aqquartierarsi. *Stationem figere, locare.*
Archibugio. *Sclopetum. Manuale tormentum.*
Archibugieri. *Sclopetarij.*
Archibugieri à cauallo. *Sclopetarij Equites.*
Argine. *Agger. Obex.*
Armi difensiue. *Arma tegentia.*
Armi offensiue. *Arma petentia.*
Arrendersi. *Deditionem facere. Venire in potestatem. Dare se in Hostis manus.*
Arrendersi in veder' il nemico. *Ad primum aspectum Hostis se dedere.*
Arrischiarsi à combattere. *Prælium audere.*
Arriuare in tre alloggiamenti. *Tribus Castris peruenire.*
Arte d'assedij. *Obsidionalis Ars.*
Arte di guerra. *Ars, vel scientia bellica.*
Arte di fortificare. *Architectura militaris.*
Artiglierie. *Bombardæ. Tormenta muralia.*
Artiglieria minuta. *Tormenta minora.*
Artiglieria grossa. *Bombardæ grauiores.*
Artiglierie scaualcate. *Tormenta sine fulcris.*
Artiglierie non cariche. *Bombardæ exarmatæ.*
Assalto. *Oppugnatio. Irruptio Militum.*
Assaltare. *Irrumpere. Impetum, vel impressionem facere.*
Assaltar da due parti. *Impetum facere bipartitò.*
Assaltare all'improuiso. *Adoriri.*
Assedio. *Obsidio. Obsidium. Obsessio.*
Assediare. *Obsidere. Obsidione cingere. Circumsidere. Milite cingere.*
Assicurare, ò guardare il passo. *Aditum custodire.*
Assoldare. *Conducere, vel conscribere Milites.*
Attaccare. *Aggredi. Inuadere.*
Attaccare il petardo. *Pyloclastrum admouere, vel applicare.*
Atterrare. *Solo æquare.*
Auanzar le trinciere. *Aggeres promouere.*
Auanzarsi. *Progredi. Procedere.*
Auanzarsi co i lauori. *Opera promouere.*
Auuenturar la battaglia. *Pugnæ aleam subire.*

B

BAgaglio. *Impedimenta. Sarcinæ.*
Baloardo. *Propugnaculum. Munimentum.*

Ba-

Corpi

Corpi di guardia.*Custodiæ militares.*
Corpo di guardia, luogo.*Statio Custodum.*
Corpi d'Essercito.*Acies.*
Corritori, ò Scorritori.*Equites Exploratores.*
Cortina delle muraglie. *Longitudo, seu ductus murorum. Lorica mœnium.*
Costeggiare.*Regionis oram legere, præternebi.*

D

DAdi di ferro.*Ferrei tali.*
Dar negl'agguari, ò nell'imboscata. *Inducre se in insidias.*
Dar'animo.*Animos facere.*
Dar'all'arme. *Ad arma conclamare. Ad arma ciere.*
Dar l'assalto.*Impetum facere. Impressionem facere.*
Dar la batteria.*Tormentis muros quatere.*
Dar calore al combattere. *Pugnæ ardorem affundere, addere.*
Dar la carica.*Hostem premere. Instare Hosti.*
Dar'alla coda dell'Essercito.*Postremum, vel nouissimum agmen carpere.*
Dar'à dietro.*Retrocedere.*
Dar fuoco alle mine.*Cuniculos succendere.*
Alle bombarde. *Ignem tormentis applicare, admouere.*
Dar'il guasto.*Depopulari. Vastare.*
Darsi mano.*Auxiliari sibi mutuò. Mutuò se tueri.*
Dar la paga.*Stipendium persoluere.*
Dar la rotta al nemico.*Hostem profligare.*
Dar'il sacco.*Diripere, Deprædari.*
Dar la scalata. *Scalas mœnibus applicare, admouere.*
Dar soccorso. *Subsidium, vel suppetias ferre, vel submittere. Copias auxiliares adducere.*
Dar'alle spalle.*Infestari.*
Difender'il posto.*Locum tueri.*
Difender fin'alla morte. *Ad extremum usque spiritum propugnare.*
Difese.*Munitiones. Munimenta.*
Disfidare.*Prouocare. Lacessere.*
Dispegnare.*Eximere de pugna.*
Disturbare i lauori.*Opera disturbare, interpellare.*
Duello.*Singulare certamen. Monomachia.*
Dura la battaglia.*Pugna tenet.*

E

ELeggersi vn Capo à sorte, & à giornata. *Sortitò, & in dies sibi Ducem eligere.*
Entrar'il soccorso. *Subsidiarium Militem penetrare.*
Esser'in ordine l'Essercito. *In procinctu Militem stare.*
Esser lontano dal colpo.*Extra ictum esse.*
Esser'à proua di cannone.*Ad vim tormenti validum esse.*
Esser ritenuto.*Haberi in custodia.*
Esser sodisfatto delle paghe. *Sua percipere stipendia.*

F

FAbricar' arme di nuouo. *Arma de integro cudere.*
Fanteria, ò Infanteria.*Peditatus.*
Far'alto. *In vestigio stare. Gradum figere. Subsistere.*
Far'acquisto d'vn luogo.*Loco potiri.*
Far bottino.*Prædas agere.*
Far breccia. *Fatiscere, vel dehiscere mœnia. Ruinam, vel hiatum ducere.*
Far chiamata.*Proclamare ad deditionem. Colloquium cum Hoste postulare.*
Far condotta.*Copias conducere.*
Far consiglio di guerra.*Concilium, vel Senatum bellicum habere.*
Far dar'all'arme.*Ad arma ciere.*
Far faccia, ò fronte al nemico. *Hosti obsistere. Contra Hostem stare.*
Far gabbionate.*Corbium series disponere.*
Far à gara i Soldati. *Inter se certare Copias, In contentionem venire Milites.*
Far gente, far leuata. *Cogere Militem. Copias contrahere, conflare.*
Far giornata.*Prælium committere.*
Far guerra difensiua.*Ab Hoste se tueri.*
Far guerra offensiua.*Hostem inuadere.*
Far lega, Collegarsi.*Fœdus inire, vel pacisci.*
Far massa di gente.*Exercitum cogere.*
Far mine.*Cuniculos agere.*
Far la mostra, ò rassegna. *Copias recensere, vel lustrare.*
Far prouigione.*Apparatum instruere.*
Far i Quartieri.*Stationes disponere.*
Far riconoscere.*Exploratum mittere.*
Far sortita grossa.*Ingenti multitudine erumpere.*
Far li squadroni di Caualleria, e Fanteria. *Agmina equestria, & pedestria distribuere.*
Far testa.*Obsistere.*
Far trinciere.*Terram effodere, atque aggerare.*
Far gli vltimi sforzi. *Extrema virium adhibere.*
Far volar'vna mina. *Cuniculum agere, & succendere.*
Far volare.*In sublime proripere.*
Fascine.*Fasces sarmentorum, vel ramalium.*
Fatto d'arme, ò fattione.*Conflictu. Pugna.*
Ferir'il petto di punta.*Mucrone pectus transfodere.*
Ferir'à trauerso in croce.*Transuersis ictibus decussatim ferire.*
Ferita mortale.*Lethale vulnus.*
Fermar quei, che fuggono. *Fugam cohibere. Fugientes sistere.*

Fianchi

Fianchi nel ricinto alla moderna. *Propugnacula in ambitu, recentiore structura.*
Fiancheggiare. *Latera munire, vel tegere. Munitione vallare.*
Figure di fortificationi. *Munitionum formæ.*
File di Soldati. *Ordines Militum.*
Finger'vna speditione. *Simulare motum armorum.*
Fiume, che bagna le muraglie. *Flumen mœnia prælabens, alluens.*
Fiume, che scorre per mezo. *Flumen interfluens, intersecans.*
Fiume, che sbocca, ò mette in mare. *Fluuius in mare se euoluens, vel exonerans.*
Fiume nauigabile. *Flumen nauium patiens.*
Foraggio. *Pabulum.*
Foraggiare. *Pabulari. Pabulum conquirere.*
Foraggieri. *Pabulatores.*
Fornello, ò Mina. *Cuniculus. Furnulus.*
Forte. *Munimentum. Propugnaculum.*
Fortificare. *Munire. Munitionibus roborare.*
Fortificato per natura, e per arte. *Natura, & manu munitus.*
Fortificatione alla moderna. *Munitio ex usu recentiore.*
Fosse coperte. *Cæcæ scrobes.*
Fresca gente. *Milites integri virium, vel recentes.*
Frontiera dell'Esercito. *Frons Exercitus. Principia.*
Fuggiti. *Transfugæ.*
Fuochi artificiati. *Pyroboli. Ignes missiles. Ignita missilia. Ignes arte elaborati.*

G

Gabbioni. *Corbes terra farcti. Vimineæ cistæ.*
Gabbionata. *Corbium series. Septum è corbibus contextum.*
Galoppo. *Gradarius cursus.*
Generalissimo. *Imperator. Dux supremus Exercitus.*
General della Caualleria. *Equitum Magister.*
General dell'artiglierie. *Rei tormentariæ Præfectus.*
Gente capitanata da alcuno. *Copiæ alicui subiectæ. Ab aliquo ductæ.*
Gente pagata, ò assoldata. *Miles conductus.*
Gente di soccorso. *Copiæ subsidiariæ.*
Giornata campale. *Iustum prælium.*
Girar'il viaggio. *Cursum circumflectere.*
Gouerno dell'armi. *Armorum imperium. Administratio belli.*
Granate. *Pyroboli. Mala punica bellica.*
Graticci. *Crates.*
Guadagnar luoghi. *Loca occupare.*
Guadagnar'vn posto. *Locum obtinere.*
Guardar bene vn luogo. *Milite locum satis instruere.*
Guardie del Capitano. *Stipatores. Custodes corporis Ducis.*
Guardie. *Militum Custodiæ.*
Guarnigione. *Præsidium.*
Guastatori. *Fossores. Operæ militares.*
Guerreggiare. *In armis esse.*
Guidone, ò Cornetto. *Vexillarius.*

H

Hauer'intelligenza di suoi Partiali. *Factiosos à suis Partibus habere.*
Hauer rinforzo. *Maioribus Copijs roborari.*
Hauer vantaggio nelle paghe. *In stipendijs habere prærogatiuam.*
Huomini d'arme. *Cataphracti.*

I

Imbarcarsi. *Nauem conscendere. Mari, vel fluuio se committere, credere.*
Imboccare i pezzi. *Tormentorum ora obstruere.*
Imboscata. *Insidiæ positæ.*
Imboscata, luogo. *Locus insidiarum.*
Incalzare. *Premere. Instare.*
Inchiodar l'artiglierie. *Clauis adactis configere bombardas.*
Incitar'alla guerra. *Ad bellum sollicitare.*
Infestar'il paese. *Infestam habere regionem.*
Infilzarsi da se stesso. *Vltro gladium incurrere. In ferrum se induere.*
Ingegniero. *Ingeniosus Machinator.*
Ingrossarsi l'Esercito. *Exercitum incrementa capere.*
In ordinanza. *Quadrato agmine.*
Instradare alla vittoria. *Viam sternere ad victoriam.*
Interrare artiglierie. *Tormenta terra obtegere, vel inhumare.*
Inuentar machine. *Machinas architectari.*
Inuentioni di guerra. *Bellica inuenta.*

L

Lagune, Stagni. *Æstuaria. Stagna è mari redundantia.*
Lancie, ò Picche, ò Picchieri. *Hastati. Lancearij.*
Lancie à cauallo. *Equites Hastati.*
Lasciar'il posto. *Locum deserere.*
Lauorar le trinciere. *Aggeres exstruere.*
Lega. *Fœdus.*
Leuar l'assedio. *Obsidionem soluere.*
Leuar gente. *Militem cogere, conscribere.*
Liberar d'assedio. *Obsidioni eripere.*
Licentiar' i soldati. *Missionem dare Militibus, Copias dimittere.*
Lingua di terra. *Terræ lacinia in mare porrecta.*
Lontano dal colpo. *Extra ictum.*
Luogo di conseguenza. *Magni momenti locus.*
Luogo debole. *Locus parum munitus.*
Luogo difeso da paludi. *Locus paludibus custoditus.*

ERRATA. CORRIGE.

PARTE PRIMA.

	Errata	Corrige
Pagina 11	fenentiam	sententiam
23	sub Appio partem.	sub Appio . Partem
24	indefessa	indefensa
29	factu	factum
	ope	opem
47	transmissa	transmisso
59	ad ripæ fossam	ad ripam fossæ
61	commigrarer	commigraret
66	sautem	salutem
69	rantispem	ranti spem
	Catherina	Catharina
99	ad Occidentem	ad Orientem
121	Arescoe	Areschori
124	Comes Belgioiosus	Barbiani Comes , & Belgioiosij Dominus.
134	Sanctæ Seuerinæ Cardinalis , &c. summos eorum vertices	Summus Pontifex eorum humeros leuiter.
144	nouum diem	nonum diem
153	Vteumque	Vtrumque
161	vicinatem	viciniratem
180	Iannis	Ioannis
195	Eustochio	Eustachio
196	*in margine*	
	Boternius	Botereius
241	prupugnaudos	propugnaudos.
295	*in titulo*	
	LIBER OCTAVVS.	LIBER NONVS.
308	eepere	cœpere
315	postridie Idus Septembris	pridie Idus Septembris
342	Legatorum	Legarorum
361	Decimo Octauo Calendas Octobris.	Pridie Decimi Octaui Calendas Octobris.

PARTE SECVNDA.

	Errata	Corrige
Pagina 65	iocties	octies
	bidem	ibidem
89	*in summa*	
	Vrbis Præfectus	Copiarum Præfectus
135	*in summa*	
	Diui Iacobi	Diui Iobi.
322	quod à Spinula	quem à Spinula.

REGESTVM.

PARTE PRIMA.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh.

Omnes ſunt duerniones, præter Hhh quæ eſt ternio.

PARTE SECVNDA.

a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y z.

aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo pp qq rr ſs tt uu xx yy zz, aaa.

a b c d e f g h i k l m.

Omnes ſunt duerniones.



R O M Æ,

Ex Typographia Hæredum Franciſci Corbelletti. M.DC.LXXI.

SVPERIORVM PERMISSV.